image
not
available


14
2-R
4

NOMASTICON CISTERCIENSE,

SEV

ANTIQVIORES ORDINIS CISTERCIENSIS CONSTITVTIONES.



NOMASTICON CISTERCIENSE,


SEV

ANTIQVIORES ORDINIS CISTERCIENSIS CONSTITVTIONES

A R. P. D. IVLIANO PARIS, Monaſterii Fulcardimontis ſtrictioris Obſervantiæ ejuſdem Ordinis Abbate, & Sacræ Facultatis Pariſienſis Doctore, collectæ ac notis & obſervationibus adornatæ.

Scribantur hæc in generatione altera, & populus qui creabitur laudabit Dominum. Pſal. 101.





PARISIIS,

Apud Viduam GERVASII ALLIOT, & ÆGIDIVM ALLIOT, viâ Iacobæâ, ſub ſigno ſancti Nortberti.

M. DC. LXIV.

Cum Privilegio Regis, & Approbatione Doctorum.







ILLVSTRISSIMO AC INTEGERRIMO VIRO DOMINO D. GVILLELMO DE LAMOIGNON AVGVSTISSIMI GALLIARVM SENATVS PRINCIPI.

ETSI ad Tribunal æquitatis tuæ, tanquam ad azylum portumque tutissimum, universæ Leges certatim confugiunt, PRINCEPS SENATVS ILLVSTRISSIME: Nullæ tamen illud majori veneratione suspiciunt, aut in illius clientelam & protectionem recipi vehementiùs exoptant, quàm Cistercienses. Tuam enim illæ

nuper, cùm in discrimen venissent, expertæ tutelam, non aliam nunc, dum in lucem prodeunt, nec ab alio contra æmulos defensionem sibi conquirendam esse censuerunt. Et verò, quem alium aut morum suavitate, aut Generis splendore, aut animi magnitudine, aut juris asserendi integritate, aut Legum humanarum divinarumque notitiâ & exercitatione superiorem ambire possent sanctitatis suæ Vindicem?

Ex Illustrissima quippe Lamonæorum Stirpe oriundus, ac eâ, quâ semper Majores tui in Leges Regesque religione & fide Illustres fuerunt, ab ineunte ætate imbutus, nihil aliud magis ad commendationem habuisti, quàm ut virtutis studio ac Legum amori vitam devoveres omnem; in earumque cultu primas adolescentiæ tuæ delicias collocares. Interim, sapientia cumulante ætatem, in Senatorum adscriptus numerum, tam accurate ac tanta cum laude omnibus Dignitatis illius muneribus perfunctus es, ut in iis ingenii tui rudimenta ponere & explicare visus sis, in quibus cæteri cursus progressusque suos definire & circumscribere consuevissent. In sanctiora subinde Christianißimi Regis adscitus Consilia, tanta ingenii præcellentis, tanta scientiâ exquisitißimæ, tanta experientiæ consummatæ, tanta integerrimæ fidei ac omnis omninò generis in Regem Regnumque obsequiorum & officiorum argumenta suppeditasti, ut Rex ipse, Regum Maximus ac perspicacissimus, te, in publicam meritorum tuorum tesseram ac remunerationem, tanquam Virum omnium Dignitatum culmine dignissimum, ad Augustissimi Galliarum Senatûs fastigium evexerit, ut ex illa Eminentissima Sede, ad Principis optimi votum, & Regni ipsius florentissimi splendorem, Emi-

nentissimæ genii tui dotes majori in dies accessione & gloria omnibus elucescerent.

Cæterùm, ne tacitus aut ingratus ea, quæ prædicto Ordini reparando præcipua ac summa fuerunt, videar præterire; Quam olim Legibus illius asserendis in sanctiori Regis Consilio opem contuleras, eandem in hoc Celeberrimo Galliarum Consessu usque-adeò studiosè cumulasti: ut & illius Ordinis status sanctior ab illo tempore fuerit, & totus ipse Ordo ad primariam Institutionem, primævumque fervorem propediem revocandus, Deo favente, videatur.

Hinc & mihi pro Legibus istis apud te, VIR ILLVSTRISSIME, audendi fiducia. Siquidem, cùm omnes in universum Leges singulari benevolentia hactenùs colueris: spes affulget mihi profectò non minima, fore ut hæ nostri Cisterciensis Ordinis Leges, quibus quondam revixit, quibus & refloruit tribus integris sæculis, non solùm Regulæ sancti Benedicti, sed totius Ecclesiæ Catholicæ sanctior disciplina, aliquo in pretio à te habeantur. Quis enim nesciat harum beneficio Legum, hunc ipsum Ordinem, in ea tunc temporis apud omnes sanctitatis existimatione fuisse, imò & ad eum perfectionis statum pervenisse, ut ferè omnes pertraheret ad sanctiorem vivendi & agendi rationem? Quis verò numeret eos qui ex universis ferè Mundi partibus, in illius sinum tanquam in totius sanctitatis tyrocinium se receperunt? Quis eos recenseat, qui ex hac sancti Spiritûs perfectissima schola Ecclesiæ Catholicæ vel conciliandæ vel regendæ & administrandæ illis temporibus prodierunt? Quis eos, qui ex hoc omnium virtutum seminario in Cœlum evolarunt?

Patere igitur, PRINCEPS SENATVS ILLVSTRISSIME, ut hæ nostræ Cistercienses Leges, quæ vel temporum injuriâ, vel Nostrorum incuriâ sub densissimis ignorantiæ tenebris, si non obrutæ, saltem obvolutæ in hunc usque diem latuerunt, tuo se Venerabundæ conspectui sistant: ac subinde, si annueris, sub auspiciis CLARISSIMI NOMINIS TVI in publicum exeant, in æternum accepti à te beneficii & gratitudinis suæ Monimentum.

AMPLITVDINIS TVÆ.

Addictissimus & Obsequentissimus Servus.

F. IVLIANVS ABBAS FVLCARDIMONTIS.

PRÆFATIO



PRÆFATIO
AD LECTOREM.

QVONIAM permagni refert nosse Authores quorum opera legenda suscipimus; hoc unum postulo ab hujusce *Nomastici* Lectoribus, ut antequam ad evolvendas legendasque Leges quas illud complectitur, se accingant, eorum qui illas condiderunt disciplinam ac vitæ sanctimoniam in hoc quasi vestibulo sibi patiantur exhiberi, nec dedignentur intueri. Vis ergo (Lector) nosse quinam illi fuerint, aut quantis sive naturæ sive gratiæ dotibus instructi? Audi *Stephanum Episcopum Tornacensem*. Is enim, cui [a] *Petrus Cluniacensis*, [b] *Philippus Bonæ-spei*, [c] *Ordericus Vitalis*, [d] *Guillelmus Malmesburiensis*, [e] *Petrus Cellensis*, [f] *Iacobus de Vitriaco* S.R.E. Cardinalis, aliique innumeri Authores adstipulantur, in ea quam ad Robertum Pontigniacensem scripsit Epistola, de Cisterciensibus, nostris scilicet Legislatoribus, mira planè sed vera profitetur in hæc verba.

Cisterciensium Ordinem quasi lucernam supra montem positam, quis in Ecclesia Dei, maximum & præcipuum perfectionis culmen non dicat attingere? Evangelium enim implentes, Monasticam Regulam, quam supererogavit Benedictus Pater, fidelis Samaritani stabularius, sic observant, ut nec unum iota præterire videantur. Beata paupertas eorum, quæ licet eos fame premat & frigore, non tamen eos aut mendicare compellit, aut divitibus adulari. Suis aut certè suorum manibus victum acquirunt & vestitum, non veriti sequi Paulum, qui cùm licitè posset de Evangelio vivere, & spiritualia seminans carnalia metere: maluit tamen manibus operando, vitæ necessaria sibi comparare, quàm offendiculum dare Evangelio Christi. Honorant Dominum de sua non de aliena substantia; & de primitiis frugum, non alterius sed suarum dant pauperibus; quanquam rectiùs dixerim, non suarum sed

a Lib. 3. Epistolarum Epist. 35. ad Abbates Cistercii congregatos. Et lib. 5. Epist. 16. ad S. Bernardum.

b Lib. de Continentia Clericorum c. 125.

c Lib. 8. Ecclesiasticæ histor. ad annum 1094.

d Lib. 4. de gestis Reg. Angl.

e Lib. 6. Epistolarum Epist. 23. ad Nicolaum.

f In Historia Occident. c. 14.

omnium, quia universis secundùm gradus ordinatæ Charitatis, quasi in commune deserviunt. Neque enim buccellam suam comedunt soli, etenim comedit cum eis pupillus ex ea. Non despiciunt prætereuntem & absque operimento pauperem, sed benedicunt eis latera pauperum, & de velleribus ovium suarum calefiunt. Nam suis quidem lateribus pannos circundant, sicut despicabiles prætio, sic inapplicabiles ornamento. Conqueritur ipsa natura, quæ modico solet esse contenta, quod tegumenta eorum non sufficiant in hyeme, & officiant in æstate. Ostium eorum viatoribus patet, nec foris remanet peregrinus. In sudore vultus sui vescuntur pane suo, nec eos lascivire facit otium aut alienus cibus. Tanta in cibo parcimonia, ut duobus tantùm utantur pulmentis, quæ aut ager ex leguminibus affert, aut ex oleribus hortus. Pisce tanto rariùs utuntur, quanto frequentiùs apud eos audiri solet quàm videri. Terram disrumpunt voluntarii, & violenti diripiunt Cœlum. Si numeres quot ab eis beneficia profluant in populum, plura conferunt universitati, quam universitas ipsis. Parva sunt hæc, & quæ terrenos alliciant vel occupent appetitus. In eis nec fœcunditati Liæ Rachel invidet, nec Rachel pulchritudinem minuit Lia sed munit. Non murmurat Martha de silentio Mariæ, sed mirum dictu, Maria sedens ad pedes Domini, Martham solam ministrare non relinquit. Inter eos juge gaudium, communis exultatio, ubi nihil extra disciplinam, nihil contra. Mirantur homines, delectantur Angeli, fugiunt partes adversæ, quoniam sancta illa Congregatio, terribilis est ut Castrorum acies ordinata. Illic nec bobus præfertur aratrum, nec capite deorsum pendet domus: nec idiota docet Clericum, nec laicus imperat Sacerdoti. Ibi majores minoribus, prudentiores præsunt indoctis, & qui vita sanctitate praeminent & intelligentiâ scripturarum. In arca illa non est virga sine tabulis testamenti, quia qui potestatem habent corripiendi, habent & scientiam corrigendi. Divina Officia cum tanta devotione & solemnitate celebrant, ut in eorum concentu Angelorum voces sonare putes. Psalmis & Hymnis & Canticis spiritualibus ad Laudes Dei invitant homines, & Angelos imitantur. In iis qui Clericus fuerit tantò uberius delectatur, quantò remotiùs est ab eo laicorum fabulis interesse. Extra Oratorium aut operi manuum dant operam, ut semper eos diabolus inveniat occupatos, aut legendo concipiunt unde sanctis Meditationibus

Cælos penetrent, & in Paradiso audiant illa arcana, quæ non licet homini loqui. Regressi à superis tantam ori suo apponunt custodiam, ut cultum Iustitiæ silentium, ne articulatis quidem vocibus interrumpant. Non bini aut terni per angulos Claustri fabulis vacant, quia nec inter se seria serere permittuntur. Hæc de nostris Cisterciensibus Stephanus Tornacensis, cui suffragantur omnes qui primam illorum imaginem adumbrare studuerunt.

Ad quam etsi imparem, si has eorum Leges expendere aut metiri volueris, eas profectò non nisi sanctas & ad omnem sanctitatem idoneas suspicaberis. Quas enim alias à tantis viris aut suspicari aut præstolari posses? A viris, inquam, illis sanctissimis, qui non aliter docere quàm ipsi vixerint potuerunt? Esto aliqui, Pharisæorum & Scribarum more, impiè vivere & pia jubere aliquando possint, nullus tamen qui piè & sanctè vixerit, hactenùs iniqua jussisse visus est. Quantò minùs hi planè viri virtutis, viri utique non tam habitûs quàm morum candore & sanctimonia vitę insignes, qui tribus integris sæculis in sanctiori regularis Observantiæ disciplina floruerunt, qui non captantes otium aut quietem, sed manibus laborantes, non tantùm sibi, sed hospitibus & peregrinis, pupillis & orphanis vitæ necessaria compararunt; quos olim cæteris Ordinibus efformādis excolendisque præposuit Ecclesia universalis; [a] quorum edicta non confundebant opera; quorum linguam & calamum solius Dei timor, sola Charitas accendebat & mens recti conscia; in quibus nihil videas nisi stimulos pietatis & viva virtutum exempla? Ab his procul omnes sanctiones, in laxamentum aut mollioris vitæ disciplinam vel tantisper excurrentes. Quin potiùs teste Petro Cluniacensi, [b] *sicut Esdras legem & Machabæi ruinas Templi, sic illi Monastici Ordinis detrimenta ac Monasteriorum morumque ruinas repararunt: ac delicatis magis quàm necessariis condescensionibus explosis, ad antiqui & primi fervoris morem suorum temporum teporem revocarunt.*

[a] In c. 12. Concil. Gen. Later. sub Innoc. III. Et cap. *in singulis* de statu Monach.

[b] Lib. 5. Epistolarum Epist. 16.

Horum igitur ego à multis annis, Deo volente, adstrictus Legibus, semper eas veneratus sum, & si quando eas à nonnullis, tanquam alterius ævi commenta, nostris temporibus nostrisque moribus reformandis minùs necessaria floccifieri deprehendi, ingemui. Quis enim non ægrè ferret,

Leges tam sanctas, tam accuratas, tam omni ex parte perfectas haberi neglectui, imò & aliquando contemptui, etiam ab iis qui non nisi earum beneficio vivunt & subditis imperant? Quis non indignaretur Leges illas & Constitutiones, quas olim Savigniacenses, Præmonstratenses, Grandimontenses, Bursfeldenses, cæterique Ordines exteri aut amplexati aut venerati sunt, à propriis & domesticis, à filiis & subditis parvipendi? Leges, inquam, illas, quas Romani Pontifices Calixtus II. Eugenius III. Anastasius IV. Adrianus IV. Alexander III. Innocentius III. Honorius III. Gregorius IX. Vrbanus IV. Clemens IV. Benedictus XII. Eugenius IV. Nicolaus V. Innocentius VIII. Clemens VIII. Gregorius XV. Vrbanus VIII. Innocentius X. suis diplomatibus stabilierunt; Quas Reges nostri Christianissimi ac inter cæteros S. Ludovicus & Carolus VIII. ac novissimè Ludovicus XIII. & Ludovicus XIV. non modò tutati sunt, sed è suis cineribus assurgere & caput attollere, ac inter æmulorum conflictationes vincere pietate prorsùs Regia voluerunt?


Hæc mihi sanè in causa fuerunt, cur earum manuscripta quotquot possem undecunque mihi compararem. Cumque in earum sex aut septem exemplaria incidissem, tum omnimodis enitendum mihi censui, si qua tandem ratione possem ex illis ipsis, virorum illorum sanctissimorum, à quibus illæ originem acceperunt, mores ac disciplinam si non ad vivum efformare, saltem utcunque delineare. Quod cùm semel & iterùm confecissem, [d] tum venit mihi in mentem, rem me facturum, ut non injucundam pluribus, sic Legibus ipsis honorificam & Ordini prædicto profuturam, si eas ipsas è suis tenebris, quibus à ducentis circiter annis, non tam obvolutę quàm obrutę latuerant, tandem aliquando eruerem, & eruendo publici juris facerem, & publici juris faciendo, ab interitu vendicarem.

[d] Vide lib. de Primario Spiritu seu de prima vivendi ratione Cisterciensium.

Et si enim nonnullæ ex illis, ut *Charta Charitatis, Vsuum Liber & Statuta Clementis IV. & Benedicti XII.* jam sparsim ac seorsum in publicũ exierant, eas tamen lucem aspexisse potiùs quàm accepisse dixeris, adeò confusæ ac sine ordine & annotationibus quibus, mirum in modum, tam illæ quàm cæteræ omnes longè plures ubique indigent, prodierunt. Quare collectis illis omnibus ac in tres veluti

classes distributis, juxta rationem temporum quibus illæ sancitæ sunt, & quibus earum praxi stetit aut floruit Ordo ipse Cisterciensis; iisque, ubi oportuit, annotationibus tam in fronte quàm in margine adornatis, imò & correctis ac in integrum restitutis pluribus in locis, tandem eas amicorum & Superiorum hortatu prælo permisimus: non ignari quidem mediocritatis nostræ, sed talentulum qualecunque, quod nobis Dominus credidit, pro nostra virili parte in communem utilitatem conferentes, quô videlicet usuram exigenti qui sortem commisit, si nihil aliud certè conatum & sedulitatem, vice fœnoris exhibere valeamus.

Cæterùm, quia sacrilegii genus habetur, parum reverenter tractare sanctorum Reliquias, quantum quæso debetur honoris ac religionis, his sanctorum virorum illorum monumentis, quæ vivam eorum adhuc nobis spirant & exhibent imaginem! Exhibent enim nobis apices illi muti, quod viva eorum corpora non exhiberent. Quid enim magni est, hominis figuram aut reliquias corporis ejus intueri? In his autem Legibus, Statutis & Constitutionibus sancti illi Parentes nostri vivunt, loquuntur, docent & exhortantur. Itaque, Lector, audi, lege & fruere. Quod enim olim de Christo Simeon ille senex venerabilis professus est, hoc de omnibus Christianis ac regularibus Institutionibus aliqua ratione profiteri & possumus & debemus; nimirùm eas *positas esse in ruinam & resurrectionem multorum*. In *ruinam* quidem eorum, qui nec eas addiscere nec observare curant: In *resurrectionem* verò eorum omnium, qui non solùm eas legere & intelligere, sed & ad earum amussim & rectitudinem vitam suam instituere & componere modis omnibus enituntur. *Legibus* ergo *vivamus non exemplis*. Luc. 2.





SERIES
LEGVM SEV CONSTITVTIONVM quæ in hoc Nomastico continentur.



REFRIGESCENTE, ne dicam extinctâ sanctiori Regulæ S. Benedicti disciplinâ, B. Robertus Molismensis Abbas, Hugonis Archiepiscopi Lugdunensis, Apostolicæ Sedis Legati licentiâ, & Odonis Ducis Burgundiæ munificentiâ, prædictæ Observantiæ restituendæ, circa finem undecimi sæculi, anno scilicet 1098. Cisterciense Cœnobium ædificavit.

Subinde verò cùm ad annum & tres aut quatuor circiter menses ibidem præfuisset, ad petitionem Molismensium Monachorum, ab Vrbano II. Molismum revocatus, Albericum Cistercii Priorem, eodem arctioris vitæ desiderio flagrantem, communi Fratrum Cisterciensium suffragio, habuit in illo suo Novo Cœnobio dignitatis æquè ac propositi successorem. Qui cùm à Paschali II. Novi illius Monasterii confirmationem obtinuisset, & strictiorem Observantiam Regulæ in eo mirum in modum promovisset, è vita discessit, anno D. 1109. die 26. Ianuarii.

Alberico successit Stephanus Hardingus, natione Anglus, cujus temporibus novella hæc Plantatio Cisterciensis aliorum duodecim Monasteriorum fundatione, incrementum accepit. Ex qua sanè non minus grata quam expetita accessione, futuram illius adhuc ampliorem multiplicationem conjiciens, novam tunc primùm pro reparanda arctiori ejusdem Regulæ disciplina Congregationem meditari cepit, ut vel ex eo luce clarius sit, primam ac fundamentalem Ordinis Cisterciensis Legem seu Constitutionem non aliam esse aut fuisse, quam S. Benedicti Regulam, quippe cujus Observantia literalis non solùm primo hujus Ordinis Cœnobio, sed & Ordini universo ansam præbuerit.

Reg. S. Ben. I. Lex Ord. Cisterciensis.

Communicato igitur consilio cum fratribus suis, ac præsertim cum Abbatibus illorum duodecim Cœnobiorum, & cum Episcopis, in quorum Parochiis constituta illa fuerant: vir ille Dei superiori numine afflatus, ex illorum omnium consensu ac deliberatione communi, primam aut, si malueris, secundam hujus novæ Congregationis Legem seu Constitutionem conscripsit, eique à Charitate, quam undecunque spirant illius decreta, no-

Charta Charitatis 1. ejusd. Ordinis Constitutio. *Ann. D. 1119.*

men indidit *Chartæ Charitatis.* Quam deinceps anno 1119. Calixtus II. ſingulari diplomate conſecravit, & poſt illum plures alii Summi Pontifices ac inter alios, Eugenius III. Anaſtaſius IV. Adrianus IV. & Alexander III.

Sancita hunc in modum prima hujus Ordinis Conſtitutione, ille idem vir ſanctus cum cæteris Abbatibus & fratribus ſuis, Librum ex Vſibus ac Cæremoniis quibus uſque ad illud tempus, tam apud Ciſtercium quàm in cæteris illis Monaſteriis uſi fuerant compoſuit, eumque Monaſteriis hujus novi Ordinis, tam præſentibus quàm futuris in eandem vivendi & agendi rationem colligandis imperavit; ac demùm confirmata illa Congregatione & Statutis tam ad diſciplinam quàm ad mores neceſſariis munita, vitam ille temporalem cum cœleſti commutavit, anno D. 1134. die 28. menſis Martii.

Liber Vſuum.

Huic autem cùm ſubrogatus fuiſſet S. Raynardus filius Milonis Comitis Barri ſuper Sequanam, *Inſtituta Capituli Generalis*, ſeu primas Definitiones à prædeceſſoribus ſuis, à tempore Chartæ Charitatis editas, in unum volumen alligavit, ac eas tradidit univerſo Ordini obſervandas, anno D. 1134.

Inſtituta Capituli Generalis Ordin. Ciſterc. *Anno D.* 1134.

Interim eodem Ordine in dies excreſcente, ac pluribus aliis Definitionibus ab eodem in ſingulis Capitulis Generalibus conſtitutis, Arnaldus Abbas Ciſtercii hujus nominis primus, circa annum 1203. ad extremum ſcilicet primi ſæculi hujus Ordinis, eas omnes in XV. Diſtinctiones diſtributas, ſub titulo *Inſtitutionum Capituli Generalis* promulgavit. Verùm cùm aliqua à nonnullis deſiderarentur in illa Collectione, eandem ſæpius ad examen à Capitulo Generali revocari juſſam, ſub altero Arnaldo Ciſtercii Abbate hujus nominis II. ac ſub eadem inſcriptione, Capitulum Generale anni D. 1240. confirmavit.

Inſtitutiones Capit. Gener. Ord. Ciſterc. *Anno D.* 1240.

Cùm autem elapſo primo hujus Ordinis ſæculo, humani generis inimicus in hoc agro dominico ſuperſeminaſſet zyzania, exorta eſt inter primos illius Abbates circa mutuam Iuriſdictionē controverſia, cui ſine ſtrepitu juris conciliandæ, Nicolaum Epiſcopum Trecenſem, Stephanum Majoris-Monaſterii Abbatem & Fratrem Gaufridum de Bello-loco, S. Ludovici Regis Confeſſarium, Vrbanus IV. Arbitros ac Iudices adhibuit. Sed re indeciſa manente & eo mortuó, Clemens IV. eidem Vrbano anno D. 1265. ſubrogatus, primas Apoſtolatûs ſui curas huic Ordini inter has diſcordias periclitanti, conſecravit. Nam ſimulatque Viterbii coronatus fuit, cognitâ ac diſcuſſa hujus diſſidii cauſâ, eam prorsûs amputavit, jus unicuique illorum aſſignando ſuum & Chartam Charitatis interpretando, edita in eum finem celeberrima illa Conſtitutione quæ à tanti Pontificis nomine, *Clementina* fuit appellata.

Conſtitutio D. Clementis Pap. IV. *Anno D.* 1265.

Libellus antiquarum Definitionũ Capituli Gener. Ord. Ciſtercienſis. *Anno D.* 1289. & 1316.

Compoſitâ igitur ac dijudicatâ illâ Controverſiâ, Capitulum Generale novo poſt illas rixas ſanctioris diſciplinæ concepto fervore, Novam omnium præcedentium Conſtitutionum Collectionem, novo quidem illarum delectu habito, ſed ſervata eadem titulorum ac diſtinctionum diſpoſitione, aut ſaltem admodùm nihil immutata fieri juſſit, ac omnium conſenſu ſub nomine & inſcriptione *Libelli antiquarum Definitionum Capituli Generalis Ordinis Ciſtercienſis* edixit, primùm quidem anno Domini 1289. ac ſubinde anno 1316.

Benedictina ſeu Benedicti XII. Conſtitutio. *Anno D.* 1335.

Sed cùm ea fuerit ſemper rerum humanarum conditio, ut nihil in eis inconcuſſum aut ſtabile permaneat, niſi à Deo *apud quem non eſt tranſmutatio nec viciſſitudinis obumbratio*, firmitatem ac immobilitatem accipiat: ſub initium tertii hujus Ordinis ſæculi, remitti cepit ac enervari quibuſdam in locis, quæ à ducentis annis apud illius Monachos firma ſemper & inconvulſa ſteterat Regulæ arctior diſciplina; adeò ut Summus Pontifex Benedictus hujus nominis XII. anno D. 1335. ex eodem Ordine aſſumptus, primo ſui Pontificatûs anno, coactus fuerit, vepribus ac ſpinis vitiorum in illo pullulantibus, evellendis eradicandiſque edere Conſtitutionem illam, cui *Benedictinæ* nomen, ab Authoris ſui nomine, inditum eſt in hunc vſque diem.

Novellæ Definitiones Cap. Generalis Ordinis Ciſterc. *Anno D.* 1350.

Cæterùm, cùm prædicta Conſtitutione Summus ille Pontifex Ordini ſuo proſpexiſſet; eo è vivis poſt ſex circiter annos ſublato, Superiores Ordinis zelum illius æmulantes, Novam adhuc Definitionum Capituli Generalis Collectionem, ſub titulo *Novellarum Definitionum* eodem Capitulo Generali approbante, anno Domini 1350. evulgarunt, in qua novis in tranſgreſſores pœnis ac cenſuris intentatis, prædicti Pontificis Conſtitutioni aliiſque omnibus antiquioribus, ſuam ac Monachorum ſuorum fidem de novo aſtrinxerunt.

Prædicti Ordinis caſus. *Anno D.* 1500.

Abhinc inter fluctuantis tum Reipublicæ tum Eccleſiæ procellas, circa finem tertii aut ſub initium quarti illius ſæculi (quod peſte, bello & ſchiſmate toti orbi Chriſtiano luctuoſum fuit) cepit Ordo ille agere remiſſiùs, adeò ut ab eo tempore, hoc eſt ab anno 1500. uſque ad annum 1615. in eodem Ordine vix ullus ordo fuerit.

Neque enim toto illo centum, & quod excurrit, annorum ſpatio, vel Principum querimoniis, vel Romanorum Pontificum exhortationibus, vel etiam plurimarum Congregationum, quæ primùm in Hiſpania, ac ſubinde in Italia, nec-non in Galliis, ad illius reſtaurationem identidem ſuberectæ fuerunt, æmulatione vel exemplo, primarii illius Superiores, aut ipſi evigilare aut prædicto Ordini aliquando invigilare curarunt.

Verùm,

Verùm, circa annum 1615. Cœlo clementiùs aspirante, multi in multis ejusdem Ordinis Monasteriis Superiores ac Monachi, concepto illo igne, quem Dominus misit in terram & voluit vehementer accendi, antecessorum suorum laxamentis magno fervore explosis, tum ad Regulæ prædictæ, tum ad antiquiorum Ordinis sui Constitutionum formam, vitam suam reformare studuerunt; ac demùm, agente piissimo ac Christianissimo Franciæ ac Navarræ Rege Ludovico XIII. Summi Pontifices Gregorius XV. & Vrbanus VIII. Eminentissimum D. Cardinalem Rupifucaldium huic Ordini tandem aliquando erigendo delegarunt: Gregorius quidem anno 1622. Vrbanus verò anno 1632. ut fusiùs ad calcem hujus Libri adnotavimus.

Illius Reformatio. *Anno D.* 1615.

Monasteria in quibus circa illud tempus prima hujus Ordinis refloruit disciplina, hæc fuerunt. Nimirùm Monasteria *de Precibus, de Carmeya, de Castellione, de Valle-Clara, de Fonte-Guillelmi, de Stella, de Charitate, de Chemınione, de Longo-Ponte, de Vallibus Sernaii, de S. Lazaro, de Insula Dei, de S. Albino.*

Approbatio Doctorum.

NOS infrascripti sacræ Facultatis Parisiensis Doctores, Vniversis notum fieri volumus per præsentes; Quòd nos ex mandato R. Patris Vicarii Generalis strictioris Observantiæ Ordinis Cisterciensis, legimus & attentiùs examinavimus Librum qui inscribitur *Nomasticon Cisterciense*, collectum & annotationibus adornatum à R. P. IVLIANO PARIS, ejusdem facultatis Doctore, ac Monasterii FVLCARDIMONTIS dictæ strictioris Observantiæ Ordinis Cisterciensis Abbate, in eoque nihil aut Christianis moribus, aut fidei Ecclesiæ Catholicæ contrarium invenimus; Imò verò dum Author in eo, Antiquiores prædicti Ordinis Constitutiones quasi obstetricante manu educit in lucem; omnes illius Regulares personas, suavi quidem sed ineluctabili impulsu, ad eorum, qui illas olim nobis præscripserunt, provocat sanctitatem. Eum ergo, qui Typis mandetur eò digniorem censuimus, quò utiliorem futurum speramus. In cujus rei fidem præsentibus subsignavimus. Die 12. Iunii anno Domini 1663.

F. IOANNES LE CONTE, Monasterii de Charitate Abbas.

F. STEPHANVS GVERIN.

FACVLTAS R.P. VICARII GENERALIS strictioris Observantiæ Ordinis Cistercienſis.

EGO infraſcriptus Vicarius Generalis Monaſteriorum omnium ſtrictioris Obſervantiæ Ordinis Ciſtercienſis in Galliis exiſtentium, teſtor me legiſſe librum cui Titulus eſt, *Nomaſticon Ciſtercienſe*, collectum & annotationibus adornatum à R. P. Domno IVLIANO PARIS, Monaſterii Fulcardimontis Abbate, & ſacræ Facultatis Pariſienſis Doctore, eumque, à duobus ejuſdem facultatis ejuſdemque Ordinis & Obſervantiæ Doctoribus à nobis deputatis, lectum & approbatum, dignum cenſuiſſe qui in lucem ederetur, tanquam utilem & neceſſarium omnibus Regularibus, maximè verò perſonis ejuſdem Ordinis & Obſervantiæ. In cujus rei fidem præſentibus ſubſcripſimus, eaſque Secretarii noſtri chirographo & ſigilli noſtri appoſitione muniri curavimus. Datum Pariſiis in Collegio Bernarditarum, die 26. Iunii anno Domini milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo-tertio.

F. IOANNES *Abbas de Precibus Vicarius Generalis.*

F. IOSEPHVS POITREAV, *Secretarius.*

Extraict du Privilege du Roy.

PAR Lettres patentes de ſa Majeſté, données à Paris le 2. jour de Decembre 1663. ſignées de la Grange, & ſeellées du grand Sceau en cire jaune ſur ſimple queuë: Il eſt permis à la veuve Gervais Alliot vivant Marchand Libraire de la ville de Paris, d'imprimer un Livre intitulé, *Nomaſticon Ciſtercienſe complectens Antiquiores Ciſtercienſis Ordinis Conſtitutiones*, compoſé par le R. P. Dom IVLIEN PARIS, Docteur en Theologie de la Faculté de Paris, & Abbé de l'Abbaye de Foucarmont; Et tres-expreſſes défenſes ſont faites à toutes ſortes de perſonnes de quelque códitiõ & qualité qu'elles ſoient, d'imprimer ou faire imprimer ledit Livre, ny meſme d'en vendre de contrefaits durant le tems & eſpace de cinq ans, à peine de trois mil livres d'amende, & ſur les autres peines, charges & conditions plus amplement ſpecifiées dans ledit Privilege.

Regiſtré ſur le Livre de la Communauté des Imprimeurs, Marchands Libraires & Relieurs de Paris le 12. Decemb. 1663. ſuivant l'Arreſt du Parlement du 8. Avril 1653.

INDEX



INDEX

CAPITVLORVM EXORDII SEV HISTORIÆ nascentis Cœnobii & Ordinis Cisterciensis.

PROLOGVS.

INDEX

CONSTITVTIONVM, DISTINCTIONVM & Capitulorum Nomastici Ordinis Cisterciensis.

PRIMA PARS

COMPLECTENS CONSTITVTIONES quæ primo prædicti Ordinis sæculo sancitæ sunt.

INDEX.



INDEX.

INDEX.

Secunda Pars.

DE CEREMONIIS

Tam in horis Canonicis quàm in Missarum celebratione observandis.

Tertia Pars.

DE RITIBVS IN EXERCITIIS Regularibus observandis.

INDEX

Quarta Pars.

DE CVRA INFIRMORVM & suffragiis Mortuorum.

Quinta Pars.

DE HEBDOMADARIORUM, Superiorum & Officialium Muniis.

INDEX

INDEX.





DISTINCTIO

INDEX.

DISTINCTIO II.

De Benedictionibus Novitiorum & Abbatum: de Professione & Ordinatione Monachorum.

DISTINCTIO III.

De Officio Divino.

DISTINCTIO IV.

De Privilegiis & Immunitatibus Ordinis.

DISTINCTIO V.

De Capitulo Generali.

DISTINCTIO VI.

De Capitulo quotidiano & emendatione culparum.

INDEX

DISTINCTIO VII.

De Authoritate Patrum Abbatum & de Electionibus.

DISTINCTIO VIII.

De Officialibus.

DISTINCTIO IX.

De dirigendis in viam.

DISTINCTIO X.

De Personis in Ordine recipiendis.

DISTINCTIO XI.

De Societate sæcularium fugienda.

DISTINCTIO XII.

De Venditione rerum mobilium & locatione immobilium.



DISTIN-

INDEX.

DISTINCTIO XIII.
De Victu & Vestitu Monachorum.

DISTINCTIO XIV.
De Conversis.

*

DISTINCTIO XV.
De Monialibus.



SECVNDA PARS

NOMASTICI CISTERCIENSIS
COMPLECTENS CONSTITVTIONES QVÆ secundo prædicti Ordinis sæculo sancitæ sunt.

ACTA PRÆDICTÆ DISCEPTATIONIS.

INDEX.

INDEX





INDEX.

DISTINCTIO III.

De Abbatiis & earum Ecclesiis instituendis.

DISTINCTIO IV.

De Benedictionibus Novitiorum & Abbatum, nec-non & de Ordinationibus Monachorum & administratione Capellarum.

DISTINCTIO V.

De Officio divino.

V. *De*

INDEX

DISTINCTIO VI.

De Capitulo Generali.

DISTINCTIO VII.

De Causis Ordinis & Correctione culparum.



INDEX.

DISTINCTIO VIII.

De Visitationibus & Electionibus.

DISTINCTIO IX.

De Officialibus.

DISTINCTIO X.

De dirigendis in viam.



DISTINCTIO XI.

De Personis in Ordine recipiendis.

DISTINCTIO XII.

De Contractibus & Depositis.

DISTINCTIO XIII.

De Victu & Alimentis.



INDEX.

DISTINCTIO XIV.
De Conversis.

DISTINCTIO XV.
De Monialibus.



NOMASTICON CISTERCIENSE
seu Antiquiores Ordinis Cisterciensis Constitutiones.

TERTIA PARS
COMPLECTENS CONSTITVTIONES QVÆ tertio prædicti Ordinis sæculo sancitæ sunt.

INDEX.

CONSTITVTIO D. BENEDICTI PAPÆ XII. pro Reformatione Ordinis Cisterciensis.

INDEX



DISTINCTIO V.

De Officiis Divinis.

DISTINCTIO VI.

De Capitulo Generali.

DISTINCTIO VII.

De Causis Ordinis & correctione Culparum.

DISTINCTIO VIII.

De Visitationibus & Electionibus.

DISTINCTIO IX.

De Officialibus.



INDEX.

DISTINCTIO X.

De dirigendis in viam.

DISTINCTIO XI.

De personis in Ordine recipiendis.

DISTINCTIO XII.

De Depositis.

DISTINCTIO XIII.

De Alimentis.



INDEX.


DISTINCTIO XIV.

De Monialium.



EPISTOLÆ ROMANORVM

Pontificum Eugenii IV. Nicolai V. & Innocentii VIII. ad Capitulum Generale Ordinis Cisterciensis.




ARTICVLI PARISIENSES

FINIS INDICIS.




ADMONITIO



ADMONITIO
IN
EXORDIVM COENOBII
ET
ORDINIS CISTERCIENSIS.

HANC nascentis Ordinis Cisterciensis Historiam sequenti Constitutionum ejus Collectioni præmittimus, ut cujus Statuta ac Definitiones exhibituri sumus, illius Originem primariosque auctores priùs ob oculos ponamus. Brevis illa quidem, sed certa & antiqua; quippe ipsi Ordini coæva, & ab iisdem, à quibus ipse Ordo conditus est, & eodem tempore conscripta. Hanc igitur, jam olim ab *Auberto Miræo* in suo Chronico traditam, & à nobis quibusdam in locis illustratam, intuere lubenter hoc in loco, & inter legendum attende non solùm primam hujus Ordinis simplicitatem ac humilitatem, verumetiam primorum ejus Institutorum zelum ac Religionem erga sinceram ac literalem Regulæ Sanctissimi Patris nostri Benedicti praxim & observantiam. Interim dum per subsequentes Constitutiones, eandem in eorum primis successoribus circa illud idem prospicias animi propensionem.



PRIMA
NASCENTIS COENOBII
ET
ORDINIS CISTERCIENSIS
HISTORIA VVLGO INSCRIPTA
EXORDIVM COENOBII
ET
ORDINIS CISTERCIENSIS.
PROLOGVS.

NOS CISTERCIENSES *primi hujus Ecclesiæ Fundatores, Successoribus nostris stylo præsenti notificamus, quàm canonicè, quanta auctoritate, à quibus etiam personis, quibusque temporibus Cœnobium &*

tenor vitæ illorum exordium ſumpſerit : ut hujus rei propalata ſincera veritate, tenacius & locum & obſervantiam Sanctæ Regulæ in eo à nobis, per gratiam Dei, utcunque inchoatam ament; pro nobiſque, qui pondus diei & æſtus indefeſſè ſuſtinuimus, orent; in arcta & anguſta via quam Regula demonſtrat uſque ad exhalationem ſpiritûs deſudent; quatenùs depoſitâ carnis ſarcinâ, in requie ſempiterna feliciter pauſent.

CAPVT PRIMVM.

Quo primùm tempore S. Robertus Abbas Moliſmenſis, fundamenta jecit ſive Cœnobii ſive Ordinis Ciſtercienſis.

Eſt *Moliſmus* Cœnobium Ordinis ſancti Benedicti, in Ducatu Burgundiæ & Epiſcopatu Lingonenſi, a S. Roberto fundatum.

ANNO ab Incarnatione Domini milleſimo nonageſimo octavo, beatæ memoriæ *Robertus* Moliſmenſis Eccleſiæ in Epiſcopatu Lingonenſi fundatæ primus Abbas, & quidam ejuſdem Cœnobii Fratres, ad Venerabilem Hugonem tunc Apoſtolicæ Sedis Legatum, ac Lugdunenſis Eccleſiæ Archiepiſcopum venerunt, vitam ſuam ſub cuſtodia Sanctæ Regulæ Patris Benedicti ſe ordinaturos pollicentes : & idcircò ad hoc liberiùs exequendum, ut eis ſui juvaminis Apoſtolicæque auctoritatis Robur porrigeret, conſtanter flagitantes; quorum voto Legatus lætanter favens, tali Epiſtola Exordii eorum fundamentum jecit.

CAPVT II.

Epiſtola Hugonis Legati, ad Robertum Abbatem Moliſmenſem.

Hugo iſte, antea Epiſcopus Dienſis & Gregorii ſeptimi Legatus in Galliis, ſub eodem factus eſt Archiepiſcopus Lugdunenſis anno D. 1080. ac rurſus ſub

HVGO Lugdunenſis Archiepiſcopus, & Apoſtolicæ Sedis Legatus, Roberto Moliſmenſi Abbati, & Fratribus cum eo ſecundùm Regulam Sancti Benedicti ſervire Deo cupientibus. Notum ſit omnibus de Sanctæ Matris Eccleſiæ profectu gaudentibus, vos & quoſdam filios veſtros Moliſmenſis Cœnobii Fratres, Lugduni in noſtra præſentia adſtitiſſe, ac Regulæ Beatiſſimi Bene-

dicti, quam illic huc usque tepidè ac negligenter in eodem Monasterio tenueratis, arctiùs deinceps atque perfectiùs inhærere velle professos fuisse. Et primùm quidem ipsam Regulam, Monachorum Instituta & mores honestos & Religioni convenientes vos velle imitari, in Dei & nostro conspectu statuistis. Quod quia in loco prædicto, pluribus impedientibus causis, constat adimpleri non posse: Nos utriusque partis saluti, videlicet inde recedentium atque illic remanentium providentes, in locum alium quem vobis divina largitas designaverit, vos declinare, ibique salubriùs atque quietiùs domino famulari, utile duximus fore.

Vrbano II. eodem Legati munere fungens in iisdem partibus, has S. Roberto & Fratribus ejus literas concessit, quibus Novi Cœnobii Cisterciensis fundandi facultatem fecit.

Vobis ergo tunc præsentibus, videlicet *Roberto* Abbati, Fratribus quoque *Alberico, Odoni, Ioanni, Stephano, Letaldo & Petro*, sed & omnibus quos regulariter & communi consilio vobis sociare decreveritis, hoc sanctum propositum servare & tunc consuluimus, & ut in hoc perseveretis præcipimus, & auctoritate Apostolica per sigilli nostri impressionem in perpetuum confirmamus.

Illam verò professionem quam feci in præsentia vestra in Molismensi Monasterio, eandem professionem & stabilitatem confirmo coram Deo & sanctis ejus, in manu vestra me servaturum, in hoc loco qui vocatur *Novum Monasterium* sub obedientia vestra & successorum vestrorum vobis regulariter substituendorum.

Novum Monasterium, id est, Cistercium.

CAPVT III.

Egressus Monachorum Cisterciensium de Molismo, & eorum ad Cistercium adventus.

POST hæc, tali ac tantâ, antedictus Abbas & sui, auctoritate freti, Molismum redierunt, & de illo religioso Fratrum collegio socios votum in Regula habentes elegerunt, ita ut inter eos qui Legato Lugduni fuerant locuti, & illos qui de Cœnobio vocati sunt, viginti & unus Monachi essent, talique stipati comitatu ad Eremum, quæ *Cistercium* dicebatur, alacriter tetenderunt. Qui locus in Episcopatu Cabilonensi situs, & præ

nemoris, ſpinarumque tunc temporis opacitate, acceſſui hominum inſolitus, à ſolis feris inhabitabatur. Ad quem viri Dei venientes, locumque illum tantò religioni quam animo jam jam conceperant, & propter quam illuc advenerant habiliorem, quantò ſæcularibus deſpicabiliorem & inacceſſibilem, intelligentes: nemoris ſpinarumque denſitate præciſâ ac remotâ, Monaſterium ibidem voluntate Cabilonenſis Epiſcopi, & conſenſu ipſius cujus ipſe locus erat, conſtruere cœperunt.


Nam iſti viri apud Moliſmum adhuc poſiti, ſæpiùs inter ſe Dei gratiâ aſpirati, de transgreſſione Regulæ Beati Benedicti Patris Monachorum loquebantur, conquerebantur, contriſtabantur, videntes ſe cæteroſque Monachos hanc Regulam ſolenni profeſſione ſervaturos promiſiſſe, eamque minimè cuſtodiſſe, & propter hoc, uti prælibavimus, Apoſtolicæ Sedis Legati auctoritate ad hanc ſolitudinem, ut profeſſionem ſuam obſervantiâ ſanctæ Regulæ adimplerent, veniebant. Tunc Dominus *Odo* Dux Burgundiæ ſancto fervore eorum delectatus, ſanctæque Romanæ Eccleſiæ præſcripti Legati literis rogatus, Monaſterium ligneum quod inceperant, de ſuis totum conſummavit, illoſque inibi in omnibus neceſſariis diù procuravit, & terris ac pecoribus abundè ſublevavit.

Hic *Odo* quadriennio poſt, cum in Aſiâ ire cogitaſſet & expeditionem adornaſſet jam jam exercitum traducturus (inquit Paradinus) immatura morte interceptus eſt, & in Ciſtercio ſepultus, ubi & *Henricus* eius filius ſecundo genitus Monachus effectus eſt.

CAPVT IV.

Quomodo locus ille in Abbatiam ſurrexerit.

EODEM tempore Abbas qui advenerat, ab Epiſcopo Diœceſis illius virgam Paſtoralem cum cura Monachorum, juſſu prædicti Legati ſuſcepit, Fratreſque qui ſecum advenerant, in eodem loco ſtabilitatem regulariter firmare fecit; ſicque Eccleſia illa in Abbatiam canonicè & Apoſtolica auctoritate creſcendo ſurrexit.



CAPVT V.

Quòd Moliſmenſes Monachi aures Domini Papæ pro reditu Roberti Abbatis inquietarunt.

IGITVR haud multo elapſo temporis ſpatio, Moliſmenſes Monachi voluntate Domni Godefridi Abbatis ſui qui Roberto ſucceſſerat, Dominum Urbanum Papam Romæ adeuntes poſtulare cœperunt, ut ſæpedictus Robertus in locum priſtinum reſtitueretur: quorum importunitate motus Papa mandavit Legato ſuo, Venerabili ſcilicet Hugoni, ut ſi fieri poſſet, idem Abbas reverteretur, & Monachi Eremum diligentes in pace conſiſterent.

CAPVT VI.

Epiſtola Domini Papæ pro reditu Roberti Abbatis.

VRBANVS Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili Fratri & Coepiſcopo Hugoni Apoſtolicæ Sedis Vicario, *Salutem & Apoſtolicam benedictionem.* Moliſmenſium Fratrum magnum clamorem accepimus in Concilio, Abbatis ſui reditum vehementiùs expoſtulantium. Dicebant enim Religionem in ſuo loco everſam, ſeque pro Abbatis illius abſentia, odio apud Principes & cæteros vicinos haberi. Coacti tandem à Fratribus noſtris dilectioni tuæ per præſentia ſcripta mandamus, ſignificantes gratum nobis exiſtere, ut ſi fieri poſſit Abbas ille ab Eremo ad ſuum Monaſterium reducatur. Quod ſi implere nequiveris, curæ tibi ſit, ut & qui Eremum diligunt conquieſcant, & qui in Cœnobio ſunt regularibus diſciplinis inſerviant. His Apoſtolicis literis lectis, Legatus, viros autenticos & religioſos convocavit, & de præſenti negotio quæ ſubter ſunt exarata definivit.

Is eſt Vrbanus II. anno D. 1088. ex Ordine Cluniacenſi aſſumptus.

CAPVT VII.

Decretum Legati de toto negotio Molismensium atque Cistercienſium.

HVGO Lugdunenſis Eccleſiæ ſervus, chariſſimo Fratri Roberto Lingonenſium Epiſcopo, *ſalutem*. Quid de negotio Moliſmenſis Eccleſiæ in colloquio apud portum anſillæ nuper habito, definiterimus, fraternitati veſtræ notificare neceſſarium duximus. Venerunt ante nos illuc cum literis veſtris Moliſmenſes Monachi, loci ſui deſolationem atque deſtructionem, quam per remotionem Abbatis Roberti incurrerant, oſtendentes, ipſumque ſibi reddi in Patrem magnoperè poſtulantes. Nullo modo enim ſperabant aliter pacem & quietem Moliſmenſi Eccleſiæ poſſe reſtitui, vel Monaſtici Ordinis vigorem in priſtinum ſtatum illic revocari. Affuit etiam in præſentia noſtra Frater Godefridus quem eidem Eccleſiæ in Abbatem ordinaviſtis, dicens ſe libenter ipſi Roberto, velut Patri ſuo locum daturum, ſi nobis placeret, ut eum Moliſmenſi Eccleſiæ remitteremus.

Audita igitur veſtra & ipſorum Moliſmenſium petitione, relectis etiam Domini Papæ literis ſuper hoc negotio nobis directis, totum diſpoſitioni & arbitrio noſtro committentis, tandem multorum virorum Religioſorum tam Epiſcoporum quàm aliorum, qui nobiſcum aderant conſilio, precibus veſtris & eorum acquieſcentes, Moliſmenſi Eccleſiæ ipſum reſtituere decrevimus; ita videlicet, ut priuſquam illuc redeat, Cabilonem veniens in manu Fratris noſtri Cabilonenſis Epiſcopi cui, ſecundum conſuetudinem cæterorum Abbatum, profeſſionem fecit: virgam & Abbatiæ curam reddat, atque Monachos novi Monaſterii, qui ei ſicut Abbati ſuo profeſſionem fecerunt & obedientiam promiſerunt, ab ipſa profeſſione & obedientia liberos & abſolutos dimittat, ac ſic ab ipſo Epiſcopo profeſſionis quam ei & Cabilonenſi Eccleſiæ fecit, abſolutionem accipiat.

Dedimus & licentiam cum eo Moliſmum redeundi omnibus illis Fratribus novi Monaſterii, qui eum ſequuti fuerant quando à *Novo Monaſterio* receſſerat, tali conditio-

ne, ut de cætero neutri neutros sollicitare vel recipere præsumant, nisi secundùm quod Beatus Benedictus Monachos noti Monasterii præcepit recipiendos. Postquam hæc supradicta fecerit, remittimus eum dilectioni vestræ, ut Molismensi Ecclesiæ illum in Abbatem restituatis; ita tamen, ut si deinceps eandem Ecclesiam solita levitate deseruerit, nullus ei substituatur, vivente præfato Gaufrido Abbate, absque nostro & vestro, & ejusdem Gaufridi assensu, quæ omnia Apostolica auctoritate rata esse præcipimus.

De Capella etiam prædicti Abbatis Roberti, & de cæteris rebus quas à Molismensi Ecclesia recedens secum tulit, & cum eis Cabilonensi Episcopo atque *Novo Monasterio* se reddidit, id statuimus: ut omnia Fratribus *Novi Monasterii* salva permaneant, præter Breviarium quoddam quod usque ad festivitatem Sancti *Ioannis Baptistæ* retinebunt, ut transcribant assensu Molismensium.

Huic autem Definitioni interfuerunt Episcopi Norigaudus Æduensis, Galterus Cabilonensis, Bertrandus Matisconensis, Pontius Bellicensis, & Abbates Petrus Trenorciensis, Iarento Divionensis, Gausceranus Athanacensis, Petrus quoque Camerarius Domini Papæ, multique alii viri honesti & boni testimonii.

Hæc omnia Abbas ille laudavit & fecit, absolvendo Cistercienses ab obedientia quam ei in illo vel in Molismensi loco promiserant, & Dominus Galterus Cabilonensis Episcopus Abbatem à cura illius Ecclesiæ liberum dimisit; sicque reversus est, & quidam Monachi cum eo, qui eremum non diligebant. Hac ergo ratione Apostolicaque dispensatione, istæ duæ Abbatiæ in pace & libertate summa remanserunt. Rediens verò Abbas secum pro scuto defensionis, has literas Episcopo suo detulit.

CAPUT VIII.

Commendatio Abbatis Roberti.

DILECTISSIMO Fratri & Coepiscopo Roberto Lingonensi Episcopo, Galterus Cabilonensis Ecclesiæ servus, Salutem. Notum sit vobis Fratrem Robertum, cui Abbatiam illam in nostro Episcopatu sitam, quæ

Novum Monasterium dicitur, commiseramus, à professione quam Cabilonensi Ecclesiæ fecit, & ab obedientia quam nobis promisit, secundùm Domini Archiepiscopi Hugonis definitionem à nobis esse absolutum. Ipse autem Monachos illos qui in præfato *Novo Monasterio* remanere decreverunt, ab obedientia quam sibi promiserant, absolvit & liberos dimisit. Illum igitur amodo suscipere & honorificè tractare ne vereamini. *Valete.*

CAPUT IX.

De Electione Alberici primi Abbatis Cisterciensis Ecclesiæ.

VIDUATA igitur suo Pastore Cisterciensis Ecclesia, convenit ac Regulari Electione quemdam Fratrem, *Albericum* nomine, in Abbatem sibi promovit: Virum scilicet literatum, in divinis & humanis satis gnarum, amatorem Regulæ & Fratrum, quique Prioris Officium, & in Molismensi & in illa diutiùs gerebat Ecclesia, multumque diù nitendo laboraverat, ut ad illum de Molismo transmigrarent locum; & pro hoc negotio, multa opprobria, carcerem & verbera perpessus fuerat.

Etsi hîc *Albericus* dicatur primus Abbas Cistercii, nihilominùs non-nisi secundus dicendus est, saltem si pro primo illius loci Abbate S. Robertum numeres, ut vel ex contextu capitis numerandū esse patet. Porrò electus est *Albericus* ann D. 1099. ita ut ad annum & tres aut quatuor duntaxat menses præfuerit Cistercio Sanctus Robertus.

CAPUT X.

De Privilegio Romano.

PRÆFATUS ALBERICUS cura Pastorali, licet multùm renitens, susceptâ, cogitare cœpit, veluti Vir mirabilis prudentiæ, quæ tribulationum procellæ, domum sibi creditam aliquando concutientes, vexare possent: & præcavens in futurum, cum consilio Fratrum transmisit Monachos duos, *Ioannem* & *Ilbodum* Romam, Dominum Papam Paschalem per eos exorans, ut Ecclesia sua sub Apostolicæ protectionis alis quieta & tuta, ab omnium Ecclesiasticarum sæculariumve pressura personarum perpetuò sederet. Qui Fratres prædicti Hugonis Archiepiscopi, Ioannisque & Benedicti Romanæ Ecclesiæ

Cardina-

Cardinalium, Galterique Cabilonenſis Epiſcopi literis ſigillatis freti, Romam proſperè ierunt & redierunt, antequàm ipſe *Paſchalis Papa in captione poſitus Imperatoris peccaret*, reportantes ejuſdem Apoſtolici privilegium juxta votum Abbatis ſociorumque ejus per omnia exaratum. Has Epiſtolas, privilegium etiam Romanum congruum duximus in hoc opuſculo relinquere, ut poſteri noſtri intelligant, quàm magno conſilio & auctoritate eorum Eccleſia ſit fundata.

Paſchalis Papa hujus nominis II. ex Ordine item Cluniacenſi in Summum Pontificem electus ann. Dom. 1099. dicitur peccaſſe, ob inveſtituras Beneficiorum, quas ultrocitroque Imperatori Henrico IV. (vel ut aliis placet) V. conceſſit.

CAPUT XI.

Epiſtola Ioannis & Benedicti Cardinalium.

DOMINO Patri Paſchali & undique laude eximia prædicando, Ioannes & Benedictus ſeipſos per omnia.

Quia noſtri moderaminis eſt omnibus Eccleſiis providere, & juſtis poſcentium votis manum porrigere, veſtræque juſtitiæ adjumento Religio Chriſtiana fulta, debet incrementa ſumere, veſtram ſanctitatem obnixiùs deprecamur, quatenùs harum literarum bajulis, noſtro conſilio, à quibuſdam Religioſis Fratribus Paternitati veſtræ miſſis, aures veſtræ pietatis flectere dignemini. Petunt enim, ut præceptum quod de quiete & ſuæ Religionis ſtabilitate à prædeceſſore veſtro Domino noſtro beatæ memoriæ Papa Urbano acceperunt, & quod ſecundùm ejuſdem præcepti tenorem, Archiepiſcopus Lugdunenſis tunc Legatus & alii Coepiſcopi & Abbates inter eos & Moliſmenſium Abbatiam, à qua Religionis causâ diſceſſerunt, definierunt, veſtræ auctoritatis privilegio in perpetuum maneat inconvulſum; ipſi enim vidimus, eorumque veræ Religioni teſtimonium perhibemus.

Hi duo Cardinales agebant tunc in Galliis, illuc miſſi à Paſchali II. ut Bertam Reginam Philippo I. Francorum Regi reconciliarent.

CAPUT XII.

Epiſtola Hugonis Lugdunenſis.

REVERENDISSIMO Patri & Domino ſuo Paſchali Papæ, Hugo Lugdunenſis Eccleſiæ ſervus, per omnia ſeipſum.

Fratres isti præsentium Geruli ad Paternitatis vestræ celsitudinem tendentes per nos transitum fecerunt, & quia infra provinciam nostram videlicet in Episcopatu Cabilonensi mansionem habent, humilitatis nostræ literis apud celsitudinem vestram se commendari petierunt. Sciatis autem eos esse de quodam loco qui *Novum Monasterium* vocatur, ad quem de Molismensi Ecclesia cum Abbate suo exeuntes, propter *arctiorem & Secretiorem vitam*, secundum Regulam Beati Benedicti quam proposuerunt tenendam, habitandum venerunt: depositis quorundam Monasteriorum consuetudinibus, imbecillitatem suam ad tantum pondus sustinendum imparem judicantes. Unde Molismensis Ecclesiæ Fratres, & quidam alii adjacentes Monachi, eos infestare & inquietare non desinunt, æstimantes se viliores & despectiores haberi apud sæculum, si isti quasi singulares & novi Monachi habitare inter eos videantur. Quapropter desideratissimam nobis Paternitatem vestram humiliter & cum fiducia deprecamur, ut Fratres istos totam spem suam, in vobis post Deum ponentes, & idcirco ad Apostolatûs vestri auctoritatem confugientes, benignè pro more vestro respiciatis, & eos & locum ipsorum ab hac infestatione & inquietudine liberando auctoritatis vestræ privilegio muniatis, utpotè pauperes Christi, nullam contra æmulos suos, divitiis & potentiâ defensionem parantes, sed in sola Dei & vestra clementia spem habentes.

CAPUT XIII.

Epistola Cabilonensis Episcopi.

VENERABILI Patri Papæ Paschali, Valterus Cabilonensis Episcopus, *Salutem* & debitam subjectionem.

Sicut sanctitas vestra, ut fideles in vera Religione proficiant, ardenter desiderat, sic eisdem vestræ protectionis umbram, & vestræ consolationis fomentum deesse non expedit. Suppliciter ergo petimus quatenùs quod factum est de Fratribus illis qui *arctioris vitæ* desiderio à Molismensi Ecclesia sanctorum Virorum consilio recesserunt, quos in nostro Episcopatu divina pietas collocavit,

à quibus transmissi præsentium bajuli vobis præsentes adsunt, secundùm prædecessoris vestri præceptum, & Lugdunensis Archiepiscopi Apostolicæ Sedis tunc Legati, & Coepiscoporum & Abbatum definitionem & scriptum; cui rei nos præsentes & ejus auctores cum aliis extitimus, vos approbare, & ut locus ille Abbatia libera in perpetuum maneat, (salvâ tamen personæ nostræ successorumque nostrorum canonicâ reverentiâ) auctoritatis vestræ privilegio corroborare dignemini. Sed & Abbas quem in eodem loco ordinavimus & cæteri Fratres, totis viribus hanc confirmationem in suæ quietis tutelam à vestra flagitant pietate.

CAPVT XIV.

Privilegium Romanum.

PASCHALIS Episcopus servus servorum Dei, Venerabili Alberico *Novi Monasterii* Abbati, quod in Cabilonensi Parochia situm est, ejusque successoribus regulariter substituendis in perpetuum.

Desiderium, quod ad religiosum propositum & animarum salutem pertinere monstratur, auctore Deo, sine aliqua est dilatione complendum. Unde nos, (ô filii in Domino dilectissimi) citra difficultatem omnem, vestrarum precum petitionem admittimus, quia Religioni vestræ paterno congratulamur affectu. Locum igitur illum quem inhabitandum pro quiete monastica elegistis, ab omnium mortalium molestiis tutum ac liberum fore sancimus, & Abbatiam illic perpetuò haberi, ac sub Apostolicæ Sedis tutelâ specialiter protegi, salvâ Cabilonensis Ecclesiæ canonicâ reverentiâ, roboramus. Præsentis igitur decreti paginâ interdicimus, ne cuiquam omninò personæ liceat statum vestræ conversationis mutare, neque vestri (*quod novum dicitur*) Monasterii Monachos sine regulari commendatione suscipere: neque Congregationem vestram astutiis quibuslibet aut violentiis perturbare. Eam sanè controversiæ decisionem quam inter vos & Molismensis Claustri Monachos, frater noster Lugdunensis Episcopus tunc Apostolicæ Sedis Vicarius,

cum Provinciæ Episcopis aliisque Religiosis viris ex præcepto prædecessoris nostri Apostolicæ memoriæ Vrbani II. perpetravit: Nos tanquam rationabilem ac laudabilem confirmamus.

Vos igitur filii in Christo dilectissimi & desideratissimi, meminisse debetis, quia pars vestri sæculares latitudines, pars ipsas etiam Monasterii laxioris minùs austeras angustias reliquistis. Ut ergo hac semper gratia habeamini digniores, Dei semper timorem & amorem in vestris cordibus habere satagite, ut quantò à sæcularibus tumultibus & deliciis liberiores estis, tantò ampliùs placere Deo totis mentis & animæ virtutibus anheletis.

Sanè si quis in crastinum Archiepiscopus aut Episcopus, Imperator aut Rex, Princeps aut Dux, Comes aut Vicecomes, Iudex aut Ecclesiastica quælibet sæcularisve persona hanc nostræ Constitutionis paginam sciens, contra eam venire tentaverit, secundò tertiòve commonitâ, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo corpore & sanguine Dei & Domini nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus, sit pax Domini nostri Iesu Christi; quatenùs & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant.

CAPVT XV.

Instituta Monachorum Cisterciensium de Molismo venientium.

DEHINC Abbas ille & Fratres ejus non immemores sponsionis suæ, Regulam Beati Benedicti in illo loco ordinare, & unanimiter statuerunt tenere; rejicientes à se quicquid Regulæ refragabatur, froccos videlicet & pellicias, staminias & caputia, stramina lectorum ac diversa ciborum in Refectorio fercula, sagimen etiam & cætera omnia quæ puritati Regulæ adversabantur. Sicque rectitudinem Regulæ super cunctum vitæ suæ teno-

rem ducentes tam in Ecclesiasticis quàm in cæteris observationibus, Regulæ vestigiis sunt adæquati seu conformati. Exuti ergo veterem hominem, novum se induisse gaudebant. Et quia nec in Regula, nec in vita Sancti Benedicti, eundem Doctorem legebant possedisse Ecclesias vel Altaria, seu oblationes, aut sepulturas, vel decimas aliorum hominum, seu furnos, vel molendina, aut villas, vel rusticos, nec etiam fœminas Monasterium ejus intrasse, nec mortuos ibidem, excepta sorore sua, sepelivisse: Ideò hæc omnia abdicarunt dicentes, ubi S. Pater Benedictus docet, *ut Monachus à sæcularibus actibus se faciat alienum*, ibi liquidò testatur, hæc non debere versari in actibus vel cordibus Monachorum, qui nominis sui etymologiam, hæc fugiendo, sectari debent.

S. Ben. in Reg. cap. 4. de Instrum. bonorum operum.

Decimas quoque aiebant à Sanctis Patribus, qui organa erant Spiritûs Sancti, quorumque Statuta transgredi sacrilegium est committere, in quatuor partes distributas; unam scilicet Episcopo, alteram Presbytero, tertiam hospitibus ad illam Ecclesiam venientibus, seu viduis & orphanis, seu pauperibus aliundè victum non habentibus, quartam denique restaurationi Ecclesiæ. Et quia in hoc computo personam Monachi, qui terras possidet suas unde & per se & per pecora sua laborando vivat non reperiebant, idcircò hæc veluti aliorum jus sibi usurpare detrectabant.

Ecce hujus sæculi divitiis spretis cœperunt novi Milites Christi, cum paupere Christo pauperes, inter se tractare quo ingenio, quove artificio, seu quo exercitio in hac vita se, hospites, divites ac pauperes supervenientes, quos ut Christum suscipere præcipit Regula, sustentarent. Tuncque definierunt se Conversos laïcos barbatos ex licentia Episcopi sui suscepturos, eosque in vita sua & in morte, excepto Monachatu, ut semetipsos tractaturos, & homines etiam mercenarios; quia sine adminiculo istorum non intelligebant se plenariè sive die sive nocte, præcepta Regulæ posse servare; Suscepturos quoque terras ab habitatione hominum remotas, & Vineas & Prata & Sylvas, aquasque, ad facienda Molendina ad proprios tantùm usus & ad piscationem, & equos, pecoraque diversa necessitati hominum utilia, & cùm alicubi curtes ad agriculturas exercendas instituissent, de-

De his Conversis seu Fratribus Laicis agetur pleniùs in eorũ Usibus & in Distinct. 14. Libelli Definitionum & dist. 14. Institutionum Cap. Gen.

creverunt, ut prædicti Conversi domos illas regerent non Monachi, quia habitatio Monachorum secundùm *Regulam* debet esse in Claustro ipsorum.

Reg. S. Bened. Cap. 66.

Quia etiam Beatum Benedictum non in Civitatibus, nec in Castellis aut in Villis, sed in locis à frequentia populi semotis Cœnobia construxisse, Sancti viri illi sciebant, idem se æmulari promittebant. Et sicut ille Monasteria constructa per duodenos Monachos adjuncto patre Abbate disponebat, sic se acturos confirmabant.

CAPUT XVI.

De Mœstitia eorum.

ILLUD virum Dei prædictum scilicet Abbatem & suos, aliquantulum mœstitiæ subdidit, quod raró quis illis diebus illuc ad eos imitandos veniret. Viri enim sancti thesaurum virtutum cœlitùs inventum, successoribus ad multorum salutem profuturum committere gestiebant. Sed ferè omnes videntes & audientes vitæ eorum asperitatem insolitam, & quasi inauditam, plus corde & corpore elongare, quàm eis approximare se festinabant, & de perseverantia ipsorum titubare non cessabant. Sed Dei misericordia, qui hanc militiam spiritalem suis inspiravit, ad multorum profectum, egregiè eam amplificare & consummare non cessavit, sicuti sequentia declarabunt.

Vide Guillelm. sancti Theodorici Abbatem in libro primo vitæ S. Bernardi cap. 8.

CAPUT XVII.

De morte primi Abbatis & promotione secundi, & de Institutis eorum.

Nota iterùm, hic non numerari Sanctum Robertum inter Abbates Cistercii.

VIR autem Domini *Albericus* in schola Christi per novem annos & dimidium regulari disciplina fœliciter exercitatus, migravit ad Dominum, fide & virtutibus gloriosus, & ideò in vita æterna à Deo meritò beandus. Huic successit quidam Frater, *Stephanus* nomine, Anglicus natione, qui & ipse cum aliis de Molismo illuc advenerat, quique amator Regulæ & loci erat. Hujus temporibus interdixerunt Fratres unà cum eodem

Vocabatur Stephanus Hardingus S. Alberico suffectus an. D. circiter 1109. cùm absens esset, inquit *Guillel. Malmesb.*

Abbate ; ne Dux illius terræ ſeu alius aliquis Princeps Curiam ſuam aliquo tempore in Eccleſia illa tenerent, ſicuti antea in ſolennitatibus agere ſolebant. Deinde ne quid in domo Dei in qua die ac nocte Deo ſervire devotè cupiebant remaneret, quod ſuperbiam aut ſuperfluitatem redoleret, aut paupertatem virtutum cuſtodem quam ſpontè elegerant, aliquando corrumperet. Confirmaverunt etiam ne retinerent Cruces aureas ſeu argenteas, ſed tantummodo ligneas coloribus depictas, neque candelabra niſi unum ferreum, neque thuribula niſi cuprea vel ferrea, neque caſulas niſi de fuſtaneo vel lino ſine pallio auroque, & argento, neque albas vel amictus niſi de lino, ſimiliter ſine pallio, auro vel argento, Pallia verò atque dalmaticas, cappas, tunicaſque ex toto dimiſerunt. Sed & calices argenteos non aureos, ſed ſi fieri poterit deauratos, & fiſtulam argenteam, & ſi poſſibile fuerit deauratam: Stolas quoque ac manipulos de pallio tantum, ſine auro & argento retinuerunt. Palliæ autem Altarium, ut de lino fierent & ſine pictura planè præcipiebant, & ut ampullæ vinariæ ſine auro & argento fierent.

Illis diebus in terris & vineis ac pratis curtibuſque eadem Eccleſia crevit, nec religione decrevit. Ergo iſtis temporibus viſitavit Dominus locum illum viſcera miſericordiæ ſuæ effundens ſuper ſe petentes, ad ſe clamantes, coram ſe lachrymantes, die ac nocte longa profundaque ſuſpiria trahentes, & fere oſtio deſperationis appropinquantes, pro eo quod ſucceſſoribus penè carerent. Nam tot Clericos literatos & nobiles, in ſæculo potentes æque & nobiles, uno tempore ad illam Dei gratia tranſmiſit Eccleſiam, ut triginta ſimul in cellam novitiorum alacriter intrarent, ac benè contra propria vitia & incitamenta malignorum ſpirituum fortiter decertando, curſum ſuum conſummarent. Quorum exemplo ſenes & juvenes, diverſæque ætatis homines in diverſis mundi partibus animati, videntes ſcilicet in iſtis poſſibile fore, quod antea impoſſibile in cuſtodienda Regula formidabant, illuc concurrere, ſuperba colla jugo Chriſti ſuavi ſubdere, dura & aſpera Regulæ præcepta ardenter amare, Eccleſiamque illam mirabiliter lætificare & corroborare cœperunt.

CAPVT XVIII.

De Abbatiis quas extruxerunt.

ABHINC Abbatias in diversis Episcopatibus ordinaverunt, quæ tam larga potentique benedictione Domini in dies crescebant, ut infra octo annos, inter illos qui de Cisterciensi Cœnobio specialiter fuerant egressi, & cæteros qui ex iisdem fuerant exorti, *duodecim Cœnobia* constructa fuerint inventa.

Hæc *duodecim Cœnobia* ex Cistercio nata, his nominibus indigetantur. *Firmitas, Pontigniacum, Claravallis, Morimundus, Prulliacum, Tres-Fontes, Curia Dei, Bonævallis, Bonus radius, Cadunium, Fontanetum, Mansus-Ade seu Mansiada.*



NOMASTICON

NOMASTICON
CISTERCIENSE
SEV
ANTIQVIORES
CISTERCIENSIS
ORDINIS CONSTITVTIONES.

PRIMA PARS.

COMPLECTENS EAS QVÆ AB ORIGINE Ordinis usque ad tempora VRBANI IV. & CLEMENTIS IV. Primo scilicet prædicti Ordinis Sæculo sancitæ sunt.

CVM ſecundum Evangelicam veritatem, qui Mandata Dei propter Traditiones tranſgrediuntur humanas, à Domino arguantur: arctiſſimè interdicimus, ne propter noſtras Traditiones vel Conſtitutiones, Regularia Beati Benedicti Statuta aliquatenùs obmittantur.

GREG. IX. & NICOLAVS IV. Rom. Pontifices.



ADMONITIO
IN REGVLAM
S. BENEDICTI ABBATIS.



VM hæc ſanctiſſimi Patris noſtri Benedicti Regula, ſit prima, præcipua ac fundamentalis Lex Ordinis Ciſtercienſis, huic illam NOMASTICO præmittendam cenſuimus, tum ut principem in eo obtineat locum quæ cæterarum eſt facilè princeps, tum ut cæteris inter legendum cum ea compoſitis clariùs innoteſcat, quantâ reliquæ omnes in illius ſenſum & litteram ipſam conſenſione ac Religione conſpirent. Quemadmodum enim, teſte *Petro Cellenſi*, Ciſtercienſis Ordinis Patribus curæ fuit ut hanc Regulam, ſicut olim Eſdras veterem Legem, ab interitu vindicarent: ſic & illis, teſte *Guillelmo Malmesburienſi*, Religioni fuit, ne vel Iota unum aut Apicem ex illa præterirent. Hujus igitur Regulæ Capitibus quaſi ſpiritualis alicujus ſcalæ gradibus conſcenſis (*ac delicatis magis quam neceſſariis condeſcenſionibus exploſis* (*inquit Petrus Cluniacenſis*) eâdem viâ & eâdem veluti ſcalâ quâ ſanctiſſimus eorum Parens Cœlum conſcendere ſtatuerunt. *Ille enim ſpiritualem hanc erexit ſcalam cujus ſummitas Cœlos tangit*, ait S. Bernardus, *quod in ejus glorioſo tranſitu evidenti miraculo legimus commendatum, Beato Papa Gregorio ſic ſcribente.* [*Inter diſcipulorum manus imbecilla membra ſuſtentans, erectis in Cœlum manibus ſtetit & ultimum ſpiritum inter verba orationis efflavit. Quâ ſcilicet die duobus fratribus, uni longiùs poſito, alteri autem in Cella commoranti, revelatio unius atque indiſſimilis viſionis apparuit. Viderunt namque, quia ſtrata palliis & innumeris coruſca lampadibus via recta orientis tramite, ab eius Cella in Cœlum uſque tendebatur, cui venerando habitu vir deſuper clarus aſſiſtens, cujus eſſet via quam cernerent inquiſivit. Illi verò ſe neſcire profeſſi ſunt. Quibus ille ait, hæc eſt via qua dilectus Domini Cœlum Benedictus aſcendit.*] *Quæ eſt enim via ab ejus Cella progrediens, niſi Ordo quem idem vir Beatus inſtituit & forma vitæ quæ ab eo ſumpſit exordium? quâ nimirum viâ Domini Dilectus aſcendit, quia non potuit vir ſanctus aliter docere quam vixit. Et hæc quidem eorum vel maxima fiducia eſt qui ipſius utcumque ſtudent inhærere veſtigiis, ipſum Præceptorem præviumque ſequuntur. Neque enim venire aliquatenus in dubium poteſt, quin omninò ſacer ſit modus converſationis & divinâ magis inſpiratione atque conſilio, quàm humanâ prudentiâ vel inventione formatus, quo nimirùm tantam in vita gratiam ſanctitatis, tantam poſt obitum*

Petrus Cellenſis Epiſt. 26. lib. 6.

Guillelm. Malmesb. lib. 4. de geſtis Reg. Angliæ.

Petrus Clun. Epiſt. 16. lib. 5.


S. Bern. Tract. de contemptu mundi ſeu de vita & mor. Clericorum c. 14.

CVM secundum Evangelicam veritatem, qui Mandata Dei propter Traditiones transgrediuntur humanas, à Domino arguantur: arctissimè interdicimus, ne propter nostras Traditiones vel Constitutiones, Regularia Beati Benedicti Statuta aliquatenùs obmittantur.

GREG. IX. & NICOLAVS IV. Rom. Pontifices.



ADMONITIO
IN REGULAM
S. BENEDICTI ABBATIS.



CUM hæc sanctissimi Patris nostri Benedicti Regula, sit prima, præcipua ac fundamentalis Lex Ordinis Cisterciensis, huic illam NOMASTICO præmittendam censuimus, tum ut principem in eo obtineat locum quæ cæterarum est facilè princeps, tum ut cæteris inter legendum cum ea compositis clariùs innotescat, quantâ reliquæ omnes in illius sensum & litteram ipsam consensione ac Religione conspirent. Quemadmodum enim, teste *Petro Cellensi*, Cisterciensis Ordinis Patribus curæ fuit ut hanc Regulam, sicut olim Esdras veterem Legem, ab interitu vindicarent: sic & illis, teste *Guillelmo Malmesburiensi*, Religioni fuit, ne vel Iota unum aut Apicem ex illa præterirent. Hujus igitur Regulæ Capitibus quasi spiritualis alicujus scalæ gradibus conscensis (*ac delicatis magis quam necessariis condescensionibus explosis* (*inquit Petrus Cluniacensis*) eàdem viâ & eàdem veluti scalâ quâ sanctissimus eorum Parens Cœlum conscendere statuerunt. *Ille enim spiritualem hanc erexit scalam cujus summitas Cælos tangit*, ait S. Bernardus, *quod in ejus glorioso transitu evidenti miraculo legimus commendatum, Beato Papa Gregorio sic scribente.* [*Inter discipulorum manus imbecilla membra sustentans, erectis in Cælum manibus stetit & ultimum spiritum inter verba orationis efflavit. Quâ scilicet die duobus fratribus, uni longiùs posito, alteri autem in Cella commoranti, revelatio unius atque indissimilis visionis apparuit. Viderunt namque, quia strata palliis & innumeris corusca lampadibus via recta orientis tramite, ab eius Cella in Cælum usque tendebatur, cui venerando habitu vir desuper clarus assistens, cujus esset via quam cernerent inquisivit. Illi verò se nescire professi sunt. Quibus ille ait, hæc est via qua dilectus Domini Cælum Benedictus ascendit.*] *Quæ est enim via ab ejus Cella progrediens, nisi Ordo quem idem vir Beatus instituit, & forma vitæ quæ ab eo sumpsit exordium? quâ nimirum viâ Domini Dilectus ascendit, quia non potuit vir sanctus aliter docere quam vixit. Et hæc quidem eorum vel maxima fiducia est qui ipsius utcumque student inhærere vestigiis, ipsum Præceptorem præviumque sequuntur. Neque enim venire aliquatenùs in dubium potest, quin omninò sacer sit modus conversationis & divinâ magis inspiratione atque consilio, quàm humanâ prudentiâ vel inventione formatus, quo nimirùm tantam in vita gratiam sanctitatis, tantam post obitum*

Petrus Cellensis Epist. 26. lib. 6.

Guillelm. Malmesb. lib. 4. de gestis Reg. Angliæ.

Petrus Clun. Epist. 16. lib. 5.

S. Bern. Tract. de contemptu mundi seu de vita & mor. Clericorum c. 14.

gloriam fælicitatis idem verè Benedictus obtinuit. Hanc porrò Regulam *discretione præcipuam & sermone luculentam*, inquit *sanctus Gregorius*, ab eodem sanctissimo Legislatore, primùm quidem in spelunca Sublacensi conceptam ac subinde Spiritu Sancto *a* dictante conscriptam (etsi de anno non constet): hanc, inquam, à prima sui origine summorum Pontificum Oraculis, Conciliorum Sanctionibus, Sanctorum qui sub illa floruerunt innumera multitudine, duodecim quæ sub illa militant Congregationum seu Ordinum Institutione, Doctissimorum quorumque imò & Populorum consensione consecratam, nullus omninò ignorat. Hæc Apostolicæ Sedi Summos Pontifices 46. Cardinales 200. aliis Ecclesiis Archiepiscopos 1564. Episcopos 4600. Orbi Christiano Monachos & Sanctimoniales omni virtutum genere præcellentes, Cœlo denique Sanctos Sanctasque supra numerum efformavit, suppeditavit, adscripsit.

a S. Petr. Dam. Opuscul. 13. c. 6. Sancta Hildegardis in vita S. Disibodi apud Surium. Godefr. Vind. serm. de S. Ben. Tritbem lib. 1. in Reg. S. Ben.



S. BENEDICTI ABBATIS
IN REGVLAM SVAM
PROLOGVS.



AVSCVLTA, ô fili, præcepta Magistri, & inclina aurem cordis tui: & admonitionem pii Patris libenter excipe, & efficaciter comple: ut ad eum per obedientiæ laborem redeas, à quo per inobedientiæ desidiam recesseras. Ad te ergo nunc meus sermo dirigitur, quisquis abrenuntians propriis voluntatibus Domino Christo vero Regi militaturus, obedientiæ fortissima, atque præclara arma assumis.

In primis, ut quidquid agendum inchoas bonum, ab eo perfici instantissima oratione deposcas: ut qui nos jam in filiorum dignatus est numero computare, non debeat aliquando de malis actibus nostris contristari. Ita enim ei omni tempore de bonis suis in nobis parendum est: ut non solùm ut iratus pater non aliquando filios suos exhæredet; sed nec ut metuendus dominus irritatus malis nostris, ut nequissimos servos perpetuam tradat ad pœnam, qui eum sequi noluerint ad gloriam.

Exurgamus ergo tandem aliquando, excitante nos Scriptura ac dicente: Hora est jam nos de somno surgere. *Et apertis oculis nostris ad deificum lumen, attonitis auribus audiamus, divina quotidie clamans, quid nos admoneat vox, dicens:* Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare

Ad Rom. c. 13.

Psal. 92.

corda vestra. *Et iterùm:* Qui habet aures audiendi, audiat quid spiritus dicat Ecclesiis. *Et quid dicit?* Venite filii, audite me, timorem Domini docebo vos. Currite dum lumen vitæ habetis, ne tenebræ mortis vos comprehendant. *Et quærens Dominus in multitudine populi cui hæc clamat, operarium suum, iterùm dicit:* Quis est homo qui vult vitam, & cupit videre dies bonos? *Quod si tu audiens respondeas, Ego: dicit tibi Deus. Si vis habere vitam,* prohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum: diverte à malo & fac bonum: inquire pacem & sequere eam. *Et cùm hæc feceritis, oculi mei super vos, & aures meæ ad preces vestras: &* antequam me invocetis, dicam, Ecce adsum. *Quid dulcius nobis hac voce Domini invitantis nos, fratres charissimi? Ecce pietate sua demonstrat nobis Dominus viam vitæ.*

Apocal. 2. *Psal. 33.* *Ioan. 12.* *Psal. 33.* *Ibid.* *Isaiæ cap. 65.*

Succinctis ergo fide vel observantia bonorum actuum lumbis nostris, & calceatis pedibus, per ducatum Evangelii pergamus itinera ejus: ut mereamur eum qui nos vocavit, in regno suo videre. In cujus regni tabernaculo si volumus habitare, nisi illuc bonis actibus currendo minimè pervenitur. Sed interrogemus per Prophetam Dominum, dicentes ei. Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo: aut quis requiescet in monte sancto tuo? *Post hanc interrogationem, fratres, audiamus Dominum respondentem, & ostendentem nobis viam ipsius tabernaculi ac dicentem.* Qui ingreditur sine macula & operatur justitiam: qui loquitur veritatem in corde suo: qui non egit dolum in lingua sua: qui non fecit proximo suo malum, & opprobrium non accepit adversus proximum suum. *Qui malignum Diabolum aliqua suadentem sibi, cum ipsa suasione sua à conspectibus cordis sui respuens, deduxit ad nihilum, & parvulos cogitatus ejus tenuit, & allisit ad Christum. Qui timentes Dominum de bona observantia sua non se reddunt elatos: sed ipsa in se bona, non à se posse, sed à Domino fieri existimantes, operantem in se Dominum magnificant, illud cum Propheta dicentes.* Non nobis, Domine, non nobis: sed nomini tuo da gloriam. *Sicut nec Paulus Apostolus de prædicatione sua sibi aliquid imputavit, dicens:* Gratia Dei sum id quod sum. *Et iterùm ipse dicit:* Qui gloriatur, in Domino glorietur. *Vnde & Dominus in Evangelio ait,* Qui audit verba mea hæc, &

Psalm. 14. *Psalm. 113.* *1. Cor. cap. 15.* *Ibid. cap. 1.* *Math. 7.*


facit ea, similabo eum viro sapienti, qui ædificavit domum suam supra petram: venerunt flumina, flaverunt venti & impegerunt in domum illam, & non cecidit: fundata enim erat supra petram. *Hæc complens Dominus, expectat nos quotidie, his suis sanctis monitis, factis nos respondere debere. Ideo nobis propter emendationem malorum, hujus dies vitæ ad inducias relaxantur, dicente Apostolo:* An nescis quia patientia Dei ad pœnitentiam te adducit? *Nam pius Dominus dicit.* Nolo mortem peccatoris, sed ut convertautr, & vivat.


Rom. cap. 2.

Ezech. cap. 18.

Cum ergo interrogassemus Dominum, fratres, de habitatore tabernaculi ejus, audivimus habitandi præceptum: sed si compleamus habitatoris officium, erimus hæredes Regni Cælorum. Ergo præparanda sunt corda & corpora nostra sanctæ præceptorum obedientiæ militatura: & quod minus habet in nobis natura possibile; rogemus Dominum, ut gratiæ suæ jubeat nobis adjutorium ministrari. Et si fugientes gehennæ pœnas, ad vitam perpetuam volumus pervenire; dum adhuc vacat & in hoc corpore sumus, & hæc omnia per hanc lucis usuram vacat implere: currendum & agendum est modò, quod in perpetuum nobis expediat.

Constituenda est ergo à nobis Dominici schola servitii: in qua institutione nihil asperum, nihilque grave nos constituturos speramus. Sed & si quid paululùm restrictius, dictante æquitatis ratione, propter emendationem vitiorum, vel conservationem charitatis processerit; non illicò pavore perterritus refugias viam salutis, quæ non est nisi angusto initio incipienda. Processu verò conversationis & fidei, dilatato corde, inenarrabili dilectionis dulcedine, curritur via mandatorum Dei: ut ab ipsius nunquam magisterio discedentes, in ejus doctrina usque ad mortem in Monasterio perseverantes, passionibus Christi per patientiam participemus, ut & regni ejus mereamur esse consortes.





INCIPIT REGULA

SANCTISSIMI PATRIS NOSTRI BENEDICTI ABBATIS.

CAPUT I.

De generibus Monachorum.



ONACHORUM quatuor esse genera manifestum est. Primum *Cœnobitarum :* hoc est, monasteriale, militans sub Regula vel Abbate. Deinde, secundum genus est *Anachoretarum*, id est, Eremitarum : horum qui non conversionis fervore novitio, sed Monasterii probatione diuturna, didicerunt contra Diabolum multorum solatio jam docti pugnare : & bene instructi fraterna ex acie ad singularem pugnam eremi, securi jam sine consolatione alterius, sola manu vel brachio, contra vitia carnis vel cogitationum, Deo auxiliante, sufficiunt pugnare.

Tertium verò Monachorum teterrimum genus, est *Sarabaïtarum*, qui nullâ Regulâ approbati & experientiâ magistri sicut aurum fornacis : sed in plumbi natura molliti adhuc operibus servantes sæculo fidem, mentiri Deo per tonsuram noscuntur. Qui bini aut terni, aut certè singuli sine pastore, non Dominicis, sed suis inclusi ovilibus, pro lege eis est desideriorum voluptas : cùm quicquid putaverint vel elegerint, hoc dicunt sanctum ; & quod noluerint, putant non licere.

Sarabaïtarum id est sibi viventiū *linguâ Ægyptiacâ.*

Quartum verò genus, est Monachorum quod nominatur *Gyrovagum*, qui totâ vitâ suâ per diversas provincias ternis aut quaternis diebus per diversorum Cellas hospitantur, semper vagi & nunquam stabiles, & propriis voluptatibus & gulæ illecebris servientes, & per omnia

Gyrovagi id est Circumcelliones, seu circū Cellas vagantes. *S. Aug. in Psalm.* 132.

deteriores Sarabaïtis. De quorum omnium miserrima conversatione, melius est silere quam loqui. His ergo omissis, ad *Cœnobitarum* fortissimum genus disponendum, adjuvante Domino, veniamus.

Cap. II.

Qualis debeat esse Abbas.

ABBAS qui præesse dignus est Monasterio, semper meminisse debet, quod dicitur: & nomen Majoris, factis implere; Christi enim agere vices in Monasterio creditur, quando ipsius vocatur prænomine, dicente Apostolo: *Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba pater.* Ideóque Abbas nihil extra præceptum Domini (quod absit) debet aut docere aut constituere, vel jubere: sed jussio ejus vel doctrina, fermentum divinæ justitiæ in discipulorum mentibus conspergatur. Memor sit semper Abbas, quia doctrinæ suæ vel discipulorum obedientiæ, utrarumque rerum in tremendo judicio Dei facienda erit discussio. Sciátque Abbas culpæ pastoris incumbere, quicquid in ovibus paterfamilias utilitatis minus potuerit invenire. Tantum iterùm liber erit, si inquieto vel inobedienti gregi pastoris fuerit omnis diligentia attributa, & morbidis earum actibus universa fuerit cura exhibita: pastor earum in judicio Domini absolutus, dicat cum Propheta Domino: *Justitiam tuam non abscondi in corde meo, veritatem tuam & salutare tuum dixi:* ipsi autem contemnentes spreverunt me. Et tunc demùm inobedientibus curæ suæ ovibus pœna sit eis prævalens ipsa mors.

Rom. c. 8.

Psal. 39.

Ergo cùm aliquis suscipit nomen Abbatis, duplici debet doctrinâ suis præesse discipulis; id est, omnia bona & sancta, factis ampliùs quàm verbis ostendere: ut capacibus discipulis mandata Domini verbis proponat: duris verò corde & simplicioribus, factis suis divina præcepta demonstret. Omnia verò quæ discipulis docuerit esse contraria, in suis factis indicet non agenda: ne aliis prædicans, ipse reprobus inveniatur; ne quando dicat illi Deus peccanti. *Quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Tu verò odisti disciplinam, &* *proje-*

1. Cor. c. 9.
Psal. 49.

projecisti sermones meos post te. Et, *qui in fratris tui oculo festucam videbas, in tuo trabem non vidisti.* Matth. c. 7.

Non ab eo persona in Monasterio discernatur. Non unus plus ametur quàm alius : nisi quem in bonis actibus aut obedientia invenerit meliorem. Non præponatur ingenuus ex servitio convertenti, nisi alia rationabilis causa existat. Quòd si ita, justitia dictante, Abbati visum fuerit, de cujuslibet ordine id faciat : sin aliàs, propria teneant loca. Quia sive servus, sive liber, omnes in Christo unum sumus, & sub uno Domino, æqualem servitutis militiam bajulamus : quia non est personarum acceptio apud Deum. Solummodo in hac parte apud ipsum discernimur, si meliores aliis in operibus bonis & humiles inveniamur. Ergo æqualis sit ab eo omnibus charitas : una præbeatur in omnibus, secundùm merita, disciplina. In doctrina namque sua Abbas Apostolicam debet illam semper formam servare, in qua dicit : *Argue, obsecra, increpa*, id est, miscens temporibus tempora, terroribus blandimenta : dirum magistri, pium patris ostendat affectum : id est, indisciplinatos & inquietos debet durius arguere : obedientes autem & mites & patientes, ut in melius proficiant, obsecrare. Negligentes autem & contemnentes, ut increpet & corripiat admonemus. 1. Cor. 11. Rom. 21. 1. ad Timoth. cap. 4.

Neque dissimulet peccata delinquentium : sed mox ut cœperint oriri, radicitùs ea, ut prævalet, amputet : memor periculi Heli sacerdotis de Silo. Et honestiores quidem atque intelligibiles animos, prima vel secunda admonitione verbis corripiat ; improbos autem & duros corde, ac superbos vel inobedientes, verberum vel corporis castigatione in ipso initio peccati coërceat : sciens scriptum, *Stultus verbis non corrigitur.* Et iterum : *Percute filium tuum virgâ, & liberabis animam ejus à morte.* 1. Reg. c. 2. Prov. 18. & 23.

Meminisse debet semper Abbas quod dicitur : & scire, quia cui plus committitur, plus ab eo exigitur. Sciatque quàm difficilem & arduam rem suscepit, regere animas, & multorum servire moribus. Et alium quidem blandimentis, alium verò increpationibus, alium suasionibus, & secundùm uniuscujusque qualitatem vel intelligentiam, ita se omnibus conformet & aptet, ut non solùm detrimenta gregis sibi commissi non patiatur, verumetiam in-

augmentatione boni gregis gaudeat.

Ante omnia, ne dissimulans aut parvipendens salutem animarum sibi commissarum, plus gerat sollicitudinem de rebus transitoriis & terrenis, atque caducis: sed semper cogitet, quia animas suscepit regendas, de quibus & rationem redditurus est. Et ne causetur de minori fortè substantia, meminerit scriptum. *Primùm quærite regnum Dei, & justitiam ejus: & hæc omnia adjicientur vobis.* Et iterum, *Nihil deest timentibus eum.*

Matth. cap. 6.
Psalm. 33.

Sciatque, quia suscepit animas regendas, & præparet se ad rationem reddendam. Et quantum sub cura sua fratrum se habere scierit numerum, agnoscat pro certo, quia in die judicii ipsarum omnium animarum redditurus est Domino rationem, sine dubio additâ & suæ animæ. Et ita semper timens futuram discussionem pastoris de creditis ovibus, cùm de alienis ratiociniis cavet, redditur de suis sollicitus: & cùm de admonitionibus suis emendationem aliis subministrat, ipse efficitur à vitiis emendatus.

CAP. III.

De adhibendis ad consilium fratribus.

QVOTIES aliqua præcipua agenda sunt in Monasterio, convocet Abbas omnem Congregationem & dicat ipse unde agitur. Et audiens consilium fratrum, tractet apud se; & quod utilius judicaverit, faciat. Ideo autem omnes ad consilium vocari diximus: quia sæpè juniori Dominus revelat quod melius est. Sic autem dent fratres consilium cum omni humilitatis subjectione, ut non præsumant procaciter defendere quod eis visum fuerit: sed magis in Abbatis pendeat arbitrio, ut quod salubrius judicaverit esse, ei cuncti obediant. Sed sicut discipulis convenit obedire magistro, ita & ipsum providè & justè condecet cuncta disponere. In omnibus igitur omnes magistram sequantur regulam: neque ab ea temerè devietur à quoquam. Nullus in Monasterio proprii sequatur cordis voluntatem, neque præsumat quisquam cum Abbate suo protervè intùs vel foris Monasterium contendere. Quod si præsumpserit, regulari disciplinæ subjaceat. Ipse tamen

Abbas cum timore Dei & observatione Regulæ omnia faciat; sciens se proculdubio de omnibus judiciis suis æquissimo Iudici Deo rationem redditurum. Si qua verò minora agenda sunt in Monasterii utilitatibus, seniorum tantùm utatur consilio, sicut scriptum est: *Omnia fac cum consilio; et post factum non pœnitebis.* Eccl. 32.

CAPVT IV.

Quæ sint instrumenta bonorum operum.

PRIMVM *instrumentum*: In primis, Dominum Deum diligere ex toto corde, totâ animâ, totâ virtute.

II. Deinde, proximum tanquam seipsum.

III. Deinde, non occidere:

IV. Non adulterari:

V. Non facere furtum:

VI. Non concupiscere:

VII. Non falsum testimonium dicere.

VIII. Honorare omnes homines;

IX. Et quod sibi quis fieri non vult, alii non faciat.

X. Abnegare semetipsũ sibi, ut sequatur Christũ:

XI. Corpus castigare:

XII. Delicias non amplecti:

XIII. Iejunium amare.

XIV. Pauperes recreare:

XV. Nudum vestire:

XVI. Infirmum visitare:

XVII. Mortuum sepelire:

XVIII. In tribulatione subvenire:

XIX. Dolentem consolari.

XX. A sæculi actibus se facere alienum.

XXI. Nihil amori Christi præponere.

XXII. Iram non perficere:

XXIII. Iracundiæ tempus non reservare:

XXIV. Dolum in corde non tenere;

XXV. Pacem falsam non dare:

XXVI. Charitatem non derelinquere.

XXVII. Non jurare, ne fortè perjuret:

XXVIII. Veritatem ex corde & ore proferre.

XXIX. Malum pro malo non reddere:
XXX. Injuriam non facere; sed & factam patienter sufferre.
XXXI. Inimicos diligere:
XXXII. Maledicentes se non remaledicere, sed magis benedicere:
XXXIII. Persecutiones pro justitia sustinere.
XXXIV. Non esse superbum:
XXXV. Non vinolentum:
XXXVI. Non multum edacem:
XXXVII. Non somnolentum:
XXXVIII. Non pigrum:
XXXIX. Non murmuriosum:
XL. Non detractorem.
XLI. Spem suam Deo committere:
XLII. Bonum aliquod in se cùm viderit, Deo applicet, non sibi;
XLIII. Malum verò semper à se factum sciat & sibi reputet.
XLIV. Diem judicii timere:
XLV. Gehennam expavescere:
XLVI. Vitam æternam omni concupiscentia spirituali desiderare.
XLVII. Mortem quotidiè ante oculos suspectam habere:
XLVIII. Actus vitæ suæ omni hora custodire:
XLIX. In omni loco DEUM se respicere, pro certo scire.
L. Cogitationes malas cordi suo advenientes, mox ad Christum allidere;
LI. Et seniori spirituali patefacere.
LII. Os suum à malo vel pravo eloquio custodire:
LIII. Multum loqui non amare;
LIV. Verba vana aut risui apta non loqui:
LV. Risum multum aut excussum non amare.
LVI. Lectiones sanctas libenter audire:
LVII. Orationi frequenter incumbere:
LVIII. Mala sua præterita cum lacrymis vel gemitu quotidiè in oratione Deo confiteri; & de ipsis malis, de cætero emendare.

LIX. Desideria carnis non perficere : Voluntatem propriam odire.

LX. Præceptis Abbatis in omnibus obedire, etiam si ipse aliter (quod absit) agat : memor illius Dominici præcepti ; *Quæ dicunt, facite : quæ autem faciunt, facere nolite.* Matth. 23.

LXI. Non velle dici sanctum antequam sit : sed priùs esse quo veriùs dicatur.

LXII. Præcepta Dei factis quotidiè adimplere.

LXIII. Castitatem amare :

LXIV. Nullum odire :

LXV. Zelum & invidiam non habere ;

LXVI. Contentionem non amare :

LXVII. Elationem fugere.

LXVIII. Seniores venerari :

LXIX. Iuniores diligere :

LXX. In Christi amore pro inimicis orare.

LXXI. Cum discordantibus ante Solis occasum in pacem redire ;

LXXII. Et de Dei misericordia nunquam desperare.

Ecce hæc sunt instrumenta artis spiritualis : quæ cùm fuerint à nobis die noctúque incessabiliter adimpleta, & in die judicii reconsignata ; illa merces nobis à Domino recompensabitur, quam ipse promisit : quòd oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus his qui diligunt eum. Officina verò, ubi hæc omnia diligenter operemur, claustra sunt Monasterii & stabilitas in Congregatione.

CAPVT V.

De Obedientia.

PRIMVS humilitatis gradus est, obedientia sine mora. Hæc convenit his, qui nihil sibi Christo charius aliquid existimant, propter servitium sanctum quod professi sunt, seu propter metum gehennæ vel gloriam vitæ æternæ ; mox ut aliquid imperatum à Majore fuerit, ac si divinitùs imperetur, moram pati nesciunt in faciendo. De quibus Dominus dixit : *In auditu auris obedivit mihi.* Psal. 17.

Math. 10. Et iterùm dicit Doctoribus: *Qui vos audit, me audit.*

Ergo hi tales relinquentes statim quæ sua sunt, & voluntatem propriam deserentes, mox exoccupatis manibus, & quod agebant imperfectum relinquentes, vicino obedientiæ pede, jubentis vocem factis sequuntur: & veluti uno momento prædicta magistri jussio, & perfecta discipuli opera, in velocitate timoris Dei, ambæ res communiter citiùs explicantur, quibus ad vitam æternam gradiendi amor incumbit. Ideo angustam viam arripiunt: unde Dominus ait, *Angusta via est quæ ducit ad vitam:* ut non suo arbitrio viventes, vel desideriis suis & voluptatibus obedientes, sed ambulantes alieno judicio & imperio, in Cœnobiis degentes, Abbatem sibi præesse desiderant. Sine dubio hi tales illam Domini imitantur sententiam qua dicit: *Non veni facere voluntatem meam, sed ejus qui misit me.*

Math. 7.

Ioan. 5.

Sed hæc ipsa obedientia tunc acceptabilis erit Deo & dulcis hominibus, si quod jubetur, non trepidè, non tardè, non tepidè, aut cum murmure vel cum responsione nolentis efficiatur: quia obedientia quæ Majoribus præbetur, Deo exhibetur. Ipse enim dicit: *Qui vos audit, me audit.* Et cum bono animo à discipulis præberi oportet, quia *hilarem datorem diligit Deus.* Nam cum malo animo si obediat discipulus, & non solùm ore, verùm etiam in corde si murmuraverit; etsi impleat jussionem, tamen acceptum jam non erit Deo, qui cor respicit murmurantis. Et pro tali facto nullam consequitur gratiam, immo pœnam murmurantium incurrit, si non cum satisfactione emendaverit.

Math. 10.

2. Cor. cap. 9.

CAPUT VI.

De Taciturnitate.

Psal. 38. FACIAMUS quod ait Propheta. *Dixi, Custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea: posui ori meo custodiam: obmutui, & humiliatus sum, & silui à bonis.* Hic ostendit Propheta, si à bonis eloquiis interdum propter taciturnitatem debet taceri: quantò magis à malis verbis propter pœnam peccati debet cessari? Ergo quamvis de bonis & sanctis ad ædificationem eloquiis, perfectis

discipulis propter taciturnitatis gravitatem, rara loquendi concedatur licentia, quia scriptum est: *In multiloquio non effugies peccatum.* Et alibi, *Mors & vita in manibus linguæ.* Prov. 10. & 14.
Nam loqui & docere, magistrum condecet; tacere & audire, discipulo convenit. Et ideo, si quæ requirenda sunt à Priore, cum omni humilitate & subjectione reverentiæ requirantur, ne videatur plus loqui quàm expedit. Scurrilitates verò vel verba otiosa & risum moventia, æternâ clausurâ in omnibus locis damnamus: & ad tale eloquium discipulum aperire os non permittimus.

CAPUT VII.

De Humilitate.

CLAMAT nobis divina Scriptura, fratres, dicens: *Omnis qui se exaltat, humiliabitur; & qui se humiliat, exaltabitur.* Luc. 14.
Cùm hæc ergo dicit, ostendit nobis omnem exaltationem genus esse superbiæ: quod se cavere Propheta indicat, dicens. *Domine, non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei, neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus super me.* Psal. 130.
Sed quid? *Si non humiliter sentiebam, sed exaltavi animam meam, sicut ablactatus est super matre sua, ita retribues in animam meam.* Vnde, fratres, si summæ humilitatis volumus culmen attingere, & ad exaltationem illam cœlestem, ad quam per præsentis vitæ humilitatem ascenditur, volumus velociter pervenire: actibus nostris ascendentibus, scala illa erigenda est quæ Gen. 28.
in somno Iacob apparuit, per quam ei descendentes & ascendentes Angeli monstrabantur. Non aliud sine dubio descensus ille & ascensus à nobis intelligitur; nisi exaltatione descendere & humilitate ascendere. Scala verò ipsa erecta, nostra est vita in sæculo: quæ humiliato corde à Domino erigitur ad Cœlum. Latera enim hujus scalæ, dicimus nostrum esse corpus & animam; in quibus diversos gradus humilitatis vel disciplinæ vocatio divina ascendendos inseruit.

§. PRIMVS.

De Primo Gradu humilitatis.

PRIMVS itaque humilitatis gradus est, si timorem Dei sibi ante oculos semper ponens, oblivionem omninò fugiat & semper sit memor omnium quæ præcepit Deus: & qualiter contemnentes Deum, in gehennam pro peccatis incidunt; & vitam æternam, quæ timentibus Deum præparata est, animo suo semper revolvat. Et custodiens se omni hora à peccatis & vitiis, id est cogitationum, linguæ, oculorum, manuum, pedum, vel voluntatis propriæ: desideria carnis amputare festinet.

Æstimet se homo de Cœlis semper à Deo respici omni
hora & facta sua in omni loco ab aspectu Divinitatis vi-
deri, & ab Angelis Deo omni hora renunciari. Demon-
strat nobis hoc Propheta, cùm in cogitationibus nostris
Psalm. 7. ita Deum semper præsentem ostendit, dicens: *Scrutans*
93. *corda & renes Deus.* Et iterùm: *Dominus novit cogitatio-*
138. *nes hominum, quoniam vanæ sunt.* Et item dicit: *Intelle-*
75. *xisti cogitationes meas à longè:* &, *Quia cogitatio hominis*
17. *confitebitur tibi.* Nam ut sollicitus sit circa cogitationes suas
perversas, dicat semper humilis frater in corde suo: *Tunc*
ero immaculatus coram eo, si observavero me ab iniquitate
mea.

Voluntatem verò propriam ita facere prohibemur;
Eccl. 18. cùm dicit Scriptura nobis: Et à *voluntatibus tuis avertere.*
Matth. c. 6. Et iterùm: Rogamus Deum in oratione, ut fiat illius vo-
luntas in nobis. Docemur ergo meritò non facere nostram
voluntatem; cùm cavemus illud, quod dicit sancta Scri-
Prov. 14. ptura: *Sunt viæ quæ videntur hominibus rectæ; quarum fi-*
nis usque ad profundum inferni demergit. Et cùm item
Psalm. 13. cavemus illud quod de negligentibus dictum est: *Corrupti*
sunt & abominabiles facti sunt in voluptatibus suis. In de-
sideriis verò carnis ita nobis Deum credamus semper esse
Psalm. 37. præsentem, cùm dicit Propheta Domino: *Ante te est om-*
ne desiderium meum.

Cavendum ergo ideo malum desiderium, quia mors se-
cus introitum delectationis posita est. Vnde Scriptura præ-
Eccl. 18. cipit, dicens: *Post concupiscentias tuas non eas.* Ergo si oculi

Domini

Domini ſpeculantur bonos & malos, & Dominus de Cœlo ſemper reſpicit ſuper filios hominum, ut videat ſi eſt intelligens, aut requirens Deum: & ſi ab Angelis nobis deputatis die noctúque Domino factori noſtro opera noſtra nunciantur; cavendum eſt omni hora, fratres, ſicut dicit in Pſalmo Propheta, ne nos declinantes in malum & inutiles factos, aliqua hora aſpiciat Deus, & parcendo nobis in hoc tempore, (quia pius eſt & expectat nos converti in meliùs) dicat nobis in futuro: *Hæc feciſti & tacui.* Pſalm. 49.

§. II.

De II. Gradu humilitatis.

SECVNDVS humilitatis gradus eſt, ſi propriam quis non amans voluntatem, deſideria ſua non delectetur implere: ſed vocem illam Domini factis imitetur dicentis: *Non veni facere voluntatem meam, ſed ejus qui miſit me.* Ioan. 6. Item dicit *Scriptura*: Voluntas habet pœnam & neceſſitas parit coronam.

Hîc per *Scripturam* non Sacra Scriptura ſed Sanctorum Patrum dicta veniunt intelligenda.

§. III.

De III. Gradu humilitatis.

TERTIVS humilitatis gradus eſt, ut quis pro Dei amore, omni obedientia ſe ſubdat majori: imitans Dominum, de quo dicit Apoſtolus: *Factus eſt obediens uſque ad mortem.* Philip. 2.

§. IV.

De IV. Gradu humilitatis.

QVARTVS humilitatis gradus eſt, ſi in ipſa obedientia duris & contrariis rebus, vel etiam quibuſlibet irrogatis injuriis, tacitâ conſcientiâ patientiam amplectatur: & ſuſtinens, non laſſeſcat vel diſcedat, dicente Scriptura: *Qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit.* Item, Matt. 10. 11 24. *Confortetur cor tuum, & ſuſtine Dominum.* Et oſtendens fi- Pſalm. 26. delem pro Domino univerſa etiam contraria ſuſtinere debere: dicit ex perſona etiam ſufferentium: *Propter te mor-* Pſalm. 43. *te tota die afficimur: æſtimati ſumus ut oves occiſionis.*

Et securi de spe retributionis divinæ, subsequantur gaudentes & dicentes : Sed *in his omnibus superamus, propter eum qui dilexit nos.* Et item alio loco Scriptura : *Probasti nos*, inquit, *Deus : igne nos examinasti, sicut igne examinatur argentum : Induxisti nos in laqueum : posuisti tribulationes in dorso nostro.* Et ut ostendat sub Priore debere nos esse, subsequitur, dicens : *Imposuisti homines super capita nostra.* Sed & præceptum Domini in adversis & in injuriis, per patientiam adimplentes, *percussi in maxillam, præbent & aliam : auferenti tunicam, dimittunt & pallium : angariati milliario, vadunt & duo :* cum Paulo Apostolo *falsos fratres sustinent*, & *persecutionem : & maledicentes se, benedicunt.*

Rom. 8. Psalm. 65. Matth. 5. Luc. 6. 2. Cor. 11.

§. V.

De V. Gradu humilitatis.

QVINTVS humilitatis gradus est, si omnes cogitationes malas cordi suo advenientes, vel mala à se absconsè commissa, per humilem confessionem Abbati non celaverit suo. Hortatur nos de hac re Scriptura, dicens : *Revela Domino viam tuam, & spera in eo.* Et item dicit : *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus.* Et item Propheta : *Delictum meum cognitum tibi feci, & injustitias meas non operui ; Dixi, pronunciabo adversum me injustitias meas Domino : & tu remisisti impietatem cordis mei.*

Psalm. 36. Psalm. 105. Psalm. 31.

§. VI.

De VI. Gradu humilitatis.

SEXTVS humilitatis gradus est, si omni vilitate vel extremitate contentus sit Monachus : & ad omnia quæ sibi injunguntur, velut operarium malum & indignum se judicet dicens cum Propheta. *Ad nihilum redactus sum, & nescivi : ut jumentum factus sum apud te, & ego semper tecum.*

Psalm. 72.

§. VII.

De VII. Gradu humilitatis.

SEPTIMUS humilitatis gradus est, si omnibus se inferiorem & viliorem, non solùm suâ linguâ pronunciet, sed etiam intimo cordis credat affectu, humilians se & dicens cum Propheta. *Ego autem sum vermis, & non homo:* Psalm. 21. *opprobrium hominum & abjectio plebis : exaltatus sum &* Psalm. 87. *humiliatus, & confusus.* Et item, *Bonum mihi quòd humiliasti me, ut discam mandata tua.* Psalm. 118.

§. VIII.

De VIII. Gradu humilitatis.

OCTAVUS humilitatis gradus est, si nihil agat Monachus, nisi quod communis Monasterii Regula, vel Majorum cohortantur exempla.

§. IX.

De IX. Gradu humilitatis.

NONUS humilitatis gradus est, si linguam ad loquendum prohibeat Monachus, & taciturnitatem habens usque ad interrogationem non loquatur, monstrante Scriptura. *Quia in multiloquio non effugies peccatum ;* & *quia vir linguosus non dirigetur super terram.* Prov. 10. Psalm. 139.

§. X.

De X. Gradu humilitatis.

DECIMUS humilitatis gradus est, si non sit facilis ac promptus in risu, quia scriptum est; *Stultus in risu exaltat vocem suam.* Eccl. 21.

§. XI.

De XI. Gradu humilitatis.

UNDECIMUS humilitatis gradus est, si cùm loquitur Monachus, leniter & sine risu, humiliter & cum gravi-

tate, vel pauca verba & rationabilia loquatur: & non sit clamosus in voce, sicut scriptum est. *Sapiens verbis innotescit paucis.*

§. XII.

De XII. Gradu humilitatis.

DUODECIMUS humilitatis gradus est, si non solùm corde Monachus, sed etiam corpore humilitatem videntibus se, semper indicet; id est, in opere Dei, in Oratorio, in Monasterio, in horto, in via, in agro vel ubicumque sedens, ambulans, vel stans, inclinato sit semper capite, defixis in terram aspectibus: reum se omni hora de peccatis suis existimans, jam se tremendo judicio Dei præsentari existimet: dicens sibi in corde semper illud, quod Publi-
Luc. 18. canus ille Evangelicus, fixis in terram oculis, dixit. *Domine non sum dignus, ego peccator, levare oculos meos ad*
Psal. 118. *Cælum.* Et iterùm cum Propheta. *Incurvatus & humiliatus sum usquequaque.*

Ergo his omnibus humilitatis gradibus ascensis, Monachus mox ad charitatem Dei perveniet illam, quæ perfecta foras mittit timorem: per quam universa, quæ priùs non sine formidine observabat, absque ullo labore velut naturaliter ex consuetudine incipiet custodire; non jam timore gehennæ, sed amore Christi & consuetudine ipsa bona & delectatione virtutum, quæ Dominus jam in operario suo mundo à vitiis & peccatis, Spiritu Sancto dignabitur demonstrare.

CAPUT VIII.

De Officiis divinis in noctibus.

HIEMIS tempore, id est, à Calendis Novembris usque ad Pascha, juxta considerationem rationis, octavâ horâ noctis surgendum est; ut modicè ampliùs de media nocte pausetur, & jam digesti surgant. Quod verò restat post Vigilias, à fratribus qui Psalterii vel lectionum aliquid indigent, meditationi inserviatur. A Pascha autem usque ad supradictas Calendas Novembris, sic temperetur

hora Vigiliarum agenda; ut parvissimo intervallo, quo fratres ad necessaria naturæ exeant, custodito, mox Matutini, qui incipiente luce agendi sunt, subsequantur.

CAPUT IX.

Quot Psalmi dicendi sint in nocturnis horis.


HIEMIS tempore præmisso in primis Versu, *Deus in adjutorium meum intende, Domine ad adjuvandum me festina:* in secundo ter dicendum est. *Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam.* Cui subjungendus est tertius Psalmus, & *Gloria.* Post hunc, Psalmus nonagesimus quartus cum Antiphona aut certè decantandus. Inde sequatur Ambrosianum: deinde sex Psalmi cum Antiphonis. Quibus dictis, dicto Versu, benedicat Abbas. Et sedentibus omnibus in scamnis, legantur vicissim à fratribus in codice super analogium tres Lectiones, inter quas & tria Responsoria canantur. Duo Responsoria sine *Gloria* dicantur: post tertiam verò Lectionem, qui cantat, dicat *Gloria.* Quam dum incipit Cantor dicere, mox omnes de sedilibus suis surgant ob honorem & reverentiam sanctæ Trinitatis. Psalm. 69.

Codices autem legantur in Vigiliis tam veteris Testamenti, quàm novi divinæ authoritatis: sed & expositiones earum, quæ à nominatissimis Doctoribus orthodoxis & catholicis Patribus factæ sunt. Post has verò tres Lectiones cum Responsoriis suis, sequantur reliqui sex Psalmi cum *Alleluia* canendi. Post hoc Lectio Apostoli sequatur ex corde recitanda, & Versus & supplicatio Litaniæ, id est, *Kyrie eleison:* & sic finiantur Vigiliæ nocturnæ.

CAPUT X.

Qualiter Æstatis tempore agatur nocturna laus.

A Pascha autem usque ad Calendas Novembris, omnis (ut suprà dictum est) psalmodiæ quantitas teneatur: excepto, quòd Lectiones in codice, propter brevitatem noctium, minimè legantur: sed pro ipsis tribus le-



ctionibus, una de veteri Testamento memoriter dicatur; quam breve Responsorium subsequatur: & reliqua omnia, ut dictum est, impleantur; id est, ut numquam minus à duodecim Psalmorum quantitate, ad Vigilias nocturnas dicatur: exceptis tertio & nonagesimo quarto Psalmo.

CAPVT XI.

Qualiter Dominicis diebus Vigiliæ agantur.

DOMINICO die temperiùs surgatur ad Vigilias. In quibus Vigiliis teneatur mensura; id est, modulatis, ut supra disposuimus, sex Psalmis & Versu, residentibus cunctis dispositè & per ordinem in subselliis, legantur in codice, ut suprà diximus, quatuor Lectiones cum Responsoriis suis. Vbi tantùm in quarto Responsorio dicatur à cantante, *Gloria:* quam dum incipit, mox omnes cum reverentia surgant. Post quas Lectiones, sequantur ex ordine alii sex Psalmi cum Antiphonis sicut anteriores, & Versu. Post quos iterùm legantur aliæ quatuor Lectiones cum Responsoriis suis, ordine quo suprà. Post quas iterùm dicantur tria Cantica de Prophetis, quæ instituerit Abbas: quæ Cantica cum *Alleluia* psallantur. Dicto etiam Versu, benedicente Abbate legantur aliæ quatuor Lectiones de novo Testamento, ordine quo suprà.

Post quartum autem Responsorium, incipiat Abbas Hymnum, *Te Deum laudamus*. Quo perdicto, legat Abbas Lectionem de Evangelio cum honore & tremore stantibus omnibus. Qua perlecta, respondeant omnes, *Amen*. Et subsequatur mox Abbas Hymnum, *Te decet laus*. Et data benedictione, incipiant Matutinos. Qui ordo Vigiliarum, omni tempore tam æstatis quàm hyemis æqualiter in die Dominico teneatur: nisi fortè (quod absit) tardiùs surgant, & aliquid de Lectionibus breviandum est aut Responsoriis: quod tamen omninò caveatur, ne proveniat. Quod si contigerit, dignè inde satisfaciat Deo in Oratorio, per cujus evenerit neglectum.

Amen hoc loco est affirmantis non optantis.

CAPVT XII.

Quomodo Matutinorum solemnitas agatur.

IN Matutinis Dominico die in primis dicatur sexagesimus sextus Psalmus sine Antiphona in directum. Post quem dicatur quinquagesimus cum *Alleluia*. Post quem dicatur centesimus septimus decimus : & sexagesimus secundus. Inde benedictiones & laudes : Lectio una de Apocalypsi ex corde, & Responsorium, & *Ambrosianum* : Versus, Canticum de Evangelio, Litania : & completum est.

CAPVT XIII.

Qualiter privatis diebus Matutini agantur.

DIEBUS autem privatis Matutinorum solemnitas ita agatur, ut sexagesimus sextus Psalmus dicatur sine Antiphona, subtrahendo modicè sicut in Dominica : ut omnes occurrant ad quinquagesimum, qui cum Antiphona dicatur. Post quem alii duo Psalmi dicantur secundùm consuetudinem ; id est, secunda feria quintus, & tricesimus quintus : Tertia feria, quadragesimus secundus, & quinquagesimus sextus : Quarta feria, sexagesimus tertius, & sexagesimus quartus : Quinta feria, octogesimus septimus & octogesimus nonus : Sexta feria, septuagesimus quintus & nonagesimus primus : Sabbato autem, centesimus quadragesimus secundus, & Canticum Deuteronomii, quod dividatur in duas Glorias. Nam cæteris diebus Canticum unum-quodque die suo ex Prophetis, sicut psallit Ecclesia Romana, dicatur.

Post hæc sequantur Laudes ; deinde lectio una Apostoli memoriter recitanda, Responsorium, Ambrosianum, Versus, Canticum de Evangelio, Litania : & completum est. Planè agenda Matutina vel Vespertina non transeat aliquando nisi in ultimo ordine Oratio Dominica, omnibus audientibus, dicatur à Priore, propter scandalorum spinas quæ oriri solent in Monasterio, ut conventi per ipsius

Orationis sponsionem qua dicunt: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*; purgent se ab hujusmodi vitio. Cæteris verò agendis, ultima pars ejus Orationis dicatur: ut ab omnibus respondeatur: *Sed libera nos à malo.*

CAPUT XIV.

Qualiter in Natalitiis Sanctorum agantur vigiliæ.

IN Sanctorum verò festivitatibus, vel omnibus solemnitatibus, sicut diximus Dominico die agendum, ita agatur: excepto quòd Psalmi aut Antiphonæ vel lectiones, ad ipsum diem pertinentes, dicantur. Modus autem suprà scriptus teneatur.

CAPUT XV.

Quibus temporibus dicatur ALLELUIA.

Testatur Platina in vita S. Greg. Magn. hunc Sanctū instituisse ne *Alleluia* caneretur in Septuagesima.

A Sancto Pascha usque ad Pentecosten, sine intermissione dicatur *Alleluia*, tam in Psalmis, quàm in Responsoriis. A Pentecoste autem usque ad caput Quadragesimæ, omnibus noctibus cum sex posterioribus Psalmis tantùm ad Nocturnos dicatur. Omni verò Dominica extra Quadragesimam Cantica, Matutini, Prima, Tertia, Sexta, Nonaque, cum *Alleluia*, dicantur: Vespera verò, cum Antiphona: Responsoria verò nunquam dicantur cum *Alleluia*, nisi à Pascha usque ad Pentecosten.

CAPUT XVI.

Qualiter divina opera per diem agantur.

Psalm. 118.

VT ait Propheta: *Septies in die laudem dixi tibi.* Qui septenarius sacratus numerus, à nobis sic implebitur, si Matutini, Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, Vesperæ, Completoriique tempore, nostræ servitutis officia persolvamus, quia de his Horis diurnis dixit Propheta: *Septies in die laudem dixi tibi.* Nam de nocturnis Vigiliis idem

idem ipſe Propheta ait : *Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi.* Ergo his temporibus referamus laudes Creatori noſtro ſuper judicia juſtitiæ ſuæ ; id eſt, Matutinis, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Veſpera, Completorio & nocte ſurgamus ad confitendum ei.

CAPUT XVII.

Quanti Pſalmi per eaſdem horas canendi ſunt.

IAM de Nocturnis vel Matutinis digeſſimus ordinem pſalmodiæ : nunc de ſequentibus Horis videamus. Primâ horâ dicantur Pſalmi tres, ſingulatim, & non ſub una Gloria. Hymnus ejuſdem Horæ poſt Verſum, *Deus in adjutorium meum intende ;* antequam Pſalmi incipiantur. Poſt expletionem verò trium Pſalmorum, recitetur Lectio una, Verſus, & *Kyrie eleiſon*, & miſſæ ſint. Tertia verò, Sexta & Nona, eodem ordine celebrentur : oratio, id eſt, Verſus, Hymni earumdem Horarum, terni Pſalmi, Lectio, Verſus, Kyrie eleiſon : & miſſæ ſint. Si major congregatio fuerit, cum Antiphonis : ſi verò minor, in directum pſallantur.

Secundum Statuta Ord. Ciſterc. Congregationes minores debent habere XII. Monachos cum Abbate XIII. *Inſtit. Ciſterc. c. 12. lib. antiq. deff. diſt. 1. c. 6.*

Veſpertina autem ſynaxis, quatuor Pſalmis cum Antiphonis terminetur, poſt quos Pſalmos Apoſtoli Lectio recitanda eſt, inde Reſponſorium, Ambroſianum, Verſus, Canticum de Evangelio, Litania & Oratio Dominica, & fiant miſſæ. Completorium autem, trium Pſalmorum dictione terminetur. Qui Pſalmi directaneè ſine Antiphona dicendi ſunt : poſt quos Hymnus ejuſdem Horæ, Lectio una, Verſus, Kyrie eleiſon, benedictio, & poſt Miſſæ fiant.

CAPUT XVIII.

Quo ordine Pſalmi dicendi ſunt.

IN primis ſemper diurnis horis dicatur Verſus, *Deus in adjutorium meum intende, Domine ad adjuvandum me feſtina :* & *Gloria.* Inde Hymnus uniuſcujuſque Horæ. Deinde Primâ horâ, Dominicâ dicenda quatuor capitula Pſal-

mi centesimi octavi decimi dicantur. Reliquis verò horis, id est, Tertia, Sexta & Nona, terna capitula suprascripti Psalmi centesimi octavi decimi dicantur. Ad Primam autem secundæ feriæ, dicantur tres Psalmi, id est, primus, secundus & sextus: & ita per singulos dies ad Primam, usque ad Dominicam, dicantur per ordinem terni Psalmi, usque ad nonum decimum Psalmum. Ita sanè, ut nonus Psalmus & septimus decimus dividantur in binas *Glorias*. Et sic fiat ut ad Vigilias, Dominica, semper à vicesimo incipiatur.

Ad Tertiam verò, Sextam & Nonam secundæ feriæ novem capitula, quæ residua sunt de centesimo decimo octavo Psalmo, ipsa terna capitula per easdem Horas dicantur. Expenso igitur Psalmo centesimo octavo decimo duobus diebus; id est, Dominicâ & secundâ feriâ: tertiâ feriâ jam ad Tertiam, Sextam vel Nonam psallantur terni Psalmi, à centesimo nono decimo usque ad centesimum vicesimum septimum; id est, Psalmi novem. Quique Psalmi semper usque ad Dominicam per easdem Horas itidem repetantur: Hymnorum nihilominus, Lectionum vel Versuum dispositione uniformi, cunctis diebus servatâ. Et ita scilicet, ut semper Dominica à centesimo octavo decimo incipiatur.

Vespera autem quotidie quatuor Psalmorum modulatione canatur. Qui Psalmi incipiantur à centesimo nono, usque ad centesimum quadragesimum septimum: exceptis his, qui in diversis Horis ex eis sequestrantur; id est, à centesimo septimo decimo, usque ad centesimum vicesimum septimum & centesimo tricesimo tertio, & centesimo quadragesimo secundo. Reliqui omnes in Vespera dicendi sunt. Et quia minùs veniunt tres Psalmi: ideo dividendi sunt qui in numero suprascripto fortiores inveniuntur: id est, centesimus tricesimus octavus, & centesimus quadragesimus tertius, & centesimus quadragesimus quartus. Centesimus verò sextus decimus, quia parvus est, cum centesimo quinto decimo conjungatur. Digesto ergo ordine Psalmorum Vespertinorum, reliqua, id est, Lectiones, Responsoria, Hymni, Versus vel Cantica, sicut suprà taxavimus, impleantur. Ad Completorium verò iidem Psalmi repetantur quotidie; id est, quartus, nonagesimus &

centeſimus trigeſimus tertius.

Diſpoſito ordine pſalmodiæ diurnæ, reliqui omnes Pſalmi, qui ſuperſunt, æqualiter dividantur in ſeptem noctium Vigiliis, partiendo ſcilicet qui inter eos prolixiores ſunt Pſalmi, & duodecim per unamquamque conſtituantur noctem. Hoc præcipuè commonentes, ut ſi cui fortè hæc diſtributio Pſalmorum diſplicuerit; ordinet, ſi meliùs aliter judicaverit: dum omnimodis id attendatur, ut omni hebdomada Pſalterium ex integro, numero centum quinquaginta Pſalmorum pſallatur. Et Dominico die ſemper à capite repetatur ad Vigilias: quia nimis iners devotionis ſuæ ſervitium oſtendunt Monachi, qui minùs Pſalterio cum Canticis conſuetudinariis per ſeptimanæ circulum pſallunt: cùm legamus ſanctos Patres noſtros uno die hoc ſtrenuè impleviſſe, quòd nos tepidi utinam ſeptimanâ integrâ perſolvamus.

CAPVT XIX.

De diſciplina pſallendi.

VBIQVE credimus divinam eſſe præſentiam & oculos Domini in omni loco ſpeculari bonos & malos: *Vide cap. 75. Inſtitut. Ciſter. & S. Bernard. ſerm. 47. in Cantica.* maximè tamen hoc ſine aliqua dubitatione credamus, cùm ad opus divinum aſſiſtimus. Ideo ſemper memores ſimus quod ait Propheta: *Servite Domino in timore.* Pſalm. 2. Et iterùm, *Pſallite ſapienter.* Pſalm. 40. Et, *In conſpectu Angelorum pſallam tibi.* Pſal. 137. Ergo conſideremus, qualiter oporteat nos in conſpectu divinitatis & Angelorum ejus eſſe: & ſic ſtemus ad pſallendum, ut mens noſtra concordet voci noſtræ.

CAPVT XX.

De reverentia Orationis.

SI cùm hominibus potentibus volumus aliqua ſuggerere, non præſumimus niſi cum humilitate & reverentia: quantò magis Domino Deo univerſorum, cum omni humilitate & puritatis devotione ſupplicandum eſt? Et non in multiloquio, ſed in puritate cordis & compun-

ctione lachrymarum nos exaudiri sciamus. Et ideo brevis debet esse & pura oratio, nisi fortè ex affectu inspirationis divinæ gratiæ protendatur. In Conventu tamen, omnino brevietur oratio; & facto signo à Priore, omnes pariter surgant.

CAPVT XXI.

De Decanis Monasterii.

SI major fuerit Congregatio, eligantur de ipsis Fratres boni testimonii & sanctæ conversationis, & constituantur Decani: qui sollicitudinem gerant super Decanias suas in omnibus, secundùm mandata Dei & præcepta Abbatis sui. Qui Decani, tales eligantur, quibus securus Abbas partiatur onera sua. Et non eligantur per ordinem, sed secundùm vitæ meritum & sapientiæ doctrinam. Quòd si quis ex eis aliquâ fortè inflatus superbiâ repertus fuerit reprehensibilis, correptus semel, & iterùm, & tertiò, si emendare noluerit, dejiciatur: & alter in loco ejus, qui dignus est, subrogetur. Et de Præposito eadem constituimus.

CAPVT XXII.

Quomodo dormiant Monachi.

SINGULI per singulos lectos dormiant. Lectisternia pro modo conversationis, secundùm dispensationem Abbatis sui singuli accipiant. Si potest fieri, omnes in uno loco dormiant: si autem multitudo non sinit; deni, aut viceni cum Senioribus suis, qui super eos solliciti sint, pausent. Candela jugiter in eadem cella ardeat usque manè.

Vestiti dormiant & cincti cingulis aut funibus, & cultellos ad latus non habeant dum dormiunt, ne fortè per somnum vulnerentur dormientes: & ut parati sint Monachi semper; & facto signo absque mora surgentes, festinent invicem se prævenire ad opus Dei, cum omni tamen gravitate & modestia. Adolescentiores Fratres juxta se non habeant lectos, sed permixti cum Senioribus. Surgentes

verò ad opus Dei, invicem ſe moderatè cohortentur, propter ſomnolentorum excuſationes.

CAPVT XXIII.

De excommunicatione culparum.

SI quis frater contumax, aut inobediens, aut ſuperbus, aut murmurans; vel in aliquo contrarius exiſtens ſanctæ Regulæ & præceptis Seniorum ſuorum contemptor repertus fuerit: hic ſecundùm Domini noſtri præceptum admoneatur ſemel & ſecundò ſecretè à Senioribus ſuis. Si non emendaverit, objurgetur publicè coram omnibus. Si verò neque ſic correxerit, ſi intelligit qualis pœna ſit, excommunicationi ſubjaceat. Si autem improbus eſt, vindictæ corporali ſubdatur.

Hanc excommunicationem plerique ac inter cæteros noſtri Ciſtercienſes & Camaldulenſes interpretantur, nō quidē de Cenſura Eccleſiaſtica quæ abſcindat à corpore Eccleſiæ, ſed de pœna ſolum Monaſtica per quam à convictu & à communibus exercitiis Monaſterii, pro emendatione & caſtigatione, nonnulli præſcinduntur.

CAPVT XXIV.

Qualis debeat eſſe modus excommunicationis.

SECVNDVM modum culpæ, excommunicationis vel diſciplinæ debet extendi menſura: qui culparum modus, in Abbatis pendeat judicio. Si quis tamen frater in levioribus culpis invenitur; tantum à menſæ participatione privetur.

Privati autem à menſæ conſortio, iſta erit ratio: ut in Oratorio Pſalmum, aut Antiphonam non imponat, neque Lectionem recitet, uſque ad ſatisfactionem. Refectionem autem cibi, poſt Fratrum refectionem accipiat, menſurâ vel horâ qua prævideret Abbas ei competere: Vt ſi verbi gratia, fratres reficiunt ſextâ horâ, ille frater Nonâ; ſi Fratres Nonâ, ille Veſpertinâ; uſque dum ſatisfactione congrua veniam conſequatur.

CAPUT XXV.

De gravioribus culpis.

IS Frater qui gravioris culpæ noxâ tenetur, suspendatur à mensa simul & ab Oratorio. Nullus ei Fratrum in ullo jungatur consortio, neque in colloquio. Solus sit ad opus sibi injunctum, persistens in pœnitentiæ luctu, sciens illam terribilem Apostoli sententiam dicentis, traditum
1. Cor. 5. hujusmodi hominem Sathanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini. Cibi autem refectionem solus percipiat, mensurâ vel horâ quâ præviderit Abbas ei competere. Nec à quoquam benedicatur transeunte, nec cibus qui ei datur.

CAPUT XXVI.

De iis qui sine jussione Abbatis junguntur excommunicatis.

SI quis Frater præsumpserit sine jussione Abbatis, Fratri excommunicato quolibet modo se jungere aut loqui cum eo, vel mandatum ei dirigere; similem sortiatur excommunicationis vindictam.

CAPUT XXVII.

Qualiter debeat esse sollicitus Abbas circa excommunicatos.

Matth. 9. OMNI sollicitudine curam gerat Abbas circa delinquentes Fratres: *quia non est opus sanis Medicus, sed male habentibus.* Et ideo uti debet omni modo, ut sapiens Medicus, immittere quasi occultos consolatores *Senipetas*, id est, Seniores sapientes Fratres, qui quasi secretè consolentur Fratrem fluctuantem & provocent eum ad humilitatis satisfactionem. Et consolentur eum *ne abundantiori tristitiâ absorbeatur:* sed sicut ait Apostolus, *Confirmetur in eo charitas, & oretur pro eo ab omnibus.*

Senipetas. Alii legunt *Senpectas* seu *Sympectas.*

1. Cor. c. 5.

Magnopere enim debet ſollicitudinem gerere Abbas circa delinquentes Fratres : & omni ſagacitate & induſtria curare, ne aliquam de ovibus ſibi creditis perdat. Noverit enim ſe infirmarum curam ſuſcepiſſe animarum, non ſuper ſanas tyrannidem : & metuat Prophetæ comminationem, per quem dicit Deus : *Quod craſſum videbatis, aſſumebatis : & quod debile erat projiciebatis.* Et paſtoris Ezech. 34. boni pium imitetur exemplum ; Qui relictis nonaginta novem ovibus in montibus, abiit unam ovem quæ erra- Luc. 16. verat, quærere : cujus infirmitati in tantùm compaſſus eſt : ut eam in ſacris humeris ſuis dignaretur imponere, & ſic reportare ad gregem.

CAPVT XXVIII.

De iis qui ſæpius correcti non emendantur.

SI quis Frater frequenter correptus pro qualibet culpa, ſi etiam excommunicatus non emendaverit; acrior ei accedat correctio ; id eſt, ut verberum vindicta in eum procedat. Quòd ſi nec ita ſe correxerit, aut fortè (quod abſit) in ſuperbiam elatus etiam defendere voluerit opera ſua, tunc Abbas faciat quod ſapiens Medicus.

Si exhibuit fomenta, ſi unguenta adhortationum, ſi medicamina Scripturarum divinarum, ſi ad ultimum uſtionem excommunicationis, vel plagas virgarum, & jam viderit nihil ſuam prævalere induſtriam ; adhibeat etiam (quod majus eſt) ſuam & omnium Fratrum pro eo orationem : ut Dominus, qui omnia poteſt, operetur ſalutem circa infirmum Fratrem.

Quòd ſi nec iſto modo ſanatus fuerit : tunc jam utatur Abbas ferro abſciſſionis, ut ait Apoſtolus ; *Auferte malum ex vobis*. Et iterùm : *Infidelis ſi diſcedit, diſcedat* : ne una ovis morbida omnem gregem contaminet.

Hæc *abſciſſio* provt hîc intelligitur à S. Benedicto, vix unquam aut rarò in uſu fuit apud Ciſtercienſes. Dixi provt hic accipitur, nam ſæpius ab illis in carcerem conjecti ſunt aut emiſſi graviùs delinquentes ex uno ſcilicet Monaſterio in aliud, idque tunc maximè cum eorum culpæ non poterant in proprio Monaſterio ſine ſcandalo & gravi damno puniri & emendari. Vt videre eſt in Conſtitut. D. Papæ Clem. IV. cap. 8. & in libello antiq. Deff. Ord. Ciſterc. diſt. 10. cap. 4.

In hunc modum & in hunc ſenſum S. Pater noſter Bern. explicat prædictum Apoſtoli locum 1. ad Cor. 5. *Auferte malum ex vobis.* Epiſtola ſcilicet 102. ubi ſic ait. *Super fratre turbato & turbante fratres, & contemnente Magiſtrum ; breve tibi ſed fidele damus conſilium. Diaboli ſtudium eſt circuire in domo Dei, & quærere quem devoret, tuæ è contra vigilantiæ, in quantum potes, nunquam locum dare Diabolo. Quanto igitur*

ille acriùs insistit, quomodo à grege infirmam separet oviculam, quatenus eò licentiùs rapiat, quò non fuerit qui eripiat, tantò enixiùs tibi, quantum in te est, resistendum est, ne de manu tua possit eam eruere, nequando dicat inimicus prævalui adversus eum. Itaque aggredere fratrem omni officio charitatis, videlicet beneficiis, salutaribus monitis, secretis increpationibus, publicis exhortationibus, duris etiam & verborum & verberum correptionibus, quodque efficacius esse solet, tuis ad Deum pro eo, fratrumque piis orationibus.

Quod si jam fecisti hæc omnia nec profecisti, *ad Apostoli consilium confugiendum est dicentis*, auferte malum ex vobis. *Auferatur ergo malus, ne malos generet. Neque enim potest arbor mala fructus nisi malos facere. Auferatur autem dico, sed non quomodo ipse vult, ut videlicet tanquam ex tua licentia, cum malè secura conscientia, extra Congregationem, contra Professionem, devitans subjectionem, sui Iuris esse, suâ permittatur lege vivere. Sed abscindatur ut ovis morbida à grege, ut putridum membrum à corpore, qui jam exinde se pro certo noverit à te haberi tanquam Ethnicum & Publicanum. Et ne timeas esse contra charitatem, si unius ejectione, scandalum multorum recompensaveris pace, quippe qui sua fortè malitia fratrum cohabitantium turbare facilè poterat unitatem. Consoletur te illa Salomonis sententia:* Quem Deus negligit nemo potest corrigere. *Et illa Salvatoris*, omnis plantatio quam non plantavit Pater meus, eradicabitur. *Et illud Beati Ioannis Evangelistæ de schismaticis*, a nobis exierunt, sed non erant ex nobis. *Et rursus apud Apostolum.* Infidelis si discedit discedat. *Alioquin non est relinquenda virga peccatorum super sortem justorum, ut non extendant justi ad iniquitatem manus suas. Meliùs est enim ut pereat unus quam unitas. Hæc S. Bernard. Epist.* 102.

CAPVT XXIX.

Si debeant iterum recipi Fratres exeuntes de Monasterio.

FRATER qui proprio vitio egreditur, aut projicitur de Monasterio; si reverti voluerit, spondeat priùs omnem emendationem vitii pro quo egressus est: & sic in ultimo gradu recipiatur, ut ex hoc ejus humilitas comprobetur. Quòd si denuo exierit, usque tertio recipiatur. Iam verò postea sciat omnem sibi reversionis aditum denegari.

CAPVT XXX.

De pueris minori ætate, qualiter corripiantur.

OMNIS ætas vel intellectus proprias debet habere mensuras. Ideoque quoties pueri, vel Adolescentiores ætate, aut qui minùs intelligere possunt quanta pœna sit excommunicationis; hi tales dum delinquunt, aut jejuniis nimiis affligantur, aut acribus verberibus coërceantur, ut sanentur.

CAPVT

CAPVT XXXI.

De Cellerario Monasterii qualis sit.

CELLERARIVS Monasterii eligatur de Congregatione sapiens, maturus moribus, sobrius, nòn multùm edax, non elatus, non turbulentus, non injuriosus, non tardus, non prodigus, sed timens Deum qui omni Congregationi sit sicut pater. Curam gerat de omnibus: sinè jussione Abbatis nihil faciat. Quæ jubentur, custodiat: fratres non contristet. Si quis autem frater ab eo fortè aliquid irrationabiliter postulet, non spernendo eum contristet, sed rationabiliter cum humilitate malè petenti deneget.

Animam suam custodiat, memor semper illius Apostolici, quia *qui benè ministraverit, gràdum bonum sibi acquirit.* Infirmorum, infantium, hospitum, pauperumque cum omni sollicitudine curam gerat, sciens sine dubio, quia pro his omnibus in die judicii rationem redditurus est. Omnia vasa Monasterii cunctamque substantiam, ac si altaris vasa sacrata conspiciat. Nihil ducat negligendum: neque avaritiæ studeat, neque prodigus sit aut extirpator substantiæ Monasterii: sed omnia mensuratè faciat, & secundùm jussionem Abbatis. 1. ad Tim. c. 3.

Humilitatem ante omnia habeat: & cui substantia non est quæ tribuatur, sermo responsionis porrigatur bonus, ut scriptum est: *Sermo bonus super datum optimum.* Omnia quæ ei injunxerit Abbas, ipse habeat sub cura sua; à quibus eum prohibuerit, non præsumat. Fratribus constitutam annonam sine aliquo typho vel mora offerat, ut non scandalizentur, memor divini eloquii, quid mereatur qui scandalizaverit unum de pusillis. Si Congregatio major fuerit, solatia ei dentur, à quibus adjutus, & ipse æquo animo impleat officium sibi commissum. Horis competentibus dentur quæ danda sunt, & petantur quæ petenda sunt: ut nemo perturbetur neque contristetur in domo Dei. Eccl. 8.

Typho meliùs forte legeretur sine aliquo *Typo* id est sine fastidio & fine tædio.

CAPUT XXXII.

De ferramentis vel rebus Monasterii.

SUBSTANTIÆ Monasterii in ferramentis vel vestibus seu quibuslibet rebus, provideat Abbas Fratres, de quorum vita & moribus securus sit: & eis singula, ut utile judicaverit, consignet custodienda atque recolligenda. Ex quibus Abbas breve teneat: ut dum sibi in ipsa assignata Fratres vicissim succedunt, sciat quid dat aut quid recipit. Si quis autem sordidè aut negligenter res Monasterii tractaverit, corripiatur: si non emendaverit, disciplinæ regulari subjaceat.

CAPUT XXXIII.

Si quid debeant Monachi proprium habere.

PRÆCIPUE hoc vitium amputetur de Monasterio: ne quis præsumat aliquid dare aut accipere sine jussione Abbatis, neque aliquid habere proprium, nullam omnino rem; neque codicem, neque tabulas, neque graphium, sed nihil omnino: quippe quibus nec corpora sua, nec voluntates licet habere in propria potestate. Omnia verò necessaria à Patre Monasterii sperare. Nec quicquam liceat habere, quod Abbas non dederit aut permiserit. Omniaque omnibus sint communia, ut scriptum est: nec quisquam suum esse aliquid dicat aut præsumat. Quòd si quisquam hoc nequissimo vitio deprehensus fuerit delectari, admoneatur semel & iterum: si non emendaverit, correptioni subjaceat.

Actor. c. 4.

CAPUT XXXIV.

Si omnes æqualiter debeant necessaria accipere.

Act. c. 4.

SICUT scriptum est: Dividebatur singulis prout cuique opus erat: ubi non dicimus ut personarum (quod absit) acceptio sit, sed infirmitatum consideratio.

Vbi qui minùs indiget, agat Deo gratias & non contristetur; qui verò plus indiget, humilietur pro misericordia: & ita omnia membra erunt in pace. Ante omnia, ne murmurationis malum pro qualicumque causa in aliquo qualicumque verbo vel significatione appareat. Quòd si deprehensus fuerit quis, districtiori disciplinæ subdatur.

CAPVT XXXV.

De septimanariis Coquinæ.

FRATRES sic sibi invicem serviant, ut nullus excusetur à coquinæ officio: nisi aut ægritudine, aut in causa gravis utilitatis quis occupatus fuerit; quia exindè major merces & charitas acquiritur. Imbecillibus autem procurentur solatia, ut non cum tristitia hoc faciant; sed habeant omnes solatia secundùm modum Congregationis aut positionem loci. Si major Congregatio fuerit, Cellerarius excusetur à coquina, vel si qui, ut diximus, majoribus utilitatibus occupantur. Cæteri verò sibi sub charitate invicem serviant.

Egressurus de septimana, Sabbato munditias faciat. Lintea cum quibus sibi fratres manus aut pedes tergunt, lavet. Pedes verò tam ipse qui egreditur, quàm ille qui intraturus est, omnibus lavent. Vasa ministerii sui munda & sana Cellerario reconsignent. Qui Cellerarius item intranti consignet: ut sciat quid dat aut quid recipit. Septimanarii autem ante unam horam refectionis, accipiant super statutam annonam, singulos biberes & panem: ut hora refectionis sine murmuratione & gravi labore serviant fratribus suis. In diebus autem solemnibus usque ad Missas sustineant.

Intrantes & exeuntes Hebdomadarii in Oratione mox Matutinis finitis, Dominicâ, omnium genibus provolvantur, postulantes pro se orari. Egredientes autem de septimana dicant hunc versum: ***Benedictus es Domine Deus, qui adjuvisti me & consolatus es me.*** Quo dicto tertio, recipiat benedictionem egrediens. Subsequatur ingrediens & dicat: ***Deus in adjutorium meum intende, Domine ad*** **Psalm. 69.**

adjuvandum me festina. Et hoc idem tertio repetatur ab omnibus. Et accepta benedictione, ingrediatur.

CAPUT XXXVI.

De infirmis Fratribus.

INFIRMORUM cura ante omnia & super omnia adhibenda est, ut sicut revera Christo, ita eis serviatur; quia ipse dixit: *Infirmus fui & visitastis me.* Et, *Quod fecistis uni de his minimis meis, mihi fecistis.* Sed & ipsi infirmi considerent in honorem Dei sibi serviri: & non superfluitate sua contristent fratres suos servientes sibi. Qui tamen patienter portandi sunt, quia de talibus copiosior merces acquiritur. Ergo cura maxima sit Abbati, ne aliquam negligentiam patiantur. Quibus fratribus infirmis sit cella super se deputata, & servitor timens Deum & diligens ac sollicitus.

Matth. cap. 25

Balneorum usus infirmis quoties expedit offeratur. Sanis autem & maximè juvenibus, tardiùs concedatur. Sed & carnium usus infirmis, omninoque debilibus pro reparatione concedatur. At ubi meliorati fuerint, à carnibus more solito omnes abstineant. Curam autem maximam habeat Abbas, ne à Cellerariis aut servitoribus negligantur infirmi: quia ad ipsum respicit, quicquid à discipulis delinquitur.

CAPUT XXXVII.

De senibus & infantibus.

LICET ipsa natura humana trahatur ad misericordiam in his ætatibus, senum videlicet & infantum: tamen & Regulæ authoritas eis prospiciat. Consideretur semper in eis imbecillitas & nullatenùs eis districtio Regulæ teneatur in alimentis: sed sit in eis pia consideratio, & præveniant horas canonicas.

CAPVT XXXVIII.

De Hebdomadario Lectore.

MENSIS Fratrum edentium lectio deesse non debet: nec fortuito casu qui arripuerit codicem legere audeat ibi, sed lecturus tota Hebdomada, Dominicâ ingrediatur. Qui ingrediens post Missas & Communionem, petat ab omnibus pro se orari, ut avertat ab eo Deus spiritum elationis. Et dicatur hic versus in Oratorio tertiò ab omnibus, ipso tamen incipiente: *Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam.* Et sic accepta benedictione, ingrediatur ad legendum.

Summumque fiat silentium ad mensam, ut nullius mussitatio vel vox, nisi solius legentis ibi audiatur. Quæ verò necessaria sunt comedentibus & bibentibus, sic sibi invicem ministrent Fratres, ut nullus indigeat petere aliquid. Si quid tamen opus fuerit, sonitu cujuscumque signi potius petatur quàm voce. Nec præsumat ibi aliquis de ipsa lectione aut aliunde quicquam requirere, ne detur occasio maligno: nisi fortè Prior voluerit pro ædificatione aliquid breviter dicere.

Frater autem Hebdomadarius accipiat mixtum priusquam incipiat legere, propter Communionem sanctam & ne fortè grave sit ei jejunium sustinere. Postea autem cum Coquinæ Hebdomadariis & servitoribus reficiat. Fratres autem non per ordinem legant aut cantent, sed qui ædificent audientes.

CAPVT XXXIX.

De Mensura Ciborum.

SVFFICERE credimus ad refectionem quotidianam tam Sextæ quàm Nonæ, omnibus mensis cocta duo pulmentaria, propter diversorum infirmitates: ut fortè qui ex uno non poterit edere, ex alio reficiatur. Ergo duo pulmentaria cocta Fratribus sufficiant: & si fuerint inde poma aut nascentia leguminum, addatur & tertium. Panis

Vide infra cap. 76. & 84. lib. Vsuum Cisterc. Ordin.

libra una propensa sufficiat in die, sive una sit refectio, sive prandii & cœnæ. Quòd si cœnaturi sunt, de eadem libra tertia pars à Cellerario reservetur, reddenda cœnaturis.

Quòd si labor fortè factus fuerit major, in arbitrio & potestate Abbatis erit, si expediat aliquid augere, remota præ omnibus crapula ut nunquam subrepat Monacho indigeries: quia nihil sic contrarium est omni Christiano quomodo crapula, sicut ait Dominus noster: *Videte ne graventur corda vestra in crapula & ebrietate.* Pueris verò minori ætate non eadem servetur quantitas, sed minor quàm majoribus, servata in omnibus parcitate. Carnium verò quadrupedum omninò ab omnibus abstineatur comestio, præter omninò debiles & ægrotos.

Luc. c. 12.

CAPVT XL.

De mensura potûs.

VNVSQVISQVE proprium habet donum ex Deo: alius sic, alius verò sic. Et ideo cum aliqua scrupulositate à nobis mensura victûs aliorum constituitur. Tamen infirmorum contuentes imbecillitatem, credimus *heminam* vini per singulos sufficere, per diem. Quibus autem donat Deus tolerantiam abstinentiæ, propriam se habituros mercedem sciant.

Quod si aut loci necessitas vel labor, aut ardor æstatis ampliùs poposcerit, in arbitrio Prioris consistat, considerans in omnibus ne subrepat satietas aut ebrietas: licet legamus vinum omninò Monachorum non esse. Sed quia nostris temporibus id Monachis persuaderi non potest; saltem vel hoc consentiamus, ut non usque ad satietatem bibamus, sed parciùs: quia vinum apostatare facit etiam sapientes. Vbi autem loci necessitas exposcit, ut nec suprascripta mensura inveniri possit, sed multo minus aut ex toto nihil; benedicant Deum qui ibi habitant & non murmurent. Hoc ante omnia admonentes, ut absque murmurationibus sint.

Hemina est semi-sextarius vini, æquivalens circiter Pintæ Parisiensi. Nam *Hemina* Latinorũ eadem est ac *Cotyla* Græcorum, teste *Fannio* carm. de Ponderib. & Mensuris. *Cotyla* autem ut docet S. Epiphanius lib. de Ponderibus est semi-sextarius. Itaque cum, ex eodem fannio, *Cotyla* sex Cyathos contineat idem sentiendũ erit de *Hemina*. Vnde & S. Isidorus lib. 16. Orig. cap. 25. docet quod *Cotyla est Hemina habens Cyathos sex*. *Cyathus* verò, ut ait Plinius lib. 21. cap. ultimo *pendet per se drachmas* decem. *Drachma* autem juxta S. Isidorum lib. citato *cap.* 24. & Priscianum *cap.* 3 libri de Ponderibus, appenditur argenteis scrupulis tribus, estque octava pars Vnciæ. Vnde sequitur *Heminam* non plus pendere quàm septem uncias & semis. Nam si ex *Cyathis* sex quos capit *Hemina* tollas duodecim drachmas remanebunt sex Vnciæ, & ex duodecim drachmis subductis, unam unciam & semis efficies. Et hæc de *Hemina* sufficiant, etsi Budæus & alii nonnulli, in aliquibus aliter sentiant.

CAPVT XLI.

Quibus horis oporteat reficere Fratres.

A Sancto Pascha usque ad Pentecosten, ad Sextam reficiant Fratres & ad seram cœnent. A Pentecoste autem tota æstate (si labores agrorum non habent Monachi, aut nimietas æstatis non perturbat) quartâ & sextâ feriâ jejunent usque ad Nonam: reliquis verò diebus ad Sextam prandeant. Quæ prandii Sexta, si opera in agris habuerint aut æstatis fervor nimius fuerit, continuanda erit: & in Abbatis sit providentia. Et sic omnia temperet atque disponat, qualiter & animæ salventur, & quod faciunt fratres, absque ulla murmuratione faciant.

Ab Idibus autem Septembris usque ad caput Quadragesimæ, ad Nonam semper reficiant fratres. In Quadragesima verò usque ad Pascha, ad Vesperam reficiant. Ipsa tamen Vespera sic agatur, ut lumine lucernæ non indigeant reficientes: sed luce adhuc diei omnia consummentur. Sed & omni tempore, sive cœnæ, sive refectionis, hora sic temperetur, ut cum luce fiant omnia.

CAPVT XLII.

Vt post Completorium nemo loquatur.

OMNI tempore silentio debent studere Monachi, maximè tamen nocturnis horis. Et ideo omni tempore, sive jejunii, sive prandii, si tempus fuerit prandii, mox ut surrexerint à cœna, sedeant omnes in unum & legat unus Collationes vel Vitas Patrum, aut certè aliquid quod ædificet audientes. Non autem Heptateucum aut Regum: quia infirmis intellectibus non erit utile illâ horâ hanc Scripturam audire: aliis verò horis legantur. Si autem jejunii dies fuerit, dictâ vesperâ, parvo intervallo, mox accedant ad Lectionem, ut diximus: & lectis quatuor aut quinque foliis vel quantum hora permittit, omnibus in unum concurrentibus per hanc moram Le-

ctionis, si quis fortè in assignato sibi commisso fuerit occupatus, occurrat.

Omnes ergo in unum positi, compleant: & exeuntes à Completorio nulla sit licentia denuò cuiquàm loqui aliquid. Quòd si inventus fuerit quisquam prævaricari hanc taciturnitatis regulam, graviori vindictæ subjaceat: excepto si necessitas Hospitum supervenerit, aut fortè Abbas alicui aliquid jusserit. Quod tamen & ipsum cum summa gravitate & moderatione honestissimè fiat.

CAPVT XLIII.

De iis qui ad opus Dei vel ad mensam tardè occurrunt.

AD horam divini Officii mox ut auditum fuerit signum, relictis omnibus quælibet fuerint in manibus, summa cum festinatione curratur; cum gravitate tamen, ut non scurrilitas inveniat fomitem. Ergo nihil operi Dei præponatur.

Quòd si quis ad nocturnas Vigilias post Gloriam Psalmi nonagesimi quarti (quem propter hoc omninò protrahendo & morosè volumus dici) occurrerit: non stet in ordine suo in Choro, sed ultimus omnium stet, aut in loco quem talibus negligentibus seorsum constituerit Abbas, ut videatur ab ipso vel ab omnibus, usque dum completo opere Dei publica satisfactione pœniteat.

Ideo autem eos in ultimo aut seorsum judicavimus debere stare: ut visi ab omnibus, vel pro ipsa verecundia sua emendentur. Nam si foras Oratorium remaneant, erit fortè talis qui se aut recollocet & dormiat, aut certè sedeat foris vel fabulis vacet & detur occasio maligno: sed ingrediatur intrò, ut nec totum perdat, & de reliquo emendetur.

Diurnis autem horis, qui ad opus Dei post Versum & Gloriam primi Psalmi, qui post Versum dicitur, occurrerit, lege qua supra diximus, in ultimo stet: nec præsumat sociari Choro psallentium usque ad satisfactionem: nisi fortè Abbas licentiam dederit permissione sua: ita tamen ut satisfaciat reus ex hoc.

Ad

Ad mensam autem, qui ante Versum non occurrerit, ut simul omnes dicant Versum & orent, & sub uno simul omnes accedant ad mensam, qui per negligentiam suam aut vitium non occurrerit, usque ad secundam vicem pro hoc corripiatur: si denuò non emendaverit, non permittatur ad mensæ communis participationem, sed sequestratus à consortio omnium, reficiat solus, sublata ei portione sua vini, usque ad satisfactionem & emendationem. Similiter autem patiatur, qui ad illum Versum non fuerit præsens, qui post cibum dicitur.

Nec quisquam præsumat ante statutam horam, vel postea, quicquam cibi vel potûs percipere. Sed & si cui offertur aliquid à Priore & accipere renuerit: hora qua desideraverit, hoc quod priùs recusavit, aut aliud omninò non percipiat, usque ad emendationem congruam.

CAPVT XLIV.

De iis qui excommunicantur, quomodo satisfaciant.

QVI pro gravioribus culpis ab Oratorio & à mensa excommunicatur, horâ quâ opus Dei in Oratorio celebratur, ante fores Oratorii prostratus jaceat, nihil dicens: nisi tantùm posito in terram capite & prostratus pronus omnium de Oratorio exeuntium pedibus se projiciat. Et hoc tamdiù faciat usque dum Abbas judicaverit satisfactum esse. Qui dum jussus ab Abbate venerit, provolvat se ipsius Abbatis pedibus, deinde omnium vestigiis fratrum, ut orent pro eo.

Et tunc si jusserit Abbas, recipiatur in choro vel in ordine quo Abbas decreverit: ita sanè, ut Psalmum aut Lectionem vel aliud quid non præsumat in Oratorio imponere, nisi iterùm Abbas jubeat. Et omnibus horis dum completur opus Dei, projiciat se in terram in loco in quo stat: & sic satisfaciat, usque dum ei jubeat Abbas ut quiescat jam ab hac satisfactione. Qui verò pro levibus culpis excommunicantur tantùm à mensa, in Oratorio satisfaciant: usque ad jussionem Abbatis hoc semper faciant, usque dum benedicat & dicat, sufficit.

CAPVT XLV.

De iis qui falluntur in Oratorio.

SI quis dum pronuntiat Pſalmum, Reſponſorium, aut Antiphonam vel Lectionem, fallitur: niſi cum ſatisfactione ibi coram omnibus humiliatus fuerit, majori vindictæ ſubjaceat; quippe qui noluit humilitate corrigere quod negligentia deliquit: infantes verò pro tali culpa vapulent.

CAPVT XLVI.

De iis qui in aliis quibuſlibet rebus delinquunt.

SI quis dum in labore quovis, in coquina, in Cellario, in miniſterio, in piſtrino, in horto, in arte aliqua dum laborat, vel in quocumque loco aliquid deliquerit, aut fregerit quippiam, aut perdiderit, vel aliud quid exceſſerit ubi ubi: & non veniens continuò ante Abbatem vel Congregationem, ipſe ultrò ſatisfecerit & prodiderit delictum ſuum: dum per alium cognitum fuerit, majori ſubjaceat emendationi. Si animæ verò peccati cauſa latens fuerit: tantùm Abbati, aut ſpiritualibus Senioribus patefaciat, qui ſciant curare ſua & aliena vulnera non detegere aut publicare.

CAPVT XLVII.

De ſignificanda hora operis Dei.

NVNTIANDA hora Operis Dei, die noctúque ſit cura Abbatis, ut ipſe nuntiet: aut tali ſollicito Fratri injungat hanc curam, ut omnia horis competentibus compleantur. Pſalmos autem vel Antiphonas poſt Abbatem, ordine ſuo, quibus juſſum fuerit, imponant. Cantare autem aut legere non præſumat, niſi qui poteſt ipſum officium implere, ut ædificentur audientes. Quod cum hu-

militate & gravitate & tremore faciat, & cui jusserit Abbas.

CAPVT XLVIII.

De opere manuum quotidiano.

OTIOSITAS inimica est animæ. Et ideo certis temporibus occupari debent fratres in labore manuum; certis iterum horis in lectione divina. Ideoque hac dispositione credimus utraque tempora ordinari; id est, ut à Pascha usque ad Calendas Octobris manè exeuntes, à prima usque ad horam penè quartam laborent quod necessarium fuerit. Ab hora autem quarta usque ad horam quasi sextam lectioni vacent.

Post Sextam autem surgentes à mensa, pausent in lectis suis cum omni silentio: aut fortè qui voluerit legere, sibi sic legat, ut alium non inquietet. Et agatur Nona temperiùs, mediante octavâ horâ: & iterum quod faciendum est operentur usque ad vesperam.

Si autem necessitas loci, aut paupertas exegerit, ut ad fruges colligendas per se occupentur, non contristentur; quia tunc verè Monachi sunt, si labore manuum suarum vivunt, sicut & Patres nostri & Apostoli. Omnia tamen mensuratè fiant propter pusillanimes.

A Calendis autem Octobris usque ad caput Quadragesimæ, usque ad horam secundam plenam lectioni vacent: horâ secundâ agatur Tertia; & usque ad nonam omnes in opus suum laborent quod eis injungitur. Facto autem primo signo horæ Nonæ, disjungant se ab opere suo singuli, & sint parati dum secundum signum pulsaverit. Post refectionem autem vacent lectionibus suis aut Psalmis.

In Quadragesimæ verò diebus, à manè usque ad tertiam plenam, vacent lectionibus suis, & usque ad decimam horam plenam operentur quod eis injungitur. In quibus diebus Quadragesimæ, accipiant omnes singulos codices de Bibliotheca, quos per ordinem ex integro legant. Qui codices in capite Quadragesimæ dandi sunt.

Ante omnia sanè deputentur unus aut duo seniores, qui circumeant Monasterium horis quibus vacant Fratres le-

ctioni: & videant ne fortè inveniatur frater acidiosus, qui vacat otio aut fabulis, & non est intentus lectioni: & non solùm sibi inutilis est, sed etiam alios extollit. Hic talis si (quod absit) repertus fuerit, corripiatur semel & secundò, si non emendaverit, correptioni regulari subjaceat, taliter ut cæteri metum habeant. Neque frater ad fratrem jungatur horis incompetentibus.

Dominico die lectioni vacent omnes: exceptis his, qui variis officiis deputati sunt. Si quis verò ita negligens & desidiosus fuerit, ut non velit, aut non possit meditari, aut legere; injungatur ei opus quod faciat, ut non vacet. Fratribus infirmis vel delicatis talis opera aut ars injungatur, ut nec otiosi sint, nec violentiâ laboris opprimantur, ut effugentur. Quorum imbecillitas ab Abbate consideranda est.

CAPVT XLIX.

De Quadragesimæ observatione.

LICET omni tempore vita Monachi Quadragesimæ debeat observationem habere: tamen quia paucorum est ista virtus, ideo suademus istis diebus Quadragesimæ, omni puritate vitam suam custodire, omnes pariter negligentias aliorum temporum his diebus sanctis diluere. Quod tunc dignè fit, si ab omnibus vitiis nos temperemus: orationi cum fletibus, lectioni & compunctioni cordis atque abstinentiæ operam demus.

Ergo his diebus augeamus nobis aliquid ad solitum pensum servitutis nostræ: Orationes peculiares, ciborum & potûs abstinentiam; ut unusquisque super mensuram sibi indictam aliquid de propria voluntate, cum gaudio Sancti Spiritus offerat Deo: id est, subtrahat corpori suo, de cibo, de potu, de somno, de loquacitate, de scurrilitate & cum spiritualis desiderii gaudio sanctum Pascha expectet. Hoc ipsum tamen quod unusquisque offert, Abbati suo suggerat & cum ejus fiat oratione & voluntate: quia quod sine permissione Patris spiritualis fit, præsumptioni deputabitur & vanæ gloriæ, non mercedi. Ergo cum voluntate Abbatis omnia agenda sunt.

CAPVT L.

De Fratribus qui longè ab Oratorio laborant, aut in via sunt.

FRATRES qui omninò longè sunt in labore & non possunt occurrere hora competenti ad Oratorium, & Abbas hoc perpendit, quia ita est: agant ibidem opus Dei, ubi operantur, cum tremore diuino, flectentes genua. Similiter qui in itinere directi sunt, non eos prætereant horæ constitutæ: sed ut possunt, agant sibi & servitutis pensum non negligant reddere.

CAPVT LI.

De Fratribus qui non satis longè proficiscuntur.

FRATRES, qui pro quovis responso proficiscuntur & ea die sperant reverti ad Monasterium; non præsumant foris manducare, etiam si à quovis rogentur: nisi forté eis ab Abbate suo præcipiatur. Quòd si aliter fecerint, excommunicentur.

CAPVT LII.

De Oratorio Monasterii.

ORATORIVM hoc sit, quod dicitur: nec ibi quicquam aliud geratur aut condatur. Expleto opere Dei, omnes cum summo silentio exeant & agatur reverentia Deo: ut Frater qui fortè sibi peculiariter vult orare, non impediatur alterius improbitate. Sed si alter vult sibi fortè secretiùs orare, simpliciter intret & oret; non in clamosa voce, sed in lachrymis & intentione cordis. Ergo qui simile opus non facit, non permittatur, expleto opere Dei, remorari in Oratorio, sicut dictum est, ne alius impedimentum patiatur.

CAPUT LIII.

De hospitibus suscipiendis.

Matth. c. 25.

OMNES supervenientes hospites, tanquam Christus, suscipiantur: quia ipse dicturus est: *Hospes fui & suscepistis me.* Et omnibus congruus honor exhibeatur, maximè domesticis fidei & peregrinis. Ut ergo nunciatus fuerit hospes, occurratur ei à Priore vel à fratribus, cum omni officio charitatis; & primitus orent pariter: & sic sibi socientur in pace. Quod pacis osculum non priùs offeratur, nisi oratione præmissa, propter illusiones diabolicas. In ipsa autem salutatione omnis exhibeatur humilitas. Omnibus venientibus sive discedentibus hospitibus, inclinato capite vel prostrato omni corpore in terra, Christus in eis adoretur, qui & suscipitur.

Suscepti autem hospites ducantur ad orationem: & postea sedeat cum eis Prior, aut cui jusserit ipse. Legatur coram hospite Lex divina, ut ædificetur: & post hæc omnis ei exhibeatur humanitas. Iejunium à Priore frangatur propter hospitem: nisi fortè præcipuus sit dies jejunii, qui non possit violari. Fratres autem consuetudinem jejuniorum prosequantur.

Aquam in manibus Abbas hospitibus det: pedes autem hospitibus omnibus tam Abbas quàm cuncta Congregatio lavet, quibus lotis, hunc Versum dicant: *Suscepimus Deus misericordiam tuam, in medio templi tui.* Pauperum & peregrinorum maximè susceptio omni cura sollicitè exhibeatur: quia in ipsis magis Christus suscipitur. Nam divitum terror ipse sibi exigit honorem.

Psal. 47.

Coquina Abbatis & hospitum per se sit, ut incertis horis supervenientes hospites, qui nunquam desunt Monasterio, non inquietent fratres. In quam coquinam ad annum ingrediantur duo fratres, qui ipsum officium benè impleant. Quibus, ut indigent, solatia ministrentur, ut absque murmuratione serviant; & iterum quando occupationem minorem habent, exeant, ubi eis imperatur, in opera. Et non solùm in ipsis, sed & in omnibus officiis Monasterii ista sit consideratio: ut quando indigent, solatia

accommodentur eis: & iterùm quando vacant, obediant imperanti.

Item & cellam hospitum habeat assignatam frater, cujus animam timor Dei possideat: ubi sint lecti strati sufficienter, & domus Dei à sapientibus sapienter administretur. Hospitibus autem, cui non præcipitur, nullatenùs societur neque colloquatur: sed si obviaverit aut viderit, salutatis humiliter, ut dictum est, & petita benedictione, pertranseat; dicens non licere sibi colloqui cum hospite.

CAPVT LIV.

Quòd non debeat Monachus literas vel Eulogia accipere sine jussu Abbatis.

NVLLATENVS liceat Monacho nec à parentibus suis, nec à quoquam hominum, nec sibi invicem literas aut Eulogia, vel quælibet munuscula accipere aut dare, sine præcepto Abbatis sui. Quòd si etiam à parentibus suis ei quicquam directum fuerit; non præsumat suscipere illud, nisi priùs indicatum fuerit Abbati. Quòd si jusserit suscipi, in Abbatis sit potestate cui illud jubeat dari: & non contristetur frater, cui fortè directum fuerat; ut non detur occasio Diabolo. Qui autem aliter præsumpserit, disciplinæ regulari subjaceat.

CAPVT LV.

De vestimentis & calceamentis Fratrum.

VESTIMENTA Fratribus secundùm locorum qualitatem ubi habitant, vel aëris temperiem, dentur: quia in frigidis regionibus, ampliùs indigetur, in calidis verò, minus. Hæc ergo consideratio penes Abbatem sit, Nos tamen mediocribus locis sufficere credimus Monachis, per singulos Cucullam & Tunicam: Cucullam in hyeme villosam; in æstate puram aut vetustam, & Scapulare propter opera: indumenta pedum, pedules & caligas. De quarum rerum omnium colore aut grossitudine non cau-

ſentur Monachi: ſed quales inveniri poſſunt in provincia quâ degunt; aut quod viliùs comparari poteſt.

Abbas autem de menſura provideat, ut non ſint curta ipſa veſtimenta utentibus eis, ſedmenſurata. Accipientes nova, vetera ſemper reddant in præſenti, reponenda in veſtiario propter pauperes. Sufficit enim Monacho duas Tunicas & duas Cucullas habere, propter noctes & propter lavare ipſas res: jam quod ſuprà fuerit, ſuperfluum eſt & amputari debet. Et pedules & quodcumque eſt vetuſtum reddant, dum accipiunt novum. Femoralia hi qui in via diriguntur, de veſtiario accipiant; quæ revertentes lota ibi reſtituant. Et Cucullæ & Tunicæ ſint aliquantò iis quas habere ſoliti ſunt meliores: quas exeuntes in viam accipiant de veſtiario & revertentes lotas ibi reſtituant.

Stramenta autem lectorum ſufficiant, Matta, Sagum, Læna & Capitale. Quæ tamen lecta, frequenter ab Abbate ſcrutanda ſunt, propter opus peculiare, ne inveniatur. Et ſi cui inventum fuerit quod ab Abbate non acceperit, graviſſimæ diſciplinæ ſubjaceat.

Bracile i. redimiculum ſeu ſuccinctorium. *Ita Caſſ. lib. 1. de veſte Monachi cap. 6. Iſid. lib. 19. Orig. c. 33. & Papias.*

Actor. c. 4.

Et ut hoc vitium peculiaris radicitùs amputetur, dentur ab Abbate omnia quæ ſunt neceſſaria: id eſt, Cuculla, Tunica, pedules, caligæ, *Bracile*, cultellus, graphium, acus, mappula, tabulæ: ut omnis auferatur neceſſitatis excuſatio. A quo tamen Abbate ſemper conſideretur illa ſententia Actuum Apoſtolorum: quia *dabatur ſingulis, prout cuique opus erat.* Ita ergo & Abbas conſideret infirmitates indigentium, non malam voluntatem invidentium. In omnibus tamen judiciis ſuis Dei retributionem cogitet.

CAPUT LVI.

De menſa Abbatis.

MENSA Abbatis, cum hoſpitibus & peregrinis ſit ſemper. Quoties tamen minus ſunt hoſpites, quos vult de Fratribus vocare, in ipſius ſit poteſtate. Seniorum autem unum aut duos ſemper cum fratribus dimittendos procuret, propter diſciplinam.

CAPUT

CAPUT LVII.

De Artificibus Monasterii.

ARTIFICES, si sunt in Monasterio, cum omni humilitate & reverentia faciant ipsas artes: si tamen jusserit Abbas. Quòd si aliquis ex eis extollitur pro scientia artis suæ, eò quòd videatur aliquid conferre Monasterio: hic talis evellatur ab ipsâ arte, & denuò per eam non transeat, nisi fortè humiliato ei iterum Abbas jubeat.

Si quid verò ex operibus Artificum venundandum est, videant ipsi per quorum manus transigenda sunt: ne aliquam fraudem præsumant inferre. Memorentur Ananiæ & Saphiræ, ne fortè mortem quam illi in corpore pertulerunt, hanc isti vel omnes qui aliquam fraudem de rebus Monasterii fecerint, in anima patiantur. In ipsis autem pretiis, non subrepat avaritiæ malum: sed semper aliquantulùm viliùs detur quàm à sæcularibus datur; ut in omnibus glorificetur Deus.

CAPUT LVIII.

De disciplina suscipiendorum Fratrum.

NOVITER veniens quis ad conversionem, non ei facilis tribuatur ingressus: sed sicut ait Apostolus: *Probate spiritus, si ex Deo sunt.* Ergo si veniens, perseveraverit pulsans & illatas sibi injurias & difficultatem ingressus, post quatuor aut quinque dies visus fuerit patienter portare & persistere petitioni suæ, annuatur ei ingressus, & sit in cella hospitum paucis diebus: posteà autem sit in cella Novitiorum, ubi meditetur, manducet & dormiat. 1. Ioan. c. 4.

Et senior ei talis deputetur, qui aptus sit ad lucrandas animas: qui super eum omninò curiosè intendat & sollicitus sit, si verè Deum quærit, si sollicitus est ad opus Dei, ad obedientiam, ad opprobria. Prædicentur ei omnia dura & aspera per quæ itur ad Deum. Et si promiserit de stabilitate sua perseverantiam, post duorum mensium cir-

culum legatur ei hæc Regula per ordinem, & dicatur ei: Ecce lex, sub qua militare vis. Si potes observare, ingredere: si verò non potes, liber discede. Si adhuc steterit, tunc ducatur in supradictam cellam Novitiorum: & iterùm probetur in omni patientia.

Et post sex mensium circulum, relegatur ei Regula, ut sciat ad quid ingreditur. Et si adhuc stat, post quatuor menses iterum legatur ei hæc eadem Regula. Et si habita secum deliberatione, promiserit se omnia custodire, & cuncta sibi imperata servare: tunc suscipiatur in Congregatione, sciens jam lege Regulæ constitutum, quòd ei ex illa die non liceat de Monasterio egredi, nec collum excutere de sub jugo Regulæ, quam sub tam morosa deliberatione licuit recusare aut suscipere.

Suscipiendus autem, in Oratorio coram omnibus promittat de stabilitate sua & conversione morum suorum & obedientia coram Deo & sanctis ejus, ut si aliquando aliter fecerit, ab eo se damnandum sciat quem irridet. De qua promissione sua, faciat petitionem ad nomen Sanctorum, quorum reliquiæ ibi sunt & Abbatis præsentis. Quam petitionem manu sua scribat: aut certè si non scit literas, alter ab eo rogatus scribat, & ille Novitius signum faciat, & manu sua eam super Altare ponat. Quam dum posuerit
Psal. 118. incipiat ipse Novitius mox hunc Versum: *Suscipe me Domine secundùm eloquium tuum & vivam: & non confundas me ab expectatione mea.* Quem Versum omnis Congregatio tertiò respondeat, adjungentes, *Gloria Patri.* Tunc ipse frater Novitius prosternatur singulorum pedibus, ut orent pro eo: & jam ex illa die in Congregatione reputetur.

Res si quas habet, aut eroget priùs pauperibus, aut facta solemniter donatione conferat Monasterio, nihil sibi reservans ex omnibus: quippe qui ex illo die nec proprii corporis potestatem se habiturum sciat. Mox ergo in Oratorio exuatur rebus propriis quibus vestitus est, & induatur rebus Monasterii. Illa autem vestimenta quibus exutus est reponantur in vestiario conservanda, ut si aliquando, suadente Diabolo, consenserit ut egrediatur de Monasterio, (quod absit) tunc exutus rebus Monasterii projiciatur. Illam tamen petitionem ejus, quam de-

ſuper Altare Abbas tulit, non recipiat: ſed in Monaſterio reſervetur.

CAPVT LIX.

De filiis nobilium vel pauperum qui offeruntur.

SI quis fortè de nobilibus offert filium ſuum Deo in Monaſterio, ſi ipſe puer minori ætate eſt, parentes ejus faciant petitionem quam ſuprà diximus. Et cum oblatione, ipſam petitionem & manum pueri involvant in palla altaris & ſic eum offerant.

De rebus autem ſuis, aut in præſenti petitione promittant ſub jurejurando, quia nunquam per ſe, nunquam per ſuſpectam perſonam, nec quolibet modo ei aliquando aliquid dent, aut tribuant occaſionem habendi.

Vel certè ſi hoc facere noluerint, & aliquid offerre voluerint in eleemoſynam Monaſterio pro mercede ſua: faciant ex rebus quas dare volunt Monaſterio donationem, reſervato ſibi (ſi ita voluerint) uſufructuario.

Atque ita omnia obſtruantur, ut nulla ſuſpicio remaneat puero, per quam deceptus perire poſſit (quod abſit) quod experimento didicimus. Similiter autem & pauperiores faciant. Qui verò ex toto nihil habent, ſimpliciter petitionem faciant, & cum oblatione offerant filium ſuum coram teſtibus.

CAPVT LX.

De Sacerdotibus qui voluerint in Monaſterio habitare.

SI quis de Ordine Sacerdotum in Monaſterio ſe ſuſcipi rogaverit, non quidem ei citiùs aſſentiatur: tamen ſi omninò perſtiterit in hac petitione, ſciat ſe omnem Regulæ diſciplinam ſervaturum, nec aliquid ei relaxabitur, ut ſit ſicut ſcriptum eſt: *Amice ad quid veniſti?* Concedatur ei tamen poſt Abbatem ſtare & benedicere aut Miſſas canere, ſi tamen juſſerit ei Abbas: ſin aliàs nullatenùs aliqua præſumat, ſciens ſe diſciplinæ Regulari ſubditum Matth. 26.

& magis humilitatis exempla omnibus det.

Si fortè ordinationis aut alicujus rei cauſa fuerit in Monaſterio, illum locum attendat quando ingreſſus eſt Monaſterium, non illum qui ei pro reverentia Sacerdotii conceſſus eſt. Clericorum autem ſi quis eodem deſiderio Monaſterio ſociari voluerit, loco mediocri collocetur; Si tamen ipſe promittit de obſervatione Regulæ vel propria ſtabilitate.

CAPVT LXI.

De Monachis peregrinis, qualiter ſuſcipiantur.

SI quis Monachus peregrinus de longinquis provinciis ſupervenerit, ſi pro hoſpite voluerit habitare in Monaſterio, & contentus fuerit conſuetudine loci quam invenerit; & non fortè ſuperfluitate ſua perturbat Monaſterium, ſed ſimpliciter contentus eſt quod invenerit, ſuſcipiatur quanto tempore cupit. Si qua tamen rationabiliter & cum humilitate charitatis reprehendit aut oſtendit, tractet Abbas prudenter: ne fortè eum propter hoc ipſum Dominus direxerit.

Si verò poſtea voluerit ſtabilitatem ſuam firmare, non renuatur talis voluntas: & maximè quia tempore hoſpitalitatis potuit ejus vita dignoſci. Quòd ſi ſuperfluus, aut vitioſus inventus fuerit tempore hoſpitalitatis, non ſolùm non debet ſociari corpori Monaſterii, verùm etiam dicatur ei honeſtè ut diſcedat, ne ejus miſeriâ etiam alii vitientur. Quòd ſi non fuerit talis qui mereatur projici, non ſolùm ſi petierit, ſuſcipiatur Congregationi ſociandus: verùm etiam ſuadeatur ut ſtet, ut ejus exemplo alii erudiantur; & quia in omni loco uni Domino ſervitur, & uni Regi militatur. Quem etiam ſi talem eſſe perſpexerit Abbas, liceat eum in ſuperiori aliquantulùm conſtituere loco.

Non ſolùm autem Monachum, ſed etiam de ſupradictis gradibus Sacerdotum vel Clericorum ſtabilire poteſt Abbas, in majori quàm ingrediuntur loco, ſi eorum talem proſpexerit eſſe vitam. Caveat autem Abbas, ne aliquando de alio noto Monaſterio Monachum ad habi-

tandum suscipiat, sine consensu Abbatis ejus aut literis commendatitiis, quia scriptum est: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Lib. Tobiæ c. 4.

CAPVT LXII.

De Sacerdotibus Monasterii.

SI quis Abbas sibi Presbyterum vel Diaconum ordinare petierit, de suis eligat qui dignus sit Sacerdotio fungi. Ordinatus autem caveat elationem aut superbiam. Nec quicquam præsumat, nisi quod ei ab Abbate præcipitur, sciens se multò magis disciplinæ Regulari subditum. Nec occasione Sacerdotii obliviscatur Regulæ obedientiam & disciplinam, sed magis ac magis in Domino proficiat. Locum verò illum semper attendat quo ingressus est Monasterium, præter officium Altaris, etsi fortè electio Congregationis & voluntas Abbatis pro vitæ merito eum promovere voluerit.

Qui tamen Regulam à Decanis, vel Præpositis constitutam sibi servandam sciat: quòd si aliter præsumpserit, non ut Sacerdos, sed ut rebellis judicetur. Et sæpè admonitus si non correxerit, etiam Episcopus adhibeatur in testimonium. Quòd si nec sic emendaverit, clarescentibus culpis projiciatur de Monasterio: si tamen talis fuerit ejus contumacia, ut subdi aut obedire Regulæ nolit.

CAPVT LXIII.

De ordine Congregationis.

ORDINES suos in Monasterio ita conservent, ut conversionis tempus & vitæ meritum discernit, utque Abbas constituerit. Qui Abbas non conturbet gregem sibi commissum, nec quasi libera utens potestate, injustè disponat aliquid: sed cogitet semper, quia de omnibus judiciis & operibus suis redditurus est Deo ra-

tionem. Ergo secundùm ordines quos constituerit vel quos habuerint ipsi fratres, sic accedant ad Pacem, ad Communionem, ad Psalmum imponendum, in choro standum. Et in omnibus omninò locis ætas non discernatur in ordine, nec præjudicet: quia Samuel & Daniel pueri Presbyteros judicaverunt.

Ergo exceptis his, quos, ut diximus, altiori consilio Abbas prætulerit vel degradaverit certis ex causis, reliqui omnes ut convertuntur, ita sint: ut, verbi gratiâ, qui secundâ horâ diei venerit in Monasterium, juniorem se noverit illius esse qui primâ horâ venit diei, cujuslibet ætatis aut dignitatis sit. Pueris verò per omnia ab omnibus disciplina teneatur.

Iuniores igitur, Priores suos honorent: Priores juniores suos diligant. In ipsa autem appellatione nominum, nulli liceat alium puro nomine appellare: sed Priores, juniores suos fratres nominent. Iuniores autem, Priores suos Nonnos vocent: quod intelligitur paterna reverentia. Abbas autem, quia vices Christi agere creditur, Domnus & Abbas vocetur: non sua assumptione, sed honore & amore Christi. Ipse autem cogitet, & sic se exhibeat, ut dignus sit tali honore.

Ubicumque autem sibi obviant Fratres junior à Priore benedictionem petat. Transeunte majore, minor surgat & det ei locum sedendi. Nec præsumat junior consedere, nisi ei præcipiat senior suus: ut fiat quod scriptum est: *Honore invicem prævenientes.* (Epist. ad Rom. cap. 12.) Pueri, parvuli vel adolescentes, in Oratorio vel ad mensas, cum disciplina ordines suos consequantur. Foris autem vel ubi ubi, custodiam habeant & disciplinam, usque dum ad intelligibilem ætatem perveniant.

CAPUT LXIV.

De ordinando Abbate.

IN Abbatis ordinatione illa semper consideretur ratio, ut hic constituatur quem sibi omnis concors Congregatio secundùm timorem Dei, sive etiam pars quam-

vis parva Congregationis, ſaniori conſilio elegerit. Vitæ autem merito & ſapientiæ doctrina eligatur qui ordinandus eſt, etiam ſi ultimus fuerit in ordine Congregationis.

Quòd ſi etiam omnis Congregatio vitiis ſuis (quod quidem abſit) conſentientem perſonam pari conſilio elegerit, & vitia ipſa aliquatenus in notitiam Epiſcopi ad cujus Diœceſim pertinet ille locus vel Abbatibus aut vicinis Chriſtianis claruerint: prohibeant pravorum prævalere conſenſum, & domui Dei dignum conſtituant diſpenſatorem; ſcientes pro hoc ſe recepturos mercedem bonam, ſi illud caſtè & zelo Dei faciant: ſicut è diverſo peccatum, ſi negligant.

Ordinatus autem Abbas cogitet ſemper quale onus ſuſcepit, & cui redditurus eſt rationem villicationis ſuæ. Sciatque ſibi oportere prodeſſe magis, quàm præeſſe. Oportet ergo eum eſſe doctum lege divina, ut ſciat unde proferat nova & vetera: caſtum, ſobrium, miſericordem, & ſuperexaltantem miſericordiam judicio, ut idem ipſe conſequatur. Oderit vitia, diligat fratres.

In ipſa autem correptione prudenter agat & ne quid nimis: ne dum nimis cupit eradere æruginem, frangatur vas. Suámque fragilitatem ſemper ſuſpectus ſit: memineritque calamum quaſſatum non conterendum. In quibus non dicimus ut permittat nutriri vitia, ſed prudenter & cum charitate ea amputet prout viderit cuique expedire ſicut jam diximus; & ſtudeat plus amari quàm timeri. Non ſit turbulentus & anxius, non ſit nimius & obſtinatus, non zelotypus & nimis ſuſpicioſus, quia talis nunquam requieſcit.

In ipſis imperiis ſuis ſit providus & conſideratus, ſive ſecundùm Deum, ſive ſecundùm ſæculum ſint. Opera quæ injungit diſcernat & temperet, cogitans diſcretionem ſancti Iacob dicentis: *Si greges meos plus in ambulando fecero laborare, morientur cuncti una die.* Gen. c. 33. Hæc ergo aliaque teſtimonia diſcretionis matris virtutum ſumens, ſic omnia temperet: ut & fortes ſint qui cupiunt & infirmi non refugiant. Et præcipuè, ut præſentem Regulam in omnibus conſervet: ut dum benè miniſtraverit, audiat à Domino, quod ſervus bonus qui erogavit triti-

Matth. c. 25. cum conservis suis in tempore suo; *Amen dico vobis, super omnia bona sua constituet eum.*

CAPUT LXV.

De Præposito Monasterii.

SÆPIUS quidem contingit, ut per ordinationem Præpositi scandala gravia in Monasteriis oriantur, dum sint aliqui maligno spiritu superbiæ inflati, qui æstimantes se secundos Abbates esse, assumentes sibi tyrannidem scandala nutriunt & dissensiones in Congregatione faciunt & maximè in illis locis, ubi ab eodem Sacerdote vel ab eisdem Abbatibus qui Abbatem ordinant, ab ipsis etiam & Præpositus ordinatur.

Quod quàm sit absurdum, facilè advertitur: quia ab ipso initio ordinationis materia ei datur superbiendi, dum ei suggeritur à cogitationibus suis, exutum eum esse à potestate Abbatis sui; quia ab ipsis est ordinatus à quibus & Abbas. Hinc suscitantur invidiæ, rixæ, detractiones, æmulationes, dissensiones, exordinationes. Et dum contraria sibi invicem Abbas Præpositusque sentiunt: & ipsorum necesse est sub hac dissensione animas periclitari, & ij qui sub ipsis sunt, dum adulantur partibus eunt in perditionem. Cujus periculi malum illos respicit in capite, qui talis inordinationis se fecerunt authores.

Ideoque nos prævidemus expedire propter pacis charitatisque custodiam, in Abbatis pendere arbitrio ordinationem Monasterii sui. Et si potest fieri, per Decanos ordinetur, ut antea disposuimus, omnis utilitas Monasterii, prout Abbas disposuerit: ut dum pluribus committitur, unus non superbiat.

Quòd si aut locus expetit, aut Congregatio petierit rationabiliter cum humilitate, & Abbas judicaverit expedire, quemcumque elegerit Abbas cum consilio Fratrum timentium Deum: ordinet ipse sibi Præpositum. Qui tamen Præpositus, illa agat cum reverentia quæ ab Abbate suo ei injuncta fuerint, nihil contra Abbatis voluntatem aut ordinationem faciens: quia quantò prælatus est

cæteris,

cæteris, tantò eum oportet ſollicitiùs obſervare præcepta Regulæ.

Qui Præpoſitus, ſi repertus fuerit vitioſus aut elatione deceptus ſuperbiæ, aut contemptor ſanctæ Regulæ fuerit comprobatus, admoneatur verbis uſque quater: ſi non emendaverit, adhibeatur ei correctio diſciplinæ Regularis. Quòd ſi neque ſic correxerit, tunc dejiciatur de ordine Præpoſituræ: & alius qui dignus eſt, in loco ejus ſubrogetur. Quòd ſi & poſtea in Congregatione quietus & obediens non fuerit, etiam de Monaſterio expellatur. Cogitet tamen Abbas ſe de omnibus judiciis ſuis Deo redditurum rationem, ne fortè invidiæ aut zeli flamma urat animam ſuam.

CAPVT LXVI.

De Oſtiario Monaſterii.

AD portam Monaſterii ponatur ſenex ſapiens, qui ſciat accipere reſponſum & reddere: cujus maturitas eum non ſinat vagari. Qui Portarius cellam debet habere juxta portam: ut venientes ſemper præſentem inveniant, à quo reſponſum accipiant. Et mox ut aliquis pulſaverit aut pauper clamaverit, Deo gratias reſpondeat aut benedicat: & cum omni manſuetudine timoris Dei, reddat reſponſum feſtinanter, cum fervore charitatis. Qui Portarius ſi indiget ſolatio, juniorem Fratrem accipiat.

Monaſterium autem (ſi poſſit fieri) ita debet conſtrui, ut omnia neceſſaria, id eſt, Aqua, Molendinum, Hortus, Piſtrinum vel artes diverſæ, intra Monaſterium exerceantur, ut non ſit neceſſitas Monachis vagandi foras; quia omninò non expedit animabus eorum. Hanc autem Regulam ſæpiùs volumus in Congregatione legi, ne quis Fratrum de ignorantia ſe excuſet.

CAPVT LXVII.

De Fratribus in via directis.

DIRIGENDI Fratres in via, omnium Fratrum vel Abbatis orationi ſe commendent : & ſemper ad orationem ultimam operis Dei, commemoratio omnium abſentium fiat. Revertentes autem de via Fratres ipſo die quo redeunt, per omnes Canonicas Horas dum expletur opus Dei, proſtrati ſolo Oratorii ab omnibus petant orationem, propter exceſſus : ne quid fortè ſubripuerit in via viſûs, aut auditûs malæ rei aut otioſi ſermonis.

Nec præſumat quiſquam aliis referre quæcumque foris Monaſterium viderit aut audierit : quia plurima deſtructio eſt. Quòd ſi quis præſumpſerit, vindictæ Regulari ſubjaceat. Similiter & qui præſumpſerit clauſtra Monaſterii egredi, vel quocumque ire, vel quidpiam quamvis parvum ſine Abbatis juſſione facere.

CAPVT LXVIII.

Si Fratri impoſſibilia injungantur.

SI cui Fratri aliqua fortè gravia aut impoſſibilia injunguntur ; ſuſcipiat quidem jubentis imperium, cum omni manſuetudine & obedientia. Quòd ſi omninò virium ſuarum menſuram viderit pondus excedere ; impoſſibilitatis ſuæ cauſas ei qui ſibi præeſt patienter & opportunè ſuggerat, non ſuperbiendo aut reſiſtendo vel contradicendo. Quòd ſi poſt ſuggeſtionem ſuam in ſua ſententia Prioris imperium perduraverit : ſciat junior ita ſibi expedire, & ex charitate confidens de adjutorio Dei, obediat.

Etſi difficilè cavetur ubique ſubrepens vel inſidians inobedientia in tam variis & innumeris quæ à ſenioribus indicuntur, non ſemper tamen damnabiliter ſeu criminaliter quod præcipitur, non impletur. Etſi enim omnis inobedientia inexcuſabiliter ſit culpabilis, nulla tamen æternaliter damnabilis, niſi quam remedium pœnitentiæ non ſanat. Nulla eſt læthaliter criminalis, niſi quæ contemptum ſuperbiæ non evitat. Magna igitur ſecuritas filiis obedientiæ, & revera pax hominibus bonæ voluntatis, quando in omni obedientia ſola damnatur impœnitentia, quam neſcit qui diligit Deum; ſola incriminatur ſuperbia, quam facilè cavet qui timet gehennam. Sed exemplis clariùs eluceſcet quod dicimus. Si jubente ſeniore ut ſileam, verbum mihi fortè per oblivionem elabitur, reum me fateor inobedientiæ, ſed venialiter. Si ex contemptu ſciens & deliberans ſpontè in verba prorupero & rupero ſilentii legem : prævaricatorem me conſtituo & criminaliter ; & ſi impœnitens perſevero uſque ad mortem, peccavi & damnabiliter. *S. Bern. lib. de Præcept. & diſp. c. 12.*

CAPVT LXIX.

Vt in Monasterio non præsumat alter alterum defendere.

SVMMOPERE præcavendum eſt, ne quavis occaſione præſumat alter alterum defendere Monachum in Monaſterio, aut quaſi tueri : etiamſi qualibet conſanguinitatis propinquitate jungantur. Nec quolibet modo id à Monachis præſumatur : quia exinde graviſſima occaſio ſcandalorum oriri poteſt. Quòd ſi quis hæc tranſgreſſus fuerit, acriùs coërceatur.

CAPVT LXX.

Vt non præsumat quisquam aliquem passim cædere aut excommunicare.

VT vitetur in Monaſterio omnis præſumptionis occaſio ; Ordinamus atque conſtituimus ut nulli liceat quemquam Fratrum ſuorum excommunicare aut cædere ; niſi cui poteſtas ab Abbate data fuerit. Peccantes autem coram omnibus arguantur : ut cæteri metum habeant. Infantibus verò uſque ad quintum decimum annum ætatis, diſciplinæ diligentia ſit & cuſtodia adhibeatur ab omnibus. Sed & hoc cum omni menſura & ratione. Nam in fortiori ætate qui præſumpſerit aliquatenùs ſine præcepto Abbatis, vel in ipſis infantibus ſine diſcretione exarſerit, diſciplinæ Regulari ſubjaceat : quia ſcriptum eſt : *Quod tibi non vis fieri alii ne feceris.* Tob. 4.

CAPVT LXXI.

Vt obedientes ſint ſibi invicem Fratres.

OBEDIENTIÆ bonum non ſolùm Abbati exhibendum eſt ab omnibus: ſed etiam ſibi invicem ita obediant Fratres, ſcientes ſe per hanc obedientiæ viam ituros ad Deum. Præmiſſo ergo Abbatis, aut Præpoſitorum qui ab eo conſtituuntur imperio, (cui non permittimus privata imperia præponi) de cætero omnes juniores Prioribus ſuis omni charitate & ſollicitudine obediant. Quòd ſi quis contentioſus reperitur, corripiatur.

Si quis autem Frater pro quavis minima cauſa ab Abbate, vel à quocumque Priore ſuo corripiatur quolibet modo: vel ſi leviter ſenſerit animum Prioris cujuſcumque contra ſe iratum vel commotum, quamvis modicè, mox ſine mora tamdiu proſtratus in terra ante pedes ejus jaceat ſatisfaciens, uſque dum benedictione ſanetur illa commotio. Quòd ſi quis contempſerit facere, aut corporali vindictæ ſubjaceat: aut ſi contumax fuerit, de Monaſterio expellatur.

CAPVT LXXII.

De Zelo bono quem debent habere Monachi.

SICVT eſt Zelus amaritudinis malus, qui ſeparat à Deo & ducit ad infernum: ita eſt zelus bonus, qui ſeparat à vitiis & ducit ad Deum, & ad vitam æternam. Hunc ergo zelum, ferventiſſimo amore exerceant Monachi: id eſt, ut honore ſe invicem præveniant. Infirmitates ſuas ſive corporum, ſive morum, patientiſſimè tolerent: obedientiam ſibi certatim impendant. Nullus quod ſibi utile judicat ſequatur, ſed quod magis alii. Charitatem fraternitatis caſto impendant amore. Deum timeant: Abbatem ſuum ſincerâ & humili charitate diligant.

Christo omninò nihil præponant, qui nos pariter ad vitam æternam perducat, Amen.

CAPUT LXXIII.

De eo quòd non omnis observatio justitiæ in hac sit Regula constituta.

REGULAM autem hanc descripsimus, ut eam observantes in Monasteriis, aliquatenùs vel honestatem morum, aut initium conversationis nos demonstremus habere. Cæterùm ad perfectionem qui tendit: sunt doctrinæ sanctorum Patrum, quarum observatio perducit hominem ad celsitudinem perfectionis. Quæ enim pagina, aut quis sermo divinæ authoritatis veteris ac novi Testamenti, non est rectissima norma vitæ humanæ? Aut quis liber sanctorum Catholicorum Patrum hoc non resonat, ut recto cursu perveniamus ad Creatorem nostrum?

Nec-non & collationes Patrum, & Instituta & vita eorum, & Regula sancti Patris nostri Basilii, quid aliud sunt nisi bene viventium & obedientium Monachorum exempla, & instrumenta virtutum? Nobis autem desidiosis & malè viventibus atque negligentibus, rubor confusionis est. Quisquis ergo ad Patriam cœlestem festinas, hanc minimam inchoationis Regulam descriptam, adjuvante Christo perfice: & tunc demùm ad majora, quæ suprà commemoravimus, doctrinæ virtutumque culmina, Deo protegente, pervenies.

Facientibus hæc Regna patebunt superna, Amen.

Partienda est proinde nobis in duo universa hæc observatio regularis, in *Præcepta* videlicet & *remedia*. Præceptis instituitur vita contra peccatum, remediis restituitur post peccatum innocentia. Sic ergo utraque ista complectitur nostra professio, ut professus quisque cùm in aliquo fortè regularium mandatorum deliquerit, si ad remedium æquè regulare confugerit, etsi convincitur transgressor mandati, non tamen pacti prævaricator. Solùm itaque censuerim fregisse votum, violasse propositum, pactum prævaricasse, qui & præceptum contempserit & remedium. Nam illum sanè dico secutum, qui etiam si interdùm obedientiæ limitem præterit, consilium non respuit pœnitentiæ. Regulares namque terminos, etsi sæpè deliquerit, non evadit qui censuræ, quæ ex Regula est, disciplinam non subterfugit. Pars siquidem Regulæ est regularis correctio, & in ea reperitur non solùm bonæ vitæ instructio, sed etiam emendatio pravæ. Inveniuntur in ea & præcepta obedientiæ, & inobedientiæ remedia, ut ne peccando quidem à Regula recedatur. *S. Bernard. lib. de Præcepto & dispensatione cap.* 13.

APPROBATIO REGVLÆ S. BENEDICTI.

Vide Baron. ad an. 565.

EGo Gregorius Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Præſul, Scripſi vitam Beati Benedicti & legi Regulam, quam ipſe Sanctus manu propria ſcripſit. Laudavi eam & confirmavi in ſancta Synodo: & per diverſas partes Italiæ, & ubicumque Latinæ literæ legerentur præcepi ut diligentiſſimè obſervarent quicumque ad converſionis gratiam acceſſuri eſſent uſque in finem mundi. Et confirmo duodecim Monaſteria, quæ ipſe Sanctus conſtruxit.

Ex Privilegio Monaſterii Sublacenſis.





ADMONITIO
IN
CHARTAM CHARITATIS.



HANC Cisterciensis Ordinis primam Constitutionem, CHARTÆ CHARITATIS nomen à suis authoribus accepisse, testantur in primis omnia illius manuscripta, ac subindè plures Romani Pontifices; maximè verò Eugenius III. Anastasius IV. Adrianus IV. Alexander III. & Clemens IV. Qui dum illam singuli confirmarunt, hoc illi nomen constanter asseruerunt. Nec sanè desunt hujus tam honorificæ nuncupationis rationes. Nam præter quam quod Clemens IV. hoc eam nomine insignitam ait, à CHARITATE quam undecumque spirant illius decreta: Calixtus II. qui primus eam singulari diplomate consecravit, eandem *omnium tam Abbatum & Monachorum* ejusdem Ordinis, quam *Episcoporum in quorum Parochiis prima illorum Monasteria constituta fuerant consensu ac deliberatione communi ac mutua Charitate* sancitam fuisse declarat. Tantùm verò abest ut aliquam illius authores, *terrenæ alicujus* (ut ipsi loquuntur) *commoditatis seu rerum temporalium exactionem suis fratribus per illam* imponere tentaverint, quin potiùs illis, si quando penuriam aut ruinam eorum aliqui incurrerent, subsidium à cæteris maxima cum Charitate suppeditari voluerunt. Adde quod quemadmodum eorum successores in ejusdem Constitutionis Prologo censuerunt, hac ipsa Constitutione *mutuæ pacis præcaventes naufragium, statuerunt quo pacto quove modo, imò qua CHARITATE, Monachi eorum per Abbatias, in diversis partibus mundi constitutas, corporibus divisi, animis indissolubiliter conglutinarentur.* Hæc de nomine hujus Constitutionis.

Quod autem spectat ad Decreta quæ in illa continentur, omnia illa ad duo potissimùm capita referuntur; nempe ad morum Institutionem & ad Regimen Ordinis seu administrationem. Ac primum quidem illius caput moribus instituendis Regulam S. Benedicti præscribit, eamque unicam, utpotè sufficientem, si accuratè & ad literam observetur. Cætera verò illius capita Regimini Personarum ac Monasteriorum administrationi subserviunt, dum Visitationes Monasteriorum, Electiones Abbatum, Patrum Abbatum Authoritatem, Capituli Generalis celebrationem & alia id genus sapientissimè moderantur; quibus, ut hoc obiter moneam, omnem hujus Ordinis Jurisdictionem, Superioritatem & Authoritatem ad Abbates


proprios, ad Patres Abbates & ad Capitulum Generale revocare velle videntur.

De Authore verò hujus Conſtitutionis hoc nobis apparet veroſimilius, nimirùm S. Stephanum Ciſtercii tertium Abbatem, præcipuum quidem illius fuiſſe Authorem, non tamen unicum. Nam ut ſupra meminimus, eadem Conſtitutio conſenſu ac deliberatione communi omnium Abbatum & Monachorum ſancita eſt, quemadmodum Calixtus II. Eugenius III. & Clemens. IV. diſertis verbis profitentur.

Cæterùm etſi non conſtet quo præcisè anno conſcripta ſit, certiſſimum eſt eam anno milleſimo centeſimo decimo nono ab eodem Summo Pontifice Calixto II. fuiſſe confirmatam.



CHARTA



CHARTA CHARITATIS

CAPUT PRIMUM.

De singulari inter personas hujus Ordinis consensione circa sensum & praxim Regulæ S. Benedicti cæterosque alios Usus ac Ceremonias.

QUIA unius veri Regis, Domini & Magistri, nos omnes servos, licet inutiles, esse cognoscimus: idcircò Abbatibus & Confratribus nostris Monachis, quos per diversa loca Dei Pietas per nos miserrimos hominum sub regulari disciplina ordinaverit, nullam terrenæ commoditatis seu rerum temporalium exactionem imponimus. Prodesse enim illis omnibusque sanctæ Ecclesiæ filiis cupientes, nihil quod eos gravet, nihil quod eorum substantiam minuat, erga eos agere disponimus: ne dum nos abundantes de eorum paupertate esse cupimus, avaritiæ malum quod secundùm Apostolum, *Idolorum servitus comprobatur*, evitare non possimus. Curam tamen animarum illorum, gratiâ *Charitatis* retinere volumus, ut si quando à Proposito & Observantia Sanctæ Regulæ, quod absit, declinare tentaverint, per nostram sollicitudinem, ad rectitudinem vitæ redire possint.

ANNO Dom. 1119. Cistercii 21.

Ephes. 5.

Et hęc est prima ratio cur huic Constitutioni nomen *Charta Charitatis* indiderunt.

Nunc ergo volumus illisque præcipimus, ut Regulam B. Benedicti per omnia observent sicut in *Novo Monasterio* observatur. Non alium inducant sensum in lectionem sanctæ Regulæ, sed sicut antecessores nostri sancti Patres, Monachi videlicet *Novi Monasterii*, intellexerunt & te-

Novum Monasterium .I. Cistercium.

nuerunt, & nos hodiè intelligimus & tenemus; ita & isti intelligant & teneant.

Et quia omnes Monachos ipsorum ad nos venientes in claustro nostro recipimus, & ipsi similiter nostros in claustris suis recipiunt: Ideo nobis opportunum videtur, & hoc etiam volumus, ut mores & cantum & libros omnes, ad omnes horas diurnas & nocturnas & ad missas necessarios, secundùm formam morum & librorum *Novi Monasterii* possideant: Quatenùs in actibus nostris nulla sit discordia, sed *unâ Charitate, unâ Regulâ similibusque vivamus moribus.*

Et hinc oritur secunda ratio cur hoc Statutum nuncupari possit *Charta Charitatis.*

Nec aliqua Ecclesia vel persona nostri Ordinis adversùs communia Instituta nostri Ordinis Privilegium à quolibet postulare audeat, vel obtentum modo quolibet retinere.

CAPVT II.

De Visitationibus Patrum Abbatum, ac mutua ipsorum ad invicem honoris prosecutione.

CVM verò Abbas *Novi Monasterii* ad aliquod horum Cœnobiorum visitandi gratiâ venerit, Abbas illius loci, ut Ecclesiam *Novi Monasterii* suæ Ecclesiæ matrem esse recognoscat, cedat ei in omnibus locis sui Monasterii: & ipse Abbas adveniens locum illius Abbatis quandiu ibi manserit teneat, excepto quod non in hospitio, sed in refectorio cum fratribus, propter disciplinam servandam comedat, nisi Abbas loci illius defuerit. Similiter & omnes supervenientes nostri Ordinis Abbates faciant; quod si plures supervenerint, & Abbas illius loci defuerit, prior illorum in hospitio comedat. Et hoc excipitur quòd Abbas illius loci etiam in præsentia majoris Abbatis, suos Novitios post regularem probationem benedicet.

Tertia ratio cur hæc constitutio *Charta Charitatis* nuncupetur, nempe mutua hæc honoris & reverentiæ quam præcipit exhibitio.

Abbas quoque *Novi Monasterii* caveat ne quicquam præsumat tractare aut ordinare aut contingere de rebus illius loci ad quem venerit, contra Abbatis vel Fratrum voluntatem; si autem Præcepta Regulæ, vel nostri Ordinis Instituta, intellexerit in eodem loco prævaricari,

cum consilio præsentis Abbatis charitativè studeat Fratres corrigere; si verò Abbas loci non affuerit, nihilominùs corrigat quod sinistrum invenerit.

Semel per annum visitet Abbas Majoris Ecclesiæ per se vel per aliquem de Coabbatibus suis omnia Cœnobia quæ ipse fundaverit. Et si Fratres ampliùs visitaverit, inde magis gaudeant. Domum autem Cisterciensem semel per seipsos visitent quatuor primi Abbates de Firmitate, de Pontigniaco, de Claravalle & de Morimundo, die qua inter se constituerint, præter annuum Capitulum Generale, nisi fortè aliquem eorum gravis ægritudo detineat.

Cum autem aliquis Abbas nostri Ordinis ad *Novum Monasterium* venerit, reverentia Abbati congrua ei exhibeatur. Stallum Abbatis loci illius teneat, in hospitio comedat, si tamen Abbas defuerit; si verò præsens fuerit, nihil horum agat, sed in refectorio comedat. Prior autem negotia domûs disponat.

Inter Abbatias illas quæ se alterutras non genuerint, ista lex erit. Omnis Abbas in omnibus locis sui Monasterii Coabbati suo cedat advenienti, ut impleatur illud quod scriptum est, *honore invicem prævenientes*. Si duo aut eò ampliùs convenerint, qui prior erit de advenientibus locum superiorem tenebit. Omnes tamen præter Abbatem loci illius in refectorio comedent, ut suprà diximus; aliàs autem ubicumque convenerint, secundùm tempus Abbatiarum suarum, ordinem suum tenebunt, ut cujus Ecclesia fuerit antiquior, ille sit Prior: ubicumque verò consederint, humilient sibi mutuò. ad Rom. c. 12.

Cum verò aliqua Ecclesiarum nostrarum Dei gratiâ adeò creverit, ut aliud Cœnobium construere possit; illam definitionem quam nos inter Fratres nostros tenemus, & ipsi inter se teneant, excepto quod inter se annuum Capitulum non habebunt.



CAPUT III.

De Institutione, auctoritate & forma Capituli Generalis.

OMNES Abbates de Ordine nostro singulis annis ad Cisterciense Capitulum Generale omni postposità occasione convenient, illis solis exceptis, quos corporis infirmitas retinuerit; qui tamen idoneum nuntium delegare debebunt, per quem necessitas remorationis eorum valeat Capitulo nuntiari. Et illis item exceptis qui in remotioribus partibus habitantes eo termino venerint, qui eis fuerit à Capitulo constitutus. Quod si quis alia quacumque de causa à Capitulo Generali nostro remanere præsumpserit, in sequentis anni Capitulo pro culpa veniam petat, nec sine gravi animadversione pertranseat. In quo quidem Capitulo Generali, de salute animarum suarum tractent, & in Observatione sanctæ Regulæ & Ordinis, si quid emendandum fuerit vel agendum ordinent; Bonum pacis & charitatis inter se reforment.

Si quis verò Abbas minùs in Regula studiosus fuerit, vel rebus sæcularibus nimis intentus, vel in aliquibus vitiosus repertus fuerit, ibi charitativè clametur; clamatus veniam petat, & poenitentiam sibi pro culpa indictam adimpleat. Hanc verò clamationem non nisi Abbates faciant.

Clametur, idem est hoc loco ac *accusetur* vel *denuntietur*.

Si verò aliqua controversia inter aliquos Abbates emerserit, vel de aliquo eorum tam gravis culpa propalata fuerit, ut suspensionem aut depositionem mereatur: quidquid inde à Capitulo fuerit definitum, sine retractatione observetur. Si verò pro diversitate sententiarum in discordiam causa devenerit, illud inde irrefragabiliter teneatur, quod Abbas Cistercii, & hi qui sanioris consilii & magis idonei apparuerint, judicabunt; hoc observato quod nemo eorum ad quos specialiter causa respexerit, definitioni debeat interesse.

Si aliqua Ecclesia pauperiem intolerabilem incurrerit, Abbas loci illius coram omni Capitulo hanc causam intimare studeat: & tunc singuli Abbates maximo Charita-

En tibi adhuc & nova ratio Nominis *Chartæ Charitatis* nimirum ex subsi-

tis igne succensi, illius Ecclesiæ penuriam de rebus à Deo sibi collatis prout habuerint, sustentare festinent. dio, Monasterio penuriam patienti concesso.


CAPUT IV.

De Electionibus Abbatum.

SI qua domus Ordinis nostri Abbate proprio fuerit destituta, Major Abbas de cujus domo illa exivit omnem curam habeat ordinationis illius, donec Abbas alius eligatur in ea; & præfixâ die electionis, etiam ex Abbatibus, si quos domus illa genuerit advocentur, & consilio & voluntate Patris Abbatis, Abbates & Monachi domûs illius Abbatem eligant.

Domui autem Cistercii, quia Mater est omnium nostrum, dum proprio Abbate caruerit, quatuor primi Abbates, scilicet de Firmitate, de Pontigniaco, de Claravalle & de Morimundo provideant & super eos sit cura domûs illius, donec Abbas in eâ electus fuerit & statutus. Ad electionem autem Cisterciensis Abbatis, præfixâ & prænotatâ die ad minùs per quindecim dies convocentur ex Abbatibus quorum domus de Cistercio exierunt, & ex aliis quos prædicti Abbates & Fratres Cistercienses idoneos noverint. Et congregati in nomine Domini Abbates & Monachi Cistercienses eligant Abbatem.

Liceat autem cuique Matri Ecclesiæ Ordinis nostri non solùm de Monachis filiarum suarum Ecclesiarum, sed de ipsis quoque Abbatibus earum, liberè sibi, si necesse fuerit, assumere Abbatem. Personam verò de alio Ordine, nulla de nostris Ecclesiis sibi eligat in Abbatem; sicut nec nostrarum aliquem licet Monasteriis aliis quæ non sunt de Ordine nostro, dari.



CAPUT V.

De Cessione & depositione Abbatum.

SI quis Abbas pro inutilitate seu pusillanimitate sua à Patre suo Abbate Domûs illius de quâ sua exivit, postulaverit ut ab onere Abbatiæ suæ relaxetur; caveat ille ne facilè & sine rationabili & multum necessaria causa acquiescat: sed etsi fuerit tanta necessitas, nihil per se inde faciat, sed convocatis aliquibus aliis Abbatibus nostri Ordinis, eorum consilio agat quod pariter noverint oportere.

Si quis verò Abbatum contemptor sanctæ Regulæ aut Ordinis prævaricator vel commissorum sibi Fratrum vitiis consentiens innotuerit; Abbas Majoris Ecclesiæ per seipsum vel per Priorem suum, aut quomodò opportuniùs potuerit, de emendatione eum admoneat usque quater. Quod si nec ita correctus fuerit, nec spontè cedere voluerit; congregato aliquanto numero Abbatum nostræ Congregationis, transgressorem sanctæ Regulæ ab officio suo amoveant: ac deinceps alter qui dignus sit, consilio & voluntate majoris Abbatis, à Monachis illius Ecclesiæ, simul & ab Abbatibus, si qui ad eam pertinent, sicut suprà dictum est, eligatur.

Per Abbatem *Majoris Ecclesiæ* intellige *Patrem Abbatem* seu Abbatē domûs illius quæ alteram genuerit.

Si autem is qui deponitur, & Monachi ejus (quod Deus avertat) contumaces & rebelles esse voluerint; ab ipso Abbate majoris Ecclesiæ & Coabbatibus excommunicationi subdantur, ac deinceps ab ipso coërceantur prout potuerit & cognoverit expedire. Ex hoc sanè si quis eorum ad se reversus, de morte animæ suæ resurgere & ad Matrem suam redire voluerit, tanquam filius pœnitens recipiatur. Nam sine hac causa, multo semper studio devitanda, nullus Abbas Monachum cujuscumque Abbatis Ordinis nostri sine ejus assensu retineat. Nullus in domum cujuscumque alterius, sine ejus voluntate suos ad inhabitandum Monachos introducat.

Eodem etiam modo si fortè (quod absit) Abbates nostri Ordinis matrem nostram Cisterciensem Ecclesiam in sancto proposito languescere, & ab Observatione sanctæ

Regulæ vel Ordinis exorbitare cognoverint; Abbatem ejusdem loci per quatuor primarios Abbates scilicet de Firmitate, de Pontigniaco, de Claravalle & de Morimundo, sub cæterorum Abbatum nomine usque quater, ut corrigatur ipse, & alios corrigere curet, admoneant: & cætera quæ de aliis dicta sunt Abbatibus si incorrigibiles apparuerint, circà eum studiosè adimpleant; excepto quod si spontè cedere noluerit, nec ipsum deponere, nec contumaci anathema dicere poterunt, donec aut in Generali Capitulo, aut si illud fortè visum fuerit expectari non posse, in Conventu alio convocatis Abbatibus qui de Cistercio exierunt, & aliquibus aliorum, virum inutilem ab officio suo deponant, & tam ipsi quàm Monachi Cistercienses idoneum Abbatem eligere studeant. Quod si Abbas ille vel Monachi Cistercienses contumaciter recalcitrare voluerint, gladio excommunicationis eos ferire minimè vereantur.

Posteà autem si quis eorum prævaricator tandem resipiscens, & animam suam salvare cupiens, ad quamlibet nostrarum quatuor Ecclesiarum sive ad Firmitatem, sive ad Pontigniacum, sive ad Claramvallem, sive ad Morimundum confugerit; sicut domesticus & cohæres Ecclesiæ cum regulari satisfactione recipiatur, quoadusque propriæ Ecclesiæ, sicut justum fuerit, reconciliatus quandoque reddatur. Interim autem annuum Capitulum non apud Cistercium, sed ubi quatuor Primis prænominatis prævisum fuerit, celebretur.

CAPVT VI.

Confirmatio prædictæ Constitutionis A D. Papa Calixto II.

Guido Cardinalis Archiepiscopus Viennensis electus est Romanus Pontifex Anno D. MCXIX. & Calixtus Secundus nuncupatus.

CALIXTVS Episcopus servus servorum Dei Charissimis in Christo filiis Stephano Venerabili Cistercensis Monasterii Abbati & ejus fratribus SALVTEM & Apostolicam Benedictionem. Anno Christi 1119. Cistercii 21.

Ad hoc in Apostolicæ Sedis regimen Domino dispo-nente promoti, conspicimur ut ipso præstante Religionem augere, & quæ rectè atque ad salutem animarum statuta sunt, nostri debeamus auctoritate officii stabilire. Idcircò filii in Christo Charissimi, petitioni vestræ charitate debitâ impertimur assensum, & Religioni vestræ paterno congratulantes affectu, Dei operi quod cœpistis, manum nostræ confirmationis apponimus.

Ex his verbis evidenter colligitur hanc *Chartam Charitatis* seu Constitutionem, non à solo S. Stephano, sed ab aliis quoque Abbatibus fuisse conscriptam.

Siquidem *consensu & deliberatione communi Abbatum & Fratrum Monasteriorum vestrorum & Episcoporum*, in quorum Parochiis eadem Monasteria continentur, quædam de Observatione Regulæ Beati Benedicti, & de aliis nonnullis quæ Ordini vestro & loco necessaria videbantur *Capitula* statuistis: quæ nimirùm ad majorem Monasterii quietem & Religionis Observantiam, auctoritate Sedis Apostolicæ petitis confirmari.

Per hæc *Capitula* intelligit Ordinationes quæ in prædicta *Charta Charitatis* continentur.

Nos ergò vestro in Domino profectui congaudentes, *Capitula* illa & Constitutionem auctoritate Apostolicâ confirmamus, & omnia in perpetuùm rata permanere decernimus. Illud nominatim omnimodis prohibentes, ne Abbatum aliquis Monachos vestros sine regulari commendatione suscipiat.

Si quæ igitur Ecclesiastica sæcularis-ve persona, huic nostræ Confirmationi & Constitutioni vestræ temeritate aliquâ obviare præsumpserit, tanquam religionis & quietis Monasticæ perturbatrix auctoritate Beatorum Petri & Pauli & nostrâ, donec satisfaciat, excommunicationis gladio feriatur.

Qui verò conservator extiterit, omnipotentis Dei & Apostolorum ejus benedictionem & gratiam consequatur. Interdicimus autem ne quis Conversos Laïcos professos vestros ad habitandum suscipiat. Ego Calixtus Catholicæ Ecclesiæ Episcopus confirmavi & signavi. Datum Sedeloci per manum Chrysogoni Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconi Cardinalis ac Bibliothecarii decimo Kalendas Ianuarii Indictione XIII. Incarnat. Dominicæ anno 1119. Pontificatûs autem Domini Calixti Secundi Papæ ánno primo.

Alia

Alia ab Eugenio III. ejusdem Statuti Confirmatio.

Eugenius Tertius Italus, ex oppido montis magni Diœcesis Pisanæ in Provincia Hetruriæ, Petrus Bernardus antea dictus, Monachus Claravallis ac subindè Abbas SS. Vincentii & Anastasii ad aquas salvias Summus Pontifex creatus est VI. Kal. April. an. M. CXLV.

EUGENIUS Episcopus servus servorum Dei Dilectis Filiis Gozevino Cisterciensi & cæteris Abbatibus ac Monachis tam præsentibus quam futuris regularem vitam & Cisterciensis Ordinis Statuta professis, in perpetuùm.

Anno Christi 1152. Cisterc. 54.

Gozevinus iste fuit quintus Abbas Cistercii, Raynardi Successor, quique Paci, silentio & quieti Monasterii Claravallis consulens, Sancto Bernardo, antequam corpus ejus, terræ mandaretur, imperasse dicitur, ne amplius miracula perpetraret. *Vide Mag. Exord. Cister. seu lib. de Viris Illustrib. Ord. Cisterc. distinct. 2. cap. 2.*

Sacrosancta Romana Ecclesia, sicut in Beato Petro Apostolorum Principe à Domino promissionem obtinuit, quod Universalis Ecclesiæ fundamentum existeret, & præceptum accepit ut Christianæ fidei professores in fide, religione, omnique sanctimonia confirmaret; ita pro universarum Ecclesiarum profectibus, sollicitam se semper exhibuit, & de instituendo, conservando, & provehendo in omnibus Ecclesiis cultu sacræ Religionis fuit omni tempore studiosa; ut & ab ea sicut à fonte ad universos Ecclesiæ filios sit Religio derivata, & quod ab aliis qui spiritus primitias acceperunt religiosè ac salubriter institutum est, per eandem, immutabilem acceperit firmitatem. Inde est dilecti in Domino filii quod sacræ Religionis vestræ opinione tanquam odore agri pleni, cui benedixit Dominus, provocati, religiosis postulationibus vestris benignum impertimur assensum, & Regulares Institutiones vestras auctoritate Apostolicâ confirmamus. In quibus sub certis Capitulis quæ inferiùs annexa sunt decrevimus exprimenda.

En adhuc luculentum conscriptæ, non ab uno sed ab omnibus qui tunc erant Abbatibus, *Charta Charitatis* Argumentum.

STATUISTIS equidem inter vos ne in alicujus Antistitis Diœcesi, Ordinis vestri Abbatia fundetur, donec ipse Antistes, decretum quod inter Ecclesias Ordinis vestri ad custodiam disciplinæ firmatum est, ratum se habere promittat. Et ut in omnibus Monasteriis de Ordine vestro, sicut in Cisterciensi Ecclesia Beati Benedicti Regula perpetuis temporibus observetur, & in lectionem ipsius nullus Ordinis vestri professor, præter simplicem &

Istud *Decretum* nõ aliud est quam ipsa *Charta Charitatis.*

communem intelligentiam, quemlibet alium sensum inducat, sed uniformiter & sicut quæque definita noscuntur, intelligatur ab omnibus & inviolabiliter observetur. Easdemque penitùs Observantias, eundem Cantum, & eosdem Libros qui ad officium Ecclesiasticum pertinent, per universas Ecclesias vestri Ordinis teneatis; nec aliqua omninò Ecclesia, vel persona Ordinis vestri adversùs communia ipsius Ordinis instituta privilegium à quolibet postulare audeat, vel obtentum quomodolibet retinere.

Ordinatum est etiam inter vos, ut omnes Abbates de Ordine vestro singulis annis ad Generale Capitulum Cisterciense, omni postpositâ occasione conveniant, illis solis exceptis, quos à labore viæ infirmitas corporis retardaverit, qui tamen idoneum nuntium delegare debebunt, per quem necessitas remorationis illorum valeat Capitulo nuntiari: & illis item exceptis qui in remotioribus partibus habitantes, sine grandi & evidenti difficultate nequiverint se Capitulo præsentare. Qui nimirùm eo termino venient qui eis in ipso fuerit Capitulo constitutus. Præterea si aliqua controversia inter quoslibet Abbates de Ordine vestro emerserit, vel de aliquo illorum tam gravis culpa fuerit propalata, ut suspensionem aut depositionem etiam mereatur: quicquid inde à Capitulo fuerit canonicè definitum, sine retractatione aliqua observetur.

Si verò pro diversitate sententiarum in discordiam causa devenerit: illud inde irrefragabiliter teneatur, quod Abbas Cisterciensis, qui pro tempore fuerit, cum iis qui sanioris consilii & magis idonei apparuerint, vel quibus eandem causam terminandam ipsi commiserint, judicaverint observandum.

Addidistis quoque ad hæc, ut si quis Abbas pro inutilitate seu pusillanimitate sua se viderit relaxandum ab onere Abbatiæ; ab Abbate illius domûs, de qua sua domus exivit postulet humiliter relaxari. Qui petitioni ejus non leviter acquiescet nec quicquam inde auctoritate sua efficiet: sed congregatis aliquantis Abbatibus de Ordine vestro, cum eorum consilio peraget quod inde pariter cognoverint adimplendum. Si quis autem Abbatum Ordinis vestri contemptor sanctæ Regulæ vel Ordinis prævaricator aut commissorum sibi Fratrum vitiis consentiens

apparuerit ; Abbas Majoris Ecclesiæ per ſeipſum vel per Priorem ſuum aut quomodò melius cognoverit expedire, uſque quater eum ut corrigatur admoneat. Quòd ſi poſt hanc admonitionem nec culpam ſuam corrigere, nec à ſuſceptæ proviſionis officio cedere ſponte noluerit ; aliquanti Abbates veſtri Ordinis in nomine Domini congregentur, & communicato conſilio, ſi viderint opportunum, eum à regimine ſubmoveant Abbatiæ ; ac poſtmodum, alter qui dignus ſit, conſilio & voluntate Majoris Abbatis à Monachis illius Eccleſiæ ſimul & Abbatibus, ſi qui ad eam pertinent, eligatur.

Si autem is qui deponitur aut ejus Monachi datæ in eum ſententiæ contumaciter decreverint reluctandum ; Abbas Majoris Eccleſiæ cæterique Abbates plenam habeant poteſtatem cenſurâ eos diſtrictionis Eccleſiaſticæ coërcendi. De quibus ſanè ſi quis reverſus ad cor & de ſua contumacia reſipiſcens, matris ſuæ miſericordiam humiliter poſtulaverit : illius exemplo qui totam ſubſtantiam ſuam malè vivendo prodegerat, ſicut filius pœnitens recipiatur. Sine qua utique cauſa, multo ſemper ſtudio attendenda, Monachum cujuſlibet Abbatiæ in aliam Abbatiam ad habitandum, nullomodo recipi debere ſanxiſtis.

Adjicientes itidem ut ſi fortè Abbates Ordinis veſtri matrem veſtram Ciſtercienſem à ſacræ Regulæ Obſervantia exorbitare perſpexerint ; ipſius loci Abbatem per tres primos Abbates de Firmitate, de Pontigniaco & de Claravalle uſque quater, ut corrigatur & ſubditos ſuos corrigere laboret, admoneant, & omnia quæ de aliis Abbatibus ſupra diximus circa ipſum adimpleant : excepto quòd ſi ſponte cedere noluerit, nec deponere, nec ſi contumax apparuerit, excommunicationis eum poterunt ſententiâ innodare, donec aut in Generali Capitulo aut ſi fortè illud ſine grandi periculo nequiverit expectari ; convocatis Abbatibus qui de Ciſtercio exierunt & aliquibus aliorum, ipſi communi conſilio in alio Conventu virum inutilem ab officio Abbatis amoveant : & tam ipſi quam Monachi Ciſtercienſes alium idoneum Abbatem ei ſtudeant ſubrogare. In illum porrò qui depoſitus fuerit & Monachos ejus, ſi recalcitrare præſumpſerit, ſicut

de aliis Abbatibus constitutum est, sententiam severitatis Ecclesiasticæ prout meliùs expedire viderint non dubitent promulgare. De quibus si post hoc aliquis culpam suæ contumaciæ recognoscens, ad quamlibet trium prædictarum Ecclesiarum se salutis causâ contulerit, sicut domesticus Ecclesiæ recipiatur, quoadusque, prout conveniens fuerit, suæ restituatur Ecclesiæ. Interim autem annuus Abbatum Conventus non apud Cistercium, sed ubi à tribus supranominatis Abbatibus prævisum fuerit, celebretur.

Præsenti etiam Capitulo subjunxistis, ut liceat unicuique matri Ecclesiæ Ordinis vestri tam de Monachis quam de ipsis Abbatibus Ecclesiarum quæ ab eâ processisse noscuntur, sibi quemcumque voluerit, si tamen dignus extiterit, assumere in Abbatem. Personam autem de alio Ordine, nulla Ecclesiarum nostrarum sibi eligat in pastorem: sicut nec nostri Ordinis aliquam, Monasteriis aliis statuistis ordinari posse Abbatem.

Hæc nimirùm dilectissimi filii de multis Institutionibus Ordinis vestri expressimus & propriis curavimus Capitulis designare. Quia verò singula quæ ad Religionis profectum & animarum salutem regulariter ordinastis, præsenti abbreviationi nequiverunt annecti: Nos cum iis quæ præscripta sunt, omnia quæ continentur in Charta vestra, quæ *Charitatis* appellatur, quæque inter vos Religionis intuitu regulariter statuistis, auctoritate Apostolicâ roboramus: & vobis vestrisque successoribus & omnibus qui Ordinem vestrum professi fuerint, inviolabiliter perpetuis temporibus decernimus observanda.

De cætero, quia propositum firmum habetis habitationis vestræ loca extra conversationem sæcularium eligendi; grangias vestras sicut & Atria Ecclesiarum, à pravorum incursu ac violentia liberas & quietas fore statuimus: & ut nullus ibi hominem capere, spoliare, verberare aut rapinam exercere præsumat, in virtute Sancti Spiritus inhibentes.

Sancientes etiam, ut propter communia interdicta terrarum, nulla Ecclesiarum vestrarum à divinis compellatur officiis abstinere; sed liceat omnibus de Ordine vestro, excommunicatis & interdictis ejectis, clausis januis,

summissâ voce fratribus suis divina celebrare solemnia.

Interdicimus item ne aliqua omninò persona Fratres Ordinis vestri audeat ad sæcularia judicia provocare; sed si quisquam sibi adversùs eos aliquid crediderit de jure competere, sub Ecclesiastici judicis examine experiendi habeat facultatem.

Decernimus ergò ut nulli aliquandò liceat his quæ in hac pagina, ex auctoritate Apostolorum Principis, à nobis confirmata & constituta sunt, ausu temerario contraire, ac nostræ hujus sanctionis vigorem, aliqua præsumptione infringere. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, & culpam suam satisfactione congrua contempserit emendare, divinæ animadversionis judicio se noverit subjacere. Cunctis autem ista servantibus sit gratia & pax à Deo ac Domino nostro IESV-CHRISTO. Quatenùs & hîc fructum piæ devotionis & actionis bonæ percipiant, & apud supremum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

Ego EVGENIVS *Catholicæ Ecclesiæ Episcopus. S.*
Ego IMARVS *Tusculanus Episcopus. S.*
Ego HVGO *Hostiensis Episcopus. S.*
Ego HVBALDVS *Presb. Card. tituli S. Praxedis. S.*
Ego ARIBERTVS *Presb. Card. tituli S. Anastasiæ. S.*
Ego ROLANDVS *Presbyter Card. tituli S. Marci. S.*
Ego GERARDVS *Presbyter Card. tituli S. Stephani in Cœlio monte. S.*
Ego IOANNES *Presbyter Cardinalis tituli Sanctorum Ioannis & Pauli. S.*
Ego HENRICVS *Presbyter Cardin. tituli Sanctorum Nerei & Achillei. S.*
Ego IOANNES *Presbyter Card. tituli S. Equitii. S.*
Ego OTHO *Diac. Card. S. Georgii ad velum aureum. S.*
Ego GVIDO *Card. Diaconus S. Mariæ in Porticu. S.*
Ego IOANNES *Diac. Card. SS. Sergii & Bacchi. S.*
Ego ILDEBRANDVS *S. Rom. Eccl. Diac. Card. S.*
Ego GERARDVS *S. Rom. Ecclesiæ Diacon. Card. S.*
Ego ODO *Diaconus Card. S. Romanæ Eccl. S.*
Ego BERNARDVS *S. Rom. Eccl. Diac. Card. S.*

Datum Signiæ per manum BOSONIS Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Scriptoris Kalendis Augusti. Indictione XV.

Incarnationis Dominicæ anno milleſimo centeſimo quinquageſimo ſecundo. Pontificatûs verò Domini Eugenii Papæ III. anno octavo.

Tertia Prædictæ Chartæ Charitatis A D. Papa Anaſtaſio IV. Confirmatio

Anaſtaſius IV. Romanus, Conradus de ſuburra antea vocatus, Canonicus Regularis, Epiſcopus Cardinalis Sabinus, creatus eſt & conſecratus Summus Pontifex VI. Idus Iul. ann. M. CLIII. ac ſubinde mortuus III. Non. Decemb. ann. Dom. M. CLIV.

Anno Domini 1153. Ciſtercii 55.

ANASTASIUS Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis Gozevino Ciſtercienſi & cæteris Abbatibus & Monachis tam præſentibus quam futuris Regularem vitam & Statuta Ciſtercienſis Ordinis Profeſſis in perpetuùm.

Sacro-ſancta Romana Eccleſia, ſicut in B. Petro Apoſtolorum Principe à Domino promiſſionem obtinuit, quòd univerſalis Eccleſiæ fundamentum exiſteret, & præceptum accepit ut Chriſtianæ fidei profeſſores, in fide, Religione, omnique ſanctimonia confirmaret; ita pro univerſarum Eccleſiarum profectibus ſollicitam ſe ſemper exhibuit, & de inſtituendo, conſervando & provehendo in omnibus Eccleſiis cultu ſacræ Religionis fuit omni tempore ſtudioſa, ut & ab ea ſicut à fonte ad univerſos Eccleſiæ filios, ſit Religio derivata, & quod ab aliis qui ſpiritus primitias acceperunt Religioſè & ſalubriter inſtitutum eſt, per eandem, immutabilem acceperit firmitatem. Inde eſt, &c. *Vt in præcedenti Bulla Eug. III. præter aliqua hîc ſubjicienda; videlicet poſt illa Eugen. III. verba, Nec aliqua omninò Eccleſia vel perſona Ordinis veſtri adverſus communia Ordinis ipſius Inſtituta Privilegium à quolibet poſtulare audeat vel obtentum quomodolibet retinere. Addit Anaſtaſius IV.* Decreviſtis itidem ut nulla Eccleſia veſtri Ordinis ei quam genuit aliquam terreni exactionem commodi imponat, ſed tantùm ut Abbas Matris Eccleſiæ, curam animarum habeat tam Abbatis quam Fratrum domûs illius, ut illi tanquam Patri ſuo & Obedientiam & Reverentiam exhibeant filialem; & ipſe poteſtatem habeat

corrigendi quæ in eis noverit corrigenda. Ordinatum eſt etiam, &c. *ut in prædicta Bulla Eug. Et poſtea ſub finem hæc addit.* Adjicientes quod nullus Epiſcoporum Abbatiis vel grangiis veſtris aliquam Religioſorum ſeu ſæcularium habitationem unde vobis inquietatio provenire poſſit ſuperædificare permittat. Nemo etiam veſtros profeſſos Monachos aut Converſos ſine licentia Abbatum ſuorum recipiat, aut ſuſceptos audeat retinere. Quia verò ſingula quæ ad Religionis, &c. Decernimus ergo ut nulli omninò liceat hanc paginam noſtræ Confirmationis infringere, vel præſcriptas Inſtitutiones veſtras auſu temerario violare. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit indignationem omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum. Ego Anaſtaſius Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus Subſcripſi † Ego Imarus Tuſculanus Epiſcopus S. *Sequuntur alii quatuordecim Cardinales ſicut in præcedenti, & poſtea.* Datum Laterani per manum Rolandi S. R. E. Preſbyt. Card. & Cancellarii V. Idus Decembris, Indictione II. Incarn. D. anno M. CLIII. Pontificatûs verò Domini Anaſtaſii Papæ IV. anno primo.

Quarta Chartæ Charitatis ac Inſtitutorum Ordinis Ciſtercienſis Confirmatio A D. Papa Adriano IV.

Adrianus IV. Natione Anglus, Nicolaus antea dictus ex villa Malvesbitia Oppid. Virulamii aliàs S. Albani Batenienſis Diœceſis, Epiſcopus Albanenſis, creatus Romæ Nonis Decemb. an. M. CLIV. Vixit annis quatuor, menſes octo, dies 28. Obiit Anagniæ ann. M. CLIX. Kalend. Septemb.

ADRIANUS Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, Dilectis filiis Lamberto Ciſtercienſi, ac cæteris Abbatibus & Monachis tam præſentibus quam futuris Inſtituta Ciſtercienſis Ordinis profeſſis, in perpetuùm. Sacroſancta Rom. Eccleſia, &c. *ut in præcedenti. Sub finem habetur.* Amen Amen. Ego Adrianus Catholicæ Eccl. Epiſcopus S. Ego Imarus Tuſcul. Epiſcopus S. *Sequuntur poſtea nomina 13. Cardinal. & poſtea ſubjungitur.* Datum Laterani per manum Rolandi S. R. E. Preſb. Card. & Cancellarii XII. Kal. Martii, Indict. V. Incarn. D. an. MCLVI. Pontificatûs verò Domini Adriani Papæ IV. an. III.

ANNO Domini 1156. Ciſtercii 58.

Quinta ejusdem Chartæ Charitatis Confirmatio A D. Papa Alexandro III.

Alexander III. natione Tuscus Patria Senensis Rolandus antea vocatus, Canonicus Regularis, Presbyter Cardinalis tituli S. Marci & Apostolicæ Sedis Cancellarius Summus Pontifex creatus V. Non. Septemb. ann. M. CLIX. mortuus ann. M. CLXXXI.

Anno Domini 1165. Cistercii 67.

ALEXANDER Episcopus &c. Dilectis filiis Alberto Cisterciensi & cæteris Abbatibus & Monachis tam præsentibus quam futuris Instituta Cisterc. Ord. Professis, &c. *ut in Bulla Anast. IV. præter hæc quæ sequuntur.* Quandiu autem aliqua Ecclesiarum vestrarum Abbate proprio fuerit destituta Pater Abbas de cujus domo domus illa exivit omnem Curam habeat ordinationis domus illius donec in ea Abbas alius eligatur; Electus autem nulli Archiepiscoporum vel Episcoporum emancipatus vel quasi absolutus tradatur, sed nec post factam Archiepisc. vel Episc. suo professionem occasione ejus, Ord. sui Constitutiones transgrediatur, vel in aliquo prævaricator existat. *Et infra.* Quoniam autem Cisterciensis Eccl. Mater est omnium vestrum & alium Patrem Abbatem super se non habet, sicut ad cautelam & Ordinis Custodiam statuistis per eosdem Abbates annua ibidem Visitatio fiat & ad suggestionem eorum, secundum ordinem vestrum corrigatur, si quid invenerint corrigendum, &c. *ut in præced.* Decernimus ergo ut nulli omninò hominum, &c. Si quis autem hoc attentare præsumpserit & secundò tertióve commonitus, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reumque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat & à sacratissimo Corpore & Sanguine Dei & D. Redemp. Nostri IESV CHR. alienus fiat atque in extremo examine districtæ subjaceat ultioni, servantibus autem hæc, sit pax Dom. nostri IESV CH. quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Ego Alex. Cath. Ecc. Episc. S. Ego Hubald. Hostien. Ep. Ego Bern. Portuens. & S. Rufinæ Ep. *sequuntur nomina aliorum* 13. *Card.* Datum apud Montem-pessulanum per manum Hermani S. R. E. Subdiac. & Notarii Non. Aug. Ind. XII. Incarn. D. an. MCLXV. Pontif. verò D. Alex. Papæ III. an. 6.

ADMO-



ADMONITIO
IN LIBRVM VSVVM ANTIQVORVM ORDINIS CISTERCIENSIS.



VM ut superiùs vidimus, primæ Constitutionis Ordinis Cisterciensis seu *Chartæ Charitatis* Authores, eandem vivendi & agendi rationem omnibus Monasteriis ac personis ejusdem Ordinis præscripsissent: Libellum hunc, ex usibus ac Cæremoniis quas illuc usque tenuerant, concinnatum singulis Monasteriis, iisdem moribus ac Ritibus inter se colligandis, imperarunt. Cujus subinde libelli directionem, universus Ordo ita complexus est, ut de alio sibi comparando, vix ab eo tempore cogitarit. Hunc ergo librum, etsi jam semel & iterum in lucem prodierit, pluribus illius Manuscriptis inter se collatis, in ea quam primùm habuit forma, non nudum tamen ut hactenus, sed Notis & observationibus adornatum, ac in quinque veluti partes juxta diversitatem materiæ quam pertractat, majoris perspicuitatis gratiâ distributum, additis ac notatis iis quæ illi aliquando pro quarundam festivitatum celebratione instituenda identidem accesserunt, sine ulla sive Titulorum sive Capitulorum immutatione, nova hac editione & accessione in publicum rursus abire permittimus.

Ac ut illius in ipso limine, Lectori rudem ob oculos ponamus imaginem: I. illius Pars, Breviarii ac Missalis Cisterciensis Dispositionem tradit, eamque juxta Regulam S. Benedicti.

II. Quæ incipit à cap. 52. Cæremonias tam in horis Canonicis quam in Missarum celebratione observandas, usque ad cap 70. juxta Antiquiorem Vsum Ecclesiæ prosequitur.

III. quæ à cap. septuagesimo usque ad octuagesimum nonum se extendit, modum agendi ac Ritus in cæteris exercitiis Regularibus tenendos demonstrat.

IV. Quæ ab eodem capite octuagesimo nono usque ad centesimum secundum protenditur, infirmorum Curam, mortuorumque suffragia persequitur.

V. Denique quæ ab eodem capite centesimo secundo usque ad finem ejusdem libri pertingit, Hebdomadariorum seu Ministrorum sibi invicem in Ecclesiasticis Regularibusque obsequiis qualibet Hebdo-

madâ succedentium, Superiorum item ac Officialium quorumlibet munia fusè sapienterque describit.

His autem de fine ac Ordine Libelli hujus utcumque prælibatis, si quis tempus illius ac ætatem inquirat, Antiquitatem illi potius quam certum aliquem annum asseremus. Verosimilius tamen est eum, aut simul cum Charta Charitatis, aut immediatè post fuisse concinnatum, ut vel ex eo patet, quod inter libros necessariò habendos in prima cujuslibet Monasterii fundatione recenseatur capite duodecimo *Institutorum* ejusdem Ordinis quæ anno millesimo centesimo trigesimo quarto edidit sanctus Raynardus, Cistercii quartus Abbas, quindecim circiter annis post confirmationem Chartæ Charitatis. De authore verò seu conscriptore nihil certum.





VSVS ANTIQVIORES ORDINIS CISTERCIENSIS.

PRIMA PARS.

BREVIARII AC MISSALIS CISTERCIENSIS SECVNDVM REGVLAM S. BENEDICTI DISPOSITIO.

CAPVT PRIMVM.

De Adventu Domini.



N Adventu Domini, Dominicâ primâ *Esayas* incipiatur ad Vigilias, & deinceps totus legatur per Adventum, non solùm ad Vigilias, sed & in refectorio prout tempus expetierit. Eisdem quoque diebus cùm post Vesperas & Laudes & ad Missam de ipso Adventu & aliquo Sancto facienda est commemoratio, priùs de Adventu, & posteà de Sancto fiat commemoratio. In tertia verò septimana ejusdem Adventus, jejunia quatuor Temporum omni anno sunt agenda; & homiliæ Evangeliorum ad ipsos tres dies jejuniorum pertinentes ad Vigilias legendæ: quarum primæ lectiones à Diaconis, quos Cantor voluerit, pronuntiandæ sunt; & feriâ quintâ ejusdem septimanæ sermones sancti *Augustini* de Incarnatione Domini, videlicet *Legimus sanctum Moysen*: &, *Vos, inquam, convenio (ô Iudæi)* ad Vigilias sunt recitandi.

Si quando verò feſtivitas ſancti *Thomæ* Apoſtoli in eadem feria quinta evenerit, tertiâ feriâ ejuſdem ſeptimanæ, prænotati ſermones legantur. Sciendum tamen quod Antiphona illa, quæ quintâ die ante diem Nativitatis intitulatur ad Benedictus, ſicut in Antiphonario notatur, id eſt *Nolite timere*, etiamſi ipſa dies quinta Dominicâ evenerit, non obmittitur, ſed dicitur ad *Benedictus*. Illa verò de Dominica, ſcilicet *Ave Maria*, remaneat.

CAPVT II.

Quomodo per Hyemem privatis diebus ad Vigilias dividuntur Reſponſoria.

OMNIA Reſponſoria quæ cantantur à Kalendis Novembris uſque in Paſcha Dominicis diebus, & Reſponſoria Apparitionis, ſcilicet *Hodie in Iordane*, dividantur trina per ſingulos dies privatis diebus uſque ad ſextam feriam. Sextâ verò feriâ repetantur à capite, exceptis illis diebus qui habent propria Reſponſoria: ſcilicet ante Natale Domini & poſt, & ante Paſcha & dum cantantur Reſponſoria, *Domine ne in ira.* Porrò *Aſpiciens* quod in Dominica cum tribus Verſibus canitur, quoties privatis diebus repetetur, cum ſolo ultimo verſu cantabitur. Quòd ſi aliqua feſtivitas duodecim lectionum intervenerit, illa tria Reſponſoria, quæ dicenda fuerant in ipſa die quam occupavit feſtivitas, dicantur eâ die quæ vacua ſucceſſerit feſtivitati.

CAPVT III.

De Vigilia Nativitatis Domini.

IN Vigilia Nativitatis Domini poſt Nocturnos more ſolito Vigiliæ pro defunctis agantur: & cætera omnia ſicut aliis privatis diebus perſolvantur, cum flexione genuum uſque ad Veſperas natalis Domini; excepto quòd Miſſa illius diei poſt Primam ſine flexione genuum, &

ea veneratione quâ Dominicis diebus canitur, ſit celebranda. Ad quam una tantùm oratio dicatur; niſi fortè præſens defunctus fuerit. Et Prophetia *Eſayæ* ante Epiſtolam à quolibet fratre rogato à Cantore legatur.

In Capitulo autem poſt primum Verſum primæ lectionis quæ ſic incipit, IESVS-CHRISTVS *Filius Dei in Bethleem Iudæ naſcitur;* totus Conventus pro veneratione ſanctæ Nativitatis proſtratus, orationem brevem faciat: & Abbate, vel Priore ſi Abbas defuerit, ſurgente, cæteri etiam ſe erigant & reſideant, Lectorque tunc reliqua lectionis proſequatur.

Si autem Vigilia Nativitatis Domini evenerit die Dominicâ, ita celebretur. Invitatorium, *Levate capita veſtra.* In primo nocturno Antiphona, *Domine in virtute.* Pſalmus, *Domine in virtute,* &, *Deus Deus meus reſpice,* & cætera ut in Breviariis. Verſus, *Hodie ſcietis quia veniet Dominus.* Lectiones verò dicantur quæ in ipſa Dominica quarta in Adventu Domini in libro Lectionari ſcriptæ ſunt, id eſt, *Audite me, qui ſequimini quod juſtum eſt.* Et in eodem primo nocturno legantur Reſponſoria *Canite tuba. Non auferetur. Me oportet minui. Ecce jam venit.*

In ſecundo nocturno, Antiphona, *Dominus defenſor.* Pſalmus, *Dominus illuminatio,* & *Ad te clamabo.* &c. Verſus, *Craſtina die delebitur iniquitas terræ.* Reſponſoria, *Virgo Iſraël. Iuravi dicit Dominus. Non diſcedimus à te. Intuemini quantus ſit.*

Ad Cantica, Antiphona, *Alleluia.* Canticum, *Domine miſerere noſtri.* Verſus, *Egredietur virga.* Evangelium, *Cum eſſet deſponſata.* Homelia Origenis; ex qua Homelia legantur quatuor Lectiones, ſicut deſignatæ ſunt in libro; quarum primam legat die quidem Dominico Diaconus hebdomadarius; privatis verò diebus, quem Cantor voluerit. Reſponſoria, *Sanctificamini. Conſtantes eſtote. Sanctificamini filii Iſraël. Naſcetur vobis.* Evangelium poſt *Te Deum laudamus, Cum eſſet deſponſata mater Ieſu.* Collecta, *Deus qui nos Redemptionis.*

In laudibus, *Alleluia.* Pſalmus, *Miſerere mei Deus,* &, *Confitemini Domino,* &c. Capitulum, *Ecce venio cito.* Reſponſorium, *Hodie ſcietis.* Hymnus, *Splendor paternæ gloriæ.* Verſus, *Conſtantes eſtote.* Ad Canticum de Evangelio:

Antiphona, *Orietur sicut sol.* Collecta, *Deus qui nos redemptionis.* Pro Commemoratione Dominicæ: Antiphona, *Ave Maria.* Versus, *Emitte agnum Domine.* Collecta, *Excita Domine potentiam.*

Missa matutinalis de Dominica, id est, *Memento nostri Domine*, cum sua collecta dicatur, nisi præsens defunctus fuerit. Major verò Missa de Vigilia. 1. *Hodie scietis. Alleluia* dicatur, & *Credo in unum Deum.* Prophetia *Esayæ* ante Epistolam non obmittatur.

Ad horas diei *Alleluia.* Versiculi autem de Vigilia scilicet, Ad Tertiam: Versus, *Hodie scietis.* Ad Sextam: Versus, *Crastina die delebitur iniquitas terræ:* Ad Nonam, Versus, *Constantes estote.* In Tertia verò Capitulum & Collecta de Vigilia. Ad Sextam & ad Nonam, sicut in aliis tribus Dominicis diebus transactis.

Ad Vesperas super Psalmos dicatur sola prima Antiphona scilicet, *Antequam convenirent*, Psalm. *Dixit Dominus. Confitebor. Beatus vir. Laudate pueri*, quatuor scilicet Psalmi sub una Antiphona. Capitulum, *Paulus servus Christi Iesu.* Responsorium, *O Juda & Ierusalem.* Hymnus, *Intende qui regis.* Versus, *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Ad Magnif. Antiph. *Cum esset desponsata.* Collecta, *Deus qui nos redemptionis.* Post quas Vesperas non fit commemoratio de Dominica.

CAPUT IV.

De Nativitate Domini.

IN nocte Nativitatis Domini Cellerarius provideat de duobus Conversis, qui ignem in calefactorio Monachis ad intervallum calefaciendis præparent; si tamen frigus hoc exegerit. Finitâ namque post Evangelium Collectâ, exibit Conventus de Ecclesia: & lampadibus in Claustro & in lavatorio accensis, ab illo Fratre, qui in Capitulo per intervalla post Nocturnos lumen solet deferre, sedebunt fratres in claustro, & qui voluerit calefaciat se.

Dehinc ut tempus dictaverit, pulsato modicè signo à Sacrista: præparent se ministri altaris, ad Missam, *Do-*

minus dixit ad me. Ad quam Miſſam adjuvent ad induendum & exuendum illi duo fratres, qui poſteà ad Miſſam Matutinalem ſcilicet poſt Laudes, hoc iterùm facturi ſunt. Præparatis verò miniſtris, iterùm ſigno pulſato ut conveniant fratres in chorum: ſupradicta Miſſa ſicut in natali unius Apoſtoli celebretur. Expletâ Miſsâ, factoque intervallo atque ſedentibus fratribus in clauſtro: eo ordine quo ſuprà taxavimus ſignum à Sacriſta pulſetur, & Matutinorum Laudes inchoentur.

Poſt Matutinorum Laudes fratres lege ſupraſcripta in clauſtro ſedeant. *Secretarius* verò ſigno ſolito Altaris Miniſtros ad præparandos ſe accerſat, temperato ſic hoc intervallo poſt Matutinorum Laudes, ut incipiente diei aurora, incipiatur Miſſa, *Lux fulgebit.* Ad quam Miſſam non cantentur Miſſæ privatæ donec Offerenda compleatur, exceptis Miſſis pro communicandis Converſis. Porrò iſta Miſſa in mane ſicut in diebus Dominicis agatur, & fratres infirmi & diverſis officiis deputati ad communionem eant. Quâ Miſsâ celebratâ mox exeuntibus fratribus de choro, ſignum pulſetur à Sacriſta: & uti mos eſt feſtivis diebus intervallum cuſtodiri, inter Matutinarum Laudes & Primam: ita teneatur inter hanc Miſſam, *Lux fulgebit*, & Primam. Iterùm pulſato ſigno ad Primam veniant fratres in chorum, & faciant ſolitam orationem. Poſt Primam autem intrent Capitulum.

Secretarius id eſt, Sacriſta.

CAPVT V.

De Octavis Domini.

IN tribus autem ſequentibus diebus Miſſa Matutinalis erit, *Puer natus eſt nobis.* In prima die iſtorum trium dierum ſcilicet ſancti *Stephani*, ad hanc prædictam Miſſam prima Collecta erit, *Concede quæſumus omnipotens Deus.* Secunda verò, *Da nobis quæſumus.* Deinde Epiſtola, *Apparuit gratia Dei.* Evangelium, *Exiit Edictum.*

In ſecunda autem die, videlicet in die ſancti *Ioannis* Evangeliſtæ, prima Collecta erit, *Concede quæſumus omnipotens Deus:* Secundâ verò, *Eccleſiam tuam:* Tertiâ,

Da nobis quæsumus : Deinde Epistola, *Apparuit benignitas* : Evangelium, *Pastores loquebantur.*

In die sanctorum Innocentium prima Collecta erit, *Concede quæsumus omnipotens Deus* : Secunda : *Deus cujus hodierna die* : Deinde, *Da nobis quæsumus* : In quarto loco, *Ecclesiam tuam* : Epistola, *Apparuit gratia* : Evangelium, *Exiit Edictum.*

Notandum tamen quia si in die sancti *Stephani* dies Dominica occurrerit, vel præsens defunctus ad Missam Matutinalem supervenerit in die sancti *Ioannis* : Epistola, *Apparuit gratia* : Evangelium, *Exiit Edictum*, dicatur. In die verò Innocentium Epistola, *Apparuit benignitas* : Evangelium, *Pastores loquebantur.* Similiter si in die sancti *Ioannis* dies occurrerit Dominica, vel præsens defunctus supervenerit in die Innocentium : Epistola, *Apparuit benignitas* : Evangelium, *Pastores.*

Memoria & festivitas S. *Thomæ Cantuariensis* non erat in Primis Vsibus sed hîc addita est anno D. 1191. quo quidem anno ejus festivitas recepta & imperata est à Capitulo Generali.

Ipso die ad Vesperas prima commemoratio fiat de sancto *Thoma* ; posteà de Nativitate & de octavis Sanctorum. Cætera omnia de sancto *Thoma* sicut in libris annotatum est, fiant. Cujus festivitas tam in nocte quam in die plenariè agatur. Et observatur illa ratio quæ in tribus præcedentibus festivitatibus est assignata : scilicet de commemorationibus faciendis, de matutinalis Missæ dispositione, de Dominica si occurrerit, de mortuo si præsens fuerit. Ad Introitum verò majoris Missæ, *Lætabitur justus.* Collecta, *Adesto Domine*, &c. sicut in festo sancti *Vincentii.* Quod si Dominicus dies fuerit, post Laudes fiat primitùs commemoratio diei Dominicæ, id est *Dum medium silentium* ; posteà de Nativitate : deinde de octavis Sanctorum per ordinem. Missa matutinalis, *Dum medium silentium.* Prima Collecta, *Omnipotens sempiterne Deus dirige.* Secunda, *Adesto Domine.* Tertia, *Concede.* Posteà de octavis Sanctorum. Ad Vesperas super Psalmos dicatur una Antiphona, *Iste sanctus pro lege.*

In crastino sancti *Thomæ*, nisi dies Dominicus fuerit, peractis nocturnis mox pergant fratres more solito ad luminare legere, & post Laudes sine intervallo Prima sequatur. Quâ dictâ, Missa celebretur ut in Dominicis diebus : scilicet *Puer natus est nobis.* Collectæ, *Concede*

quæsumus

quæſumus : Da nobis quæſumus : Eccleſiam tuam : Deus cujus hodie. Epiſtola , *Apparuit gratia :* Evangelium , *Exiit Edictum.*

Poſt Miſſam vacent fratres lectioni, uſque ad horam ſecundam. Deinde dictâ Tertiâ, eant in Capitulum, & poſteà ad opera manuum. Sed & hoc notandum, quòd ad Vigilias hujus diei expoſitio Evangelii, ſcilicet *Exiit Edictum*, legenda ſit & pronuncianda à quolibet Diacono, ut in duodecim lectionibus. Si dies hæc Dominica fuerit, ſicut in libris continetur, ita fiat.

CAPVT VI.

Quomodo à Nativitate Domini uſque ad Septuageſimam, diebus Dominicis Officia Miſſarum diſponantur ſingulis annis.

PRIMA ſemper Dominicâ quæ poſt diem Nativitatis Domini evenerit, Officium, *Dum medium ſilentium* , ad Miſſam matutinalem dicatur. Similiter primâ ſemper Dominicâ quæ poſt diem Apparitionis evenerit, Officium, *In excelſo throno*, ad Miſſam matutinalem cantetur: excepto quòd ſi eadem Dominicâ Officium *Omnis terra* ſimul cum hiſtoria , *Domine ne in ira*, propter celeritatem inſtantis Septuageſimæ fuerit canendum: *In excelſo throno* , in craſtino Apparitionis dicetur. Et notandum quia cùm dies Dominicus tertiâ die poſt Epiphaniam , & deinceps uſque ad Octavam Apparitionis evenerit: omni die poſt Octavam Apparitionis, ad Laudes & ad Veſperas, Collecta , *Vota quæſumus Domine*, uſque in ſubſequentem Dominicam, quâ *Omnis terra* , cani debet, continuatur. Eadem quoque Miſſa, id eſt, *In excelſo throno* per eoſdem dies, videlicet poſt Octavam Apparitionis ſecundùm quòd *in ſententia* de Miſſis diebus privatis dicendis ordinatum eſt, dicetur : ſi tamen Officium *Omnis terra*, in ipſis octavis Apparitionis vel ante dictum non fuerit. *In ſententia* id eſt in cap. de Miſſis.

Cum autem inter ſeptimanam illam quâ cantatur, *In excelſo throno*, & Septuageſimam quinque veniunt hebdo-

M

madæ, tunc, *Omnis terra*, duabus primis: *Adorate Deum* verò tribus ultimis canatur hebdomadis; ita scilicet ut unaquæque septimanarum illarum, quibus, *Omnis terra* canetur, suam propriam habeat Collectam, cum Epistolis & Evangeliis ad eam pertinentibus: & tres ultimæ septimanæ quibus, *Adorate* canetur, similiter; hoc scilicet modo. Primâ hebdomadâ dicitur Officium *Omnis terra*. Collecta, *Omnipotens sempiterne Deus qui cœlestia simul*: Epistola, *Habentes donationes*: Evangelium, *Nuptiæ factæ sunt*. Secundâ hebdomadâ item Officium, *Omnis terra*: Collecta *Omnipotens sempiterne Deus infirmitatem*: Epistola, *Nolite esse prudentes apud vosmetipsos*: Evangelium, *Cùm descendisset Iesus*. Tertiâ hebdomadâ Officium, *Adorate Deum*: Collecta, *Deus qui nos in tantis*: Epistola, *Nemini quicquam debeatis*: Evangelium, *Ascendente Iesu*. Quartâ hebdomadâ item Officium, *Adorate Deum*. Collecta, *Familiam*: Epistola, *Induite vos*: Evangelium, *Simile est regnum cœlorum homini qui seminavit*. Quintâ hebdomadâ item Officium, *Adorate* cum supradicta Collecta, Epistola & Evangelio.

Cùm verò infra prædictum terminum quatuor veniunt hebdomadæ, tunc, *Omnis terra* duabus primis: *Adorate* verò duabus ultimis canatur. Cum verò non nisi tres infra prædictum terminum veniunt hebdomadæ; *Omnis terra*, primâ trium illarum hebdomadâ, cum primis duabus Collectis, scilicet *Omnipotens sempiterne Deus qui cœlestia*: & *Omnipotens sempiterne Deus infirmitatem* cum Epistolis & Evangeliis ad ipsas pertinentibus, dicatur; ita scilicet ut feriâ quintâ *Omnipotens sempiterne Deus infirmitatem*, ad Laudes incipiatur. Ipsaque die Missa *Omnis terra*, cum Epistola & Evangelio ad ipsam pertinentibus cantetur: & usque in Sabbatum tam ad Vesperas quàm ad Laudes teneatur; reliquis verò duabus ultimis hebdomadis ut supra in quatuor hebdomadis descriptum est, agatur.

Et cum infra sæpè memoratum terminum ab *In excelso throno* usque ad Septuagesimam, non nisi duæ eveniunt hebdomadæ: in prima quidem, ut in tribus descriptum est, fiat. Secundâ verò quâ cantabitur, *Adorate Deum*, de duabus Collectis, scilicet *Deus qui nos in*

tantis, &c, *familiam tuam*: cum Epistolis & Evangeliis ad eas pertinentibus, agatur similiter. Cum verò una sola hebdomada inter illam de, *In excelso throno* & Septuagesimam evenerit, tunc ambo illa officia cum supra memoratis Collectis, Epistolisque & Evangeliis ad eas pertinentibus, illis duabus hebdomadis primâ scilicet quâ cantatur, *In excelso throno*, & secundâ quæ est ante Septuagesimam, Cantor ut meliùs potuerit exsolvere, procuret: si tamen in eadem secunda hebdomada quæ est ante Septuagesimam propter aliquam solemnitatem duodecim Lectionum, vel propter commemorationem alicujus Sancti qui *proprietatem* habet in graduali persolvi non potuerunt.

Proprietatem, id est officium proprium.

Quod verò ob brevitatem temporis, de duabus Collectis in una septimana dicendis cum suis Epistolis & Evangeliis, & de secunda Collecta feriâ quintâ incipiendâ diximus observandum: si ob præsentem defunctum vel duodecim Lectionum solemnitatem, vel commemorationem alicujus Sancti, qui proprietatem habet in graduali feriâ quintâ venientem, id impeditum fuerit prima die quam, post illam feriam quintam ante Dominicam ab hujusmodi expeditam, Cantor invenerit totum persolvat. Quòd si etiam feria sexta aliquo horum occupata fuerit: tunc quidem Sabbato Dominicalis Missa canatur. Itaque feriâ quintâ vel sextâ vel Sabbato ubi priùs vacuum à proprietate Sancti, locum invenerit: Dominicale Officium persolvatur; nec pro præsenti defuncto differatur, sed utraque Missa dicatur. Similiter etiam observetur quoties aliqua Dominicalis Missa dicta non fuerit in Conventu.

CAPUT VII.

De sancto Silvestro.

FESTIVITAS sancti *Silvestri* tam in nocte quàm in die plenariè agatur, & commemoratio Nativitatis Domini teneatur. Missa verò ita agatur. Ad Introitum, *Sacerdotes tui Domine*. Collectæ, *Da quæsumus om-*

nipotens Deus ut beati Silvestri : Concede quæsumus omnipotens Deus : Da nobis quæsumus Domine : Ecclesiam tuam : Deus cujus hodierna die.

Quòd si Dominicus fuerit dies, post matutinales Laudes fiat primitùs commemoratio diei Dominici, id est *Dum medium*, & posteà de Nativitate : deinde de octavis Sanctorum per ordinem. Missa matutinalis erit, *Dum medium silentium :* Collecta. I. *Omnipotens sempiterne Deus dirige actus nostros.* II. *Da quæsumus omnipotens Deus ut beati Silvestri.* III. *Concede quæsumus omnipotens Deus*, posteà de octava Sanctorum.

Ad Vesperas super Psalmos dicatur una Antiphona de Confessore, 1. *Cognovit eum Dominus :* Capitulum verò & deinceps usque ad finem, de octava Dominicæ Nativitatis. Commemoratio fiat in primis de sancto *Silvestro*, posteà de Dominica & deinde de octavis Sanctorum.

CAPUT VIII.

Quid post Circuncisionem Domini usque ad Septuagesimam ad Vigilias sit legendum.

POST Circuncisionem Domini privatis diebus legantur Epistolæ Pauli ad Vigilias usque ad Septuagesimam : non tamen Dominicis diebus, sed autenticorum Patrum Sermones de Nativitate Domini, sive de Circuncisione, sive de Epiphania Domini, donec canantur Responsoria *Domine ne in ira tua.* Quòd si tempus à Circuncisione usque ad Septuagesimam breve fuerit, non solùm in Ecclesia, sed etiam in Refectorio legantur Epistolæ Pauli : quòd fiet secundùm quòd Cantor ordinaverit.

CAPUT IX.

In Vigilia Epiphaniæ.

IN Vigilia Epiphaniæ Domini Missa, *Puer natus ;* Collecta, *Corda nostra :* & post, *Deus qui salutis* & cæte-

ræ uſitatæ. Et ſciendum quòd Collecta, *Concede nos famulos* inter uſitatas non reputatur: quæ etiam à Vigilia Nativitatis Domini uſque in craſtinum Epiphaniæ intermittenda eſt. Epiſtola, *Apparuit benignitas:* Evangelium, *Defuncto Herode.*

Quòd ſi Vigilia Epiphaniæ in Dominica evenerit, hæc ſupraſcripta Miſſa cum ſua Collecta, Epiſtola & Evangelio poſt Tertiam canatur: Matutinalis verò Miſſa ſit, *Puer natus eſt*, cum Collecta, *Deus qui ſalutis:* Epiſtola, *Apparuit benignitas:* Evangelium, *Paſtores loquebantur:* Et notandum quia cùm hæc Vigilia in Dominica evenerit, Collecta *Deus qui ſalutis æternæ* in nocte poſt Evangelium ad Laudes & ad Tertiam dicitur: Collecta verò, *Corda noſtra* tantùm ad Majorem Miſſam.

CAPVT X.

De Domine ne in ira, & Benedicam Dominum.

AB Octavis Epiphaniæ uſque ad Septuageſimam, Dominicis diebus ad Vigilias dicantur Reſponſoria, *Domine ne in ira tua*, & privatis diebus, *Benedicam Dominum*, &c. ut inveniuntur in Antiphonario. Antiphonæ verò de Dominica ad Nocturnos & privatis diebus ad primum Nocturnum uſque ad Paſcha dicantur, & ad Veſperas ſuper Pſalmos uſque ad Cœnam Domini. & ab Octava Pentecoſtes uſque ad Nativitatem Domini. Quæ verò privatis diebus ſecundo Nocturno attitulantur, tantùm in Quadrageſima dicantur.

Alleluia verò ab Octava Pentecoſtes *uſque ad Quadrageſimam.* Invitatoria privatis diebus attitulata uſque ad Paſſionem Domini, & à Kalendis Novembris uſque ad Adventum. Parva Reſponſoria ad Nocturnos, ab Octava Pentecoſtes uſque ad Kalendas Novembris. Parva Reſponſoria ad Laudes & ad Veſperas uſque ad Septuageſimam, & ab Octava Pentecoſtes uſque ad Adventum Domini. Antiphonæ ad Benedictus & Magnificat & omnes verſiculi uſque ad Quadrageſimam, & ab Octava Pentecoſtes uſque ad Adventum. Antiphonæ ad Laudes ſuper Pſalmos ad Primam, ad Tertiam, Sextam & Nonam

Alleluia &c. uſque ad Quadrageſimam hoc ſecundùm Reg. S. Ben. cap. 15.

usque ad Dominicam in Palmis : & ab Octava Pentecostes usque ad Adventum.

Quòd si festivitas duodecim Lectionum intervenerit, post festivitatem nihilominùs hæc his quibus attitulata sunt diebus dicantur. Similiter fiat post Octavas Assumptionis sanctæ Mariæ. Et notandum quòd quando *Domine ne in ira tua* quinquies canitur : ultimæ Lectiones & ultimæ Antiphonæ, si necesse est, repetuntur : & cum quater canitur, ultima Antiphona repetitur.

CAPVT XI.

De Septuagesima.

Vsque ad Dominicam quâ, &c. id est usque ad Dominicam primam Quadragesimæ in qua Monachis libri dividuntur secundū Reg. S. Ben. ut infrà dicetur.

RESPONSORIA, *In principio*, dicantur in Septuagesima & Sexagesima tam Dominicis diebus quàm privatis hoc tempore. A Septuagesima scilicet usque ad *Dominicam quâ libri dividuntur* : pars *Genesis* ad Vigilias legatur ea, quæ Vigiliarum lectionibus per totum hoc tempus ad arbitrium Cantoris convenienter sufficere possit. Reliqua verò pars si quid ab his Vigiliis residuum est, aliique libri qui sequuntur usque ad libros Regum in Refectorio legantur. Ubi hoc sollicitè provideatur ut ante Dominicam qua canitur Officium, *Iudica me Deus*, perfecti sint.

Veruntamen in Dominicis diebus legantur priùs in Refectorio *Homilia Evangeliorum* Dominicalium : vel si aliud aliquid de aliqua festivitate fuerit legendum qualibet die. Primâ igitur Dominicâ Septuagesimæ, lectâ in Refectorio Homiliâ vel alio aliquo de aliqua festivitate (si adest) ut dictum est, incipiatur lectio *Genesis*, vel aliorum librorum ut diximus ibi, ubi Cantor Lectiones Vigiliarum usque ad Quadragesimam debere finire præviderit.

A prima autem Dominica Quadragesimæ quâ scilicet libros dividimus : ad Vigilias in Ecclesia privatis diebus utimur tractatibus sancti Augustini super Psalmos usque ad Dominicam quâ *Hieremias* inchoatur. Si verò Dominicâ Septuagesimæ, evenerit Purificatio sanctæ Mariæ : Fe-

riâ ſecundâ inchoetur hiſtoria ad Vigilias, videlicet liber Geneſeos cum Præfatione & Reſponſoriis, *In principio Deus:* & ſequenti Dominicâ dicantur Lectiones ad Vigilias, *Tulit ergo Dominus hominem.*

CAPVT XII.

De Tractibus.

IN Septuageſima & exindè omnibus Dominicis diebus & feſtivitatibus duodecim Lectionum, ad majores Miſſas uſque ad Paſcha omnes Tractus ab utroque choro alternatim cantentur. Et ſimiliter in Paraſceve fiat de Tractu, *Eripe me.* In Vigiliis etiam Paſchæ & Pentecoſtes, *Laudate Dominum omnes gentes;* Et in Sabbatis quatuor temporum ſimiliter Tractus, *Benedictus es*, ab utroque choro alternatim canitur. Qui quidem Tractus incipitur à choro Invitatorii: & alter chorus ſubjungat, *Et laudabilis*, &c. & ſic fiat in ſingulis verſibus. In fine verò, primus Verſus repetatur ab illo qui incepit: & totus ab utroque choro ſimul decantetur; ſed & in fine prædictorum Tractuum, ambo chori ſimul cantent: cæteros Tractus totus ſimul chorus & Conventus cantet.

Non eſt autem conſuetudo ut privatis diebus extra Quadrageſimam dicatur Tractus, exceptis Sabbatis quatuor temporum, & Vigiliis Pentecoſtes & Miſſis defunctorum præcipuis & privatis; ſed nec in matutinalibus Miſſis Dominico die tam infra Quadrageſimam quàm extra: niſi matutinalis Miſſa de Dominica fuerit, propter Miſſam de feſto, poſt Tertiam non repetenda. Nam privatis diebus in Quadrageſima *Domine non ſecundùm*, & Tractus ille, *De neceſſitatibus meis;* Et, *Domine exaudi orationem:* Feriâ quartâ ante Paſcha pro qualibet ſolemnitate non omittuntur. Tractus qui alternatim canuntur, in illo choro in quo eſt Invitatorium incipiantur. Alios Tractus Cantor vel qui ejus ad Miſſam gerit officium in quocumque choro ſit incipiat.

Quod si Abbas Hebdomadarius Missæ fuerit, Cantor alii Missam injungat. Absente Abbate, Hebdomadarius Missæ cineres benedicat. Quibus benedictis primus eos à quolibet Sacerdotum stolâ induto à Cantore præmonito accipiat cum Ministro, & ipse hebdomadarius ei à quo accepit imponat, & post in locum suum revertatur. Et qui ei cineres dedit, det & cæteris omnibus secundùm ordinem conversionis suæ accedentibus. Sciendum autem quia dum hoc Officium cinerum agitur, ille cui Cantor injunxerit, eos ante Abbatem tenere debet.

Inchoatâ verò Antiphonâ, *Immutemur habitu*, Sacerdos & minister calceent se, & signo pulsato accedant ad Missam celebrandam. Cæteri verò omnes discalceati remaneant donec Missa peragatur, tuncque se recalceent in claustro. Porrò cineres hos extra chorum familiæ & hospitibus si affuerint, Prior adjuncto sibi aliquo fratre imponat.

Sciendum est quia Tractus *Domine non secundùm*, tam in hac die quàm in aliis tribus diebus per Quadragesimam scilicet secundâ & quartâ & sextâ feriâ, usque ad quartam feriam ante Pascha dicitur: exceptâ tantummodo feriâ quartâ post primam Dominicam Quadragesimæ, quia in ipsa feria quarta Tractus *De necessitatibus* canitur. Canonicalis præfatio videlicet, *Qui corporali jejunio* tam hac die quàm aliis omnibus Quadragesimæ diebus ad Missam de jejunio, usque ad Cœnam Domini dicatur.

CAPVT XIV.

De Festis Sanctorum quæ à capite jejunii usque ad Dominicam in Palmis evenerint.

SI festivitas duodecim Lectionum in qua laboramus privatis diebus à capite jejunii usque ad Dominicam in palmis evenerit, primò dicatur Missa de jejunio dimissis usitatis collectis, quam cantet Hebdomadarius Hebdomadæ præteritæ: eamque Conventus ex toto audiat. Quâ finitâ ac recalceato Conventu, si quarta feria in capite jejunii fuerit, sequatur Missa de festo canenda à præ-

sentis hebdomadæ Hebdomadario. Et post Offerendam privatæ Missæ agantur. Ad quam Missam ad induendum & exuendum juvent illi qui ad præcedentem hoc idem fecerunt. Huic Missæ Conversi non intererunt. Idipsum teneatur de festo sancti *Mauricii*, cum in jejuniis quatuor Temporum in Septembri evenerit.

Conventus ad *Te igitur* prioris Missæ in Quadragesima super formas prosternatur: horæ verò totius diei sine flexione genuum peragantur & de festo fiant. Quod si festum in quo non laboramus fuerit; prima Missa de jejunio erit, sed non solemniter: & ad *Te igitur* prosternentur fratres. Quod ad Missam solemnem post Tertiam non fiet. Sanè memoriæ commendandum est, quod flexio genuum ad *Te igitur* in die duodecim Lectionum non fit, nisi in Quadragesima.

CAPVT XV.

De Dominica prima Quadragesimæ & observatione ejusdem temporis.

DOMINICA prima Quadragesimæ post Primam Cantor adjunctis sibi fratribus, si necesse habuerit, quos ejus petitione Prior ei assignaverit, interim dum Missa matutinalis cantatur, deferat libros qui dandi sunt in Capitulo & ante sedem Abbatis aliqua re substrata honestè ordinet: lectio verò regularis de observatione Quadragesimæ, videlicet, *Licet omni tempore*, & pars ultima præcedentis sententiæ, scilicet, *In Quadragesima verò diebus*, illa die in Capitulo legatur. Quâ lectâ & expositâ, Cantor jussu Abbatis cum solatio suo vel etiam aliis si necesse fuerit libros distribuat; quos Monachi duabus manibus præ gaudio divinarum Scripturarum suscipientes, singuli profundè & lætanter inclinent. Et sciendum quòd huic Capitulo intererunt Monachi infirmi, libros cum aliis accepturi. Posteà Abbas designet fratres qui secundùm Regulam horis quibus vacant fratres lectioni per totum annum circumeant Monasterium: cum tamen necesse esse intellexerint, de his scilicet providentes offici-

Ex cap. 49. Reg. S. Ben. & ex cap. 48.

cinis, *Clauſtro*, *Oratorio*, *Capitulo*, *Dormitorio*, *Calefactorio*, *Refectorio*, *Coquina*, *Auditoriis*, ne fortè aliquis inconvenienter ſe habere inveniatur: & propter hoc officinas prædictas ingredi poterunt exceptis *Auditoriis*.

Per *Auditoria* Intellige locum Clauſtro Regulari adjacentem in quem juxta cap. 72. hujus lib. ſecedere ſolebant Monachi ut de ſibi neceſſariis cum Priore colloquerentur.

Hac die poſt Completorium cruces cooperiantur & *Cortina* ante Preſbyterium tendatur, quæ ita omnibus diebus privatis per Quadrageſimam uſque ad quartam feriam ante Paſcha poſt Completorium remanebit. In Sabbatis verò & in Vigiliis ſanctorum duodecim Lectionum ante Veſperas à conſpectu Preſbyterii, eſt Cortina retrahenda: & in craſtino poſt Completorium eſt remittenda. Similiter retrahatur ad Miſſam pro præſenti defuncto: & ad exequias, *Non intres in judicium:* donec ſeptem Pſalmi finiantur poſt ſepulturam, & ad benedictionem Novitii. Ad Miſſam verò privatis diebus, ut Sacerdos liberè ab Abbate ſi affuerit ad Evangelium legendum benedictionem petat, Subdiaconus cornu Cortinæ in parte Abbatis modicè retrahat: & data benedictione ut priùs erat remittat. Diaconus verò accedat ad Cortinam ubi ſublevata eſt, quærens benedictionem.

Cortina id eſt Velum, quod inter Chorum & Preſbyterium hoc ſolo Quadrageſimali tempore expanditur.

His verò ſanctis diebus Quadrageſimæ ſecundùm Beati *Benedicti* Patris noſtri monita, orationibus intenti eſſe debemus peculiaribus. Et ideo omni die unuſquiſque fratrum certa conſuetudine orationem privatam tempore lectionis in Eccleſia Domino offerat: niſi præſens defunctus impedierit. Si acciderit per hos dies Quadrageſimæ ut Crux quæ eſt retrò altare cooperta tollatur inde pro quolibet defuncto, vel infirmo communicando ſive inungendo, diſcooperiatur quoaduſque proprio loco, ſcilicet ſuper Altare, reſtituatur.

CAPVT XVI.

De duabus hebdomadis ante Paſcha.

DVABVS Dominicis ante Paſcha, *Gloria Patri* ad *Aſperges me* non dicatur: ſed poſt Verſum à capite repetatur. Aliis temporibus poſt *Gloria* fit repetitio ad *Lavabis me*. Per hos quatuordecim dies in quibus,

Gloria Patri, non dicitur ad Introitum Missæ, exceptis Missis solemnitatum & privatis quæ non sunt de Quadragesima, Ministri Altaris qui quando ille Introitus cantatur, stant ad aditum chori expectantes horam ingrediendi: ubi audierint inchoare Versum Psalmi post Introitum semel percantatum, statim introeant procedentes ad altare.

Librum *Hieremiæ* Prophetæ his diebus tam in Ecclesia quàm in Refectorio legendum dividat Cantor in duas partes, & una pars legatur in Ecclesia privatis diebus ad Vigilias usque ad quintam Feriam ante Pascha. Quæ pars inchoetur propè initium ipsius libri paulò ante ubi Dominicâ nocte ad Vigilias octava Lectio finem fecerit, id est *Videte Verbum Domini. Nunquid solitudo factus sum.* Et ab eo loco designet Cantor de illa Prophetia secundùm longitudinem vel brevitatem noctium per unumquemque annum quantum existimaverit sufficere posse ad hoc quod dictum est. Ubi autem partem illam non nisi in Ecclesia legendam, judicaverit finiendam, faciat ipsam die Dominicâ quâ ipsa Prophetia ad Vigilias incepta est, in Refectorio inchoari: perlectâ tamen prius Homiliâ Beati Gregorii Papæ de Evangelio, *Quis ex vobis arguet me de peccato*, & percurratur usque ad finem libri: procurans ante omnia ut infra istos dies totus liber perlegatur.

CAPUT XVII.

Ordo in Ramis Palmarum.

DOMINICA in Palmis ab Abbate Exorcismus aquæ agatur: deinde Tertiam ipse incipiat. Quâ finitâ, acceptâ Pastorali virgâ, super Presbyterii gradum arborum Ramos, ante horam Tertiam à Secretario ibi locatos benedicat, & posteà aquâ benedictâ aspergat. Quibus peractis, Cantor postquam Ramum Abbati obtulerit, incipiat Antiphonam, *Pueri Hebræorum*: moxque Secretarius cum solatio suo, & quibus à Priore jussum fuerit, Ramos benedictos Monachis ac Novitiis distri-

buat, reliquam partem fratribus laïcis & familiæ ac hoſpitibus ſi affuerint porrigat. Interim prænotatâ Antiphonâ finitâ, cantetur alia, *Pueri Hebræorum.*

His ergo ita ordinatis incipiente Cantore Antiphonam; *Occurrunt turbæ*, exeat Subdiaconus cum aqua benedicta, ſubſequente Diacono cum cruce diſcooperta, quem ſubſequatur Conventus eo ordine quo ſtat in choro laïcis Monachis præeuntibus, ita ut Abbas vel Sacerdos Hebdomadarius ſi Abbas defuerit, eat poſterior, & poſt ipſum Novitii, poſt Novitios verò laïci fratres: & fiat Proceſſio tantùm per clauſtrum. Prior autem provideat ne quid inconveniens inveniatur in clauſtro; dum iſta Proceſſio vel alia in Purificatione vel in Aſcenſione agitur. Finitâ Antiphonâ, *Occurrunt turbæ*, incipitur Antiphona *Collegerunt:* Et dum hæc canitur fiat prima ſtatio in parte quæ extat juxta Dormitorium. Quâ finitâ & ſequente mox Verſu, *Vnus autem*, moveant ſe fratres ab illo loco: & agatur juxta Refectorium ſtatio ſecunda. Ad repetitionem verò hujus Antiphonæ, ſcilicet *Quid facimus quia hic homo*, procedatur ad ultimam ſtationem juxta Eccleſiam: & in unaquaque ſtatione Diaconus & Subdiaconus habeant vultus ſuos verſos & crucem verſam ad Conventum; & in ambulando & in ſtando Subdiaconus ante Diaconum ſit. Porrò in ultima ſtatione incipiente Cantore, *Ave rex noſter fili David*, inclinet ad crucem Conventus genibus & manibus in terra poſitis: & omnes erecti deinceps ſtent converſi ad crucem uſque dum incipiatur, *Gloria laus.*

Interea dum hæc Antiphona *Ave rex noſter* canitur, Secretarius analogium, quod ipſe ante Tertiam collocavit in Capitulo cum textu Evangeliorum & Stola, ad locum ubi Diaconus Evangelium lecturus eſt, deferat: hoc eſt ante oſtium Eccleſiæ. Circa finem itaque antedictæ Antiphonæ *Ave rex noſter*, Diaconus crucem ſanctam Subdiacono porrigat. Qui & ipſe interim Subdiaconus Aquam benedictam *juſſum ponat*. Cum verò ſtolâ amictus Diaconus fuerit parùm ſe movendo ab analogio; ab Abbate benedictionem petat: & poſteà verſus circa orientem Evangelium legat, Subdiacono ante eum cum cruce aſtante: & ad Conventum vultum ſuum ha-

Inſum ſeu *Inſum ponat* idem eſt ac in terram deponat.

bente. Quo perlecto ſtolam deponat & crucem recipiat: atque Subdiaconus Aquam benedictam reſumat. Tunc etiam Conventus ſtet verſis vultibus ad invicem. Duo autem fratres, qui jam à Cantore præmoniti eſſe debent, circa finem Evangelii Eccleſiam intrent: & clauſo oſtio ſtantes versâ facie ad Proceſſionem, Verſus *Gloria laus*, uti in libro ordinati ſunt cantent. Quibus finitis & ab eiſdem fratribus principio eorundem Verſuum *Gloria laus* repetito, revertantur ad Proceſſionem: & ſtent in ordine ſuo. His igitur peractis inchoet Abbas Reſponſorium, *Ingrediente Domino:* & Eccleſiam omnes illud cantando intrent. Ramos quoque quos manibus geſtant intrantes Chorum ſuper gradum Preſbyterii deponant, quos Secretarius continuò auferat. Ubi verò Diaconus crucem depoſuit, uſque poſt Completorium diſcooperta ibi remaneat.

Poſteà Miſſa celebretur ſicut in natali unius Apoſtoli. Et ſciendum quod ad Proceſſiones quæ fiunt per clauſtrum, non liceat hoſpitibus intereſſe, nec ad Sermones in Capitulum intrare: niſi aliqua fuerit tam Reverenda perſona, cui hoc permitti deceat. Et hanc ſeptimanam de Evangelio nullus Diaconus ſecundùm ordinem accipiat, nec Sacerdos Hebdomadam Miſſæ: ſed quibus Cantor hæc Officia in tabula conſilio Abbatis commendabit. Diaconum tamen in Sabbato, ſi neceſſe fuerit, mutare licebit.

CAPUT XVIII.

Quomodo incipiendæ ſunt Paſſiones.

AD Paſſionem verò hujus Miſſæ, & *Dominus vobiſcum*, & *Gloria tibi Domine*, dicitur. Ad Paſſiones Feriæ tertiæ & Feriæ quartæ. *Dominus vobiſcum* dicitur: ſed *Gloria tibi Domine* non dicitur. Feriâ autem ſextâ nec *Dominus vobiſcum*, nec *Gloria tibi Domine*, dicitur. Et quando non dicitur ad Paſſionem *Gloria tibi Domine:* non ſe muniunt fratres ſigno Crucis.

CAPUT XIX.

De feria quarta ante Pascha.

FERIA quartâ ante Pascha post Vesperas regulares Officium pro defunctis cum suis Antiphonis & Collectis sicut aliis diebus dicatur. *Cortina* post Completorium auferatur.

Cortina id est Velum quod tempore Quadragesimæ ante majus altare expansum pependerat.

CAPUT XX.

De Cœna Domini & Parasceve & Vigilia Paschæ.

FERIA quintâ ante Pascha usque ad Feriam secundam post octavam Paschæ: nihil agatur pro defunctis: exceptâ quotidianâ Missâ, quam tamen intermittimus in die Parasceve & sequenti Sabbato & die Paschæ, in qua tamen die Hebdomadarius quotidianæ Missæ cantans de Resurrectione dicat Collectam, *Inclina Domine*; & si Tricenarium fuerit, subjungat, *Deus cui proprium est.*

Feriâ quintâ & sextâ & Sabbato ante Pascha, postquam nocturna laus peracta fuerit, & Fratres ad luminaria in Claustro sederint, & Sacrista viderit advenisse tempus, quo *regulariter* circa diem Laudes sunt canendæ: candelam unam accendat, ac in primo gradu Presbyterii super candelabrum ponat, sicque, signo Feriâ quintâ, Feriâ vero sextâ & Sabbato tabulâ vocentur Fratres ad horam. Interim verò dum hymnus illius horæ canitur omnia luminaria Ecclesiæ à secretario (exceptâ illâ prædictâ candelâ) extinguantur. Dum Cantor Antiphonam ad Benedictus inceperit, etiam candelam illam idem Sacrista extinguat. Et dum Abbas, *Pater noster* inceperit candelam ardentem quæ antea quam, illa ad Benedictus extinguatur, in absconsa occultari debet: ad Collectam dicendam in chorum deferat.

Regulariter id est secundum Regulam S. Benedicti.

CAPUT XXI.

Item de Cœna Domini.

FERIA quintâ ante Pascha, Missa celebretur post primam solemniter ut in natali unius Apostoli & sine flexione genuum: omnesque tam Conversi quàm cæteri ad magnum Altare communicent: nisi aliter multitudo exegerit. Diaconus autem tot hostias consecrandas apponat: ut & ipsa die fratribus omnibus sacra communio sufficiat: & tam pro officio sequentis diei, quàm pro infirmis pars sacræ communionis reservari possit. Post pacem verò Corpus Domini de vasculo supra Altare sumatur: & super patenam illâ horâ sumendum ponatur. Linteum etiam mox de eodem vasculo auferatur, aliudque à Sacrista illâ horâ præsentatum in eodem ponatur: illoque mutato ab eodem Secretario, mox Abbas vel qui cantat Missam, partem sacræ Communionis in crastinum servandam in vasculo ante notato honorificè recondat. Et tunc Linteum vetus in patena diligenter excussum super piscinam comburatur, cineresque ejus in eam projiciantur. Et sciendum quod hac die, privata Missa non sit ab aliquo cantanda: nisi pro Conversis communicandis, ubi multitudo exegerit: & ipsa Missa de die sit. Missa autem de sancta Maria, ad quam nullus hac die communicet, & quotidiana pro defunctis cantabitur.

Post sextam horam portarius (nisi alteri Abbas jusserit) tot pauperes eligat, quot Monachi sunt in Cœnobio.. Hi verò omnes ad orationem non suscipiantur, sed in uno loco maneant donec ad Mandatum ducantur, & interim dum Nona cantatur, Conversus Laïcus adjutor Monachi hospitalis, & cæteri Fratres Laïci quos Cellararius advocaverit, ducant pauperes in claustrum, ibique eos sedere & discalciari faciant: incipientes ab ostio Ecclesiæ quo Monachi exire & Claustrum intrare solent. Vasa & Lintea seu tersoria ad Mandatum necessaria, aquamque calidam illuc deferant: & omnia ordinatè disponant, quæ vasa & cætera necessaria Cellararius provideat.

Dictâ

Dictâ verò Nonâ exeant Fratres de Eccleſia, incipientes à prioribus eo ordine quo *privatis diebus*, & *in die natalis Domini*, ſcilicet unus poſt unum, vadunt in Capitulum: ita ut Abbas omnes tranſeat pauperes uſque ad ultimum, & Mandatum faciant in Clauſtro pauperibus. Porrò Fratres laïci, ut illius ſancti Mandati cooperatores exiſtant, aquam & terſoria Monachis Mandatum facientibus competenter & diligenter adminiſtrent, Cellararius autem, qui denarios ad opus pauperum Monachis porrigit, extremis in ordine monachis innuat: ut in pauperibus infirmorum & abſentium monachorum, & portarii qui in ultimo ordine pauperum collocandi ſunt, Mandati Officium adimpleant: Infirmis de infirmitorio qui adeſſe poterunt ſedere liceat. Et poſtquam abluerint, & exterſerint & oſculati fuerint pauperum pedes, proprias monachi manus lavent. Hoc expleto à ſingulis fratribus ſinguli nummi ſingulis dentur pauperibus. Qui denarij flexis genibus ſunt dandi: & manus pauperum oſculandæ. Poſtea verò ſimul ſe erigant fratres, iterumque veniam ante pauperes petentes dicant. *Suſcepimus Deus miſericordiam tuam in medio templi tui*: & poſtea eant ad opus manuum ſi tempus permiſerit. Deinde deducantur pauperes ad cellam hoſpitum: ubi Abbas cum coadjutoribus ſuis aquam fundat in eorum manibus ac poſtea reficiant. Et ſciendum quod omnes ſupervenientes hac die pro reverentia Dominici Mandati charitativè hora competenti pane & pulmento ſunt reficiendi.

Veniam Petentes id eſt genuflectentes manibus ad terram poſitis.

Expleto pauperum Mandato Sacriſta mox aſcitis ſibi fratribus quot neceſſarios habuerit, Altaria diſcooperiat: & pallas, quas inde tulerit honeſtè aptet & recondat. Veſpera itaque tabulâ pulſetur ligneâ: & ipſa hora altè cantetur uti aliis diebus. Abhinc non pulſetur campana in Eccleſia uſque ad Miſſam in Vigilia Paſchæ: Sed nec in Refectorio nec in horologio. Et illud ſciendum quod abhinc Verſus in Refectorio ante cibum & poſt cibum ac *Benedicite* cum benedictione potûs ante collationem: Verſus quoque in Capitulo remiſſiùs voce humili uſque poſt Veſperas in Vigilia Paſchæ ſunt dicendi.

Poſtquam conventus à menſa ſurrexerit, Fratres, qui in ipſo die in Capitulo ad Mandatum illius diei ſunt per

tabulam vocati, aquam calidam quam ipsimet antea calefacere debent, in Claustrum deferant. Ubi tamen Abbas in trahenda & calefacienda aqua ac in Claustrum deferenda, adjutorio Conversorum opus esse viderit: Cellararius sufficienter per Conversos subministret. Et facto parvo intervallo eant Fratres more solito in Refectorium bibere. Deinde Sacrista tabulam ad Mandatum percutiat: Monachorum quoque Conventu in Claustro residente sicut in Sabbatis ad mandatum, ac priore locum Abbatis tenente, incipiat Cantor Antiphonam. *Dominus Iesus* præsentibus infirmis qui adesse poterunt: & Conversis hinc inde residentibus: scilicet post ultimos Monachos & postremos Novitios. Tunc Abbas & Coadjutores sui linteis præcincti, lavent, tergant, & osculentur pedes omnium: ita ut Abbas duodecim tantum id est quatuor Monachorum, quatuor Novitiorum, & quatuor Fratrum Laïcorum pedes lavet. Quod si numerus defuerit Novitiorum, de Fratribus Laïcorum suppleatur. Servitores verò lavatoribus deputentur hoc modo: Abbati duo, cæteris autem unicuique unus, qui & aquam & linteamina eis sufficienter administret. Quotiens verò ante Priorem transierint inclinent se, tam Abbas quàm cæteri. Peracto itaque obsequio: Abbas duorum servitorum suorum pedes lavet, cæterique sibi invicem lavent. Novissimè verò alter ex sibi deputatis, Prior scilicet in eodem loco Abbatis pedes lavet, alter verò tergat & osculetur. Post hoc tam Abbas quam cæteri sibi vicissim aquam in manibus fundant. Deinde cucullis induti veniant ad locum, in quo septimanarii coquinæ solent inclinare Sabbatis post mandatum, & ibidem inclinent. Et tunc Priore assurgente Abbatique cedente, omnes pariter assurgant: eoque residente cuncti sedeant. Ad collationem autem lectio Evangelii, scilicet *Ante diem festum Paschæ* ab illo Diacono cui Cantor Præceperit sedente, sicuti aliis diebus, legatur. Cujus lectionis finis in providentia est Abbatis. Hinc Completorium remissiùs mediocri voce dicatur: ita tamen ut Psalmodiæ sonus clarè & distinctè resonet. Quod etiam abhinc omnibus horis in Psalmodia & cantu, exceptis Vigiliis & Laudibus usque ad Vesperam Paschæ fiat.

CAPVT XXII.

De Parasceve.

IN Parasceve, parvo (post Laudes) intervallo facto discalcient se Fratres in Dormitorio, & infirmi in infirmitorio, nisi nimis graventur. Deinde pulsetur tabula, & conventus veniat in chorum, *oratioque fiat brevis* super formas: solemnis *verò oratio* ante Tertiam persolvatur ex more. Dictâ autem Primâ sequantur omnes Abbatem eo ordine quo stant in Choro & intrent Capitulum, sedeatque Abbas ad dexteram cum Choro suo, Priorque ad sinistram cum suo in introitu Capituli: & post eos, omnes eo ordine sedeant quo processerunt, ac Psalterium ex integro persolvant. Expleto Psalterio per totam diem vacent fratres lectioni. Post Nonam induant se Abbas & ministri ad Officium.

Oratio brevis id est, Pater noster. Ave Maria. *Solemnis oratio* id est, Pater, Ave, & Credo.

Interim autem, Secretarius Altaris superficiem mundis cooperiat pallis & ab uno ministrorum duo luminaria circa Altare accendantur, ut mos est festivis diebus. Deinde pulsatâ tabulâ veniat Conventus in Chorum & legatur sine titulo Lectio, *In tribulatione sua*, à quodam Fratre à Cantore præmonito. Quam dum inceperit ingrediatur Abbas cum Ministris ad Altare nudis pedibus: orationem solitam prætermittentes ante Altare. Lectione autem finita dicatur Tractus, *Domine audivi*, postea Collecta *Deus à quo & Iudas*: sed non Flectamus genua. Deinde legatur Lectio *Dixit Dominus ad Moysen & Aaron*, à Subdiacono cum manipulo similiter absque titulo. Quam non ut Epistolam: sed planè legat ut aliam Lectionem. Quâ dictâ canatur Tractus, *Eripe me Domine*: & subsequatur Passio & orationes solemnes, id est *Oremus, Dilectissimi.*

Et circa finem earundem orationum Secretarius aliquod grossum linteum in Presbyterio ante Altare sternat, ubi crux est adoranda. Et duo Presbyteri vel Diaconi à Cantore præmoniti albis se induant ad Officium crucis; Et antequam, *Per Dominum nostrum* ultimæ Collectæ finiatur, retro Altare venientes, Crucem

coopertam jam ante Nonam à Sacrista ibidem depositam, finita oratione accipientes ad gradum Altaris portent: Abbate & ministris ab Altari discedentibus. Postea crucem aliqua re ad hoc convenienti subnixam, unus ad dexteram & alter ad levam tenentes, flexis poplitibus cantent, *Popule meus*. Et duo fratres ante gradum Presbyterii ter dicant *Agyos*, semel in primo flectentes genua, finito *O Theos*, & erecti cætera prosequantur. Et Chorus *Sanctus* ter repetat. Similiter ad primum flectentes genua, dicto *Sanctus Deus*: & hoc tam à Choro quam à fratribus tertiò similiter fiat. Et dum ultimum *Sanctus Deus* incipitur, qui crucem tenent eam breviter adorent. Qui cantu finito detegentes eam inchoent Antiphonam *Ecce lignum Crucis*: moxque omnes veniam petant econtrà. Et cruces aliæ à Sacristis discooperiantur. Abbas verò solus & post illum insimul Diaconus & Subdiaconus in albis sine manipulis: ac deinde duo & duo Monachi & Novitii universique Laïci toto corpore prostrato in Presbyterio crucem adorent & osculentur tantummodo & breviter. Et dum adoratur stent versis vultibus ad Altare: sedeat tamen qui voluerit. Portarius verò ipsâ horâ veniat & adoret, & recedat: moxque ad portam redeat. Et sciendum quod illum ordinem, quem ad pacem & communionem accedentes servant, in adoranda, & osculanda Cruce servare debeant. Interim autem cantus ad hoc pertinens officium persolvatur. Et sciendum quod liceat plures Cruces ad adorandum tam Monachis quàm conversis ad alia Altaria prout Abbas ordinaverit exhibere. Et dum hæc aguntur prior aliam Crucem cum reverentia comitante illum Sacrista, vel alio fratre quem signo vocaverit, hospitibus si affuerint & familiæ extra Chorum ad adorandum præsentet. Postquam igitur omnes adoraverint, qui crucem tenent levantes eam inchoent Antiphonam, *Super omnia* & protinus Conventus econtra veniam petat. Monachi autem crucem in suum super Altare locum restituant.

Tunc Abbas & Diaconus resumptis, quæ deposuerant ad Altare cum Subdiacono sicut erant, nudis pedibus accedant, & orationem faciant, confessionemque dicant.

Quo facto Diaconus Corporale super Altare ponat à Sacrista priùs super ministerium positum. Abbas verò Corpus Dominicum cum vasculo in quo est, ad Altare deferens juxta corporale ponat: & cum Diaconus Calicem cum vino aqua mixto Abbati oblatum super Altare, uti ad Missam solitum est, ordinaverit, Abbas incenso priùs adhibito, deinde aperto vasculo digitos suos lavet, & extractam de vasculo sanctam Communionem super corporale ponat. Et tunc nec corpore Domini, nec Calice levato, mediocri voce dicat, *Oremus. Præceptis salutaribus moniti* & *Libera nos quæsumus Domine*: Illoque dicente, *Per eundem Dominum nostrum*, &c. Corpus Domini in tres partes dividat, ac postea, *Per omnia sæcula sæculorum*, submissa voce dicat, atque cunctis respondentibus, *Amen*, ipse unam partem in Calicem mittat nihil dicens. Porrò Diaconus facta thurificatione, ablutis manibus cum Subdiacono stet ubi stare solet ad Collectas, donec communicaturus accedere debeat ad Altare. *Pax Domini* nec dicetur, nec dabitur, nec venia à Conventu petetur, nec *Agnus Dei* cantabitur. Deinde Abbas & Ministri communicent. Interim Fratres habeant facies versas ad Altare. Et postquam Ministri communicaverint, Conventus exeat, pedesque suos calciamentis muniat. Aqua autem in Claustro à Cellerario calida sit procurata, ut qui voluerit pedes abluere possit.

A. Mensa, Gallice credence.

Sacrista verò ante Vesperam pallas auferat de Altari. Deinde pulsatâ tabulâ vesperæ celebrentur. Et Laïci Fratres refectionis horâ Ecclesiam mundent. Monachique in Refectorio more servitorum gratias reddant: & prædicti Fratres Laïci post Completorium Claustrum & Capitulum mundent.

CAPVT XXIII.

De Vigilia Paschæ.

IN Sabbato Vigiliæ Paschæ, anni Domini & Epactæ concurrentes, & Indictiones in Chartula à Cantore præparata Cereo benedicendo ipsa die affigantur. Post Sextam Secretarius Altaria omnia adornet. Post Nonam

Analogium id est Pulpitum ad legendum.

verò tabulâ ab eo modicè pulsatâ Abbas & Ministri vestibus se induant sacris, & Sacrista deferat *Analogium* super quod legitur Evangelium, & librum Evangeliorum superpositum super gradum Presbyterii: ubi Abbas peragere solet Benedictiones. Et deferat similiter Cereum benedicendum super candelabrum, non excedentem pondus trium librarum panis regularis, ponens illum in dextera parte Analogii.

Quibus paratis ut in Chorum conveniant Fratres, iterùm tabula percutiatur. Tunc ignis in patella carbonibus allatus vivis benedicatur: & aquâ benedictâ aspergatur ab Abbate stante super gradum Presbyterii. Interim omnia Ecclesiæ luminaria extinguantur: & de igne benedicto posteà accendantur. Cum verò de eo candela accensa fuerit, à Diacono stolâ accincto & vultu ad Altare verso Paschalis benedicatur Cereus: astante ad dexteram ejus Subdiacono candelam manu tenente. Cum autem Diaconus legendo venerit ad locum illum, *suscipe sancte Pater Incensi hujus sacrificium vespertinum:* Cantor quinque grana incensi crucem formando in eum imprimere curet. Ubi verò idem Levita hoc prompserit *rutilans ignis accendit:* lumen de manu Subdiaconi sumens Cereum flammescere faciat. Deinde Subdiaconus candelâ extinctâ eat in locum suum. Cereus autem ardeat usque post Completorium in crastinum, in loco ubi benedictus fuit, usque ad diem Ascensionis Domini permansurus.

Benedictione ergo consummata, sequatur Lectio, *In principio Deus creavit cœlum & terram,* & cæteræ sine titulo. Levita quoque stolam deponat, & cum manipulo in locum suum revertatur. Et sciendum quòd patella cum prædictis carbonibus non sit de Presbyterio efferenda, donec Cereus accendatur: ut si fortè candela accensa extincta fuerit, de eisdem carbonibus possit reaccendi. Abbas verò casulâ indutus, jam inchoata lectione, *In principio creavit Deus cœlum & terram,* solus accedat ad altare: orationem tamen solitam ante illud minimè faciat. Tunc etiam Chori habeant vultus suos ad invicem versos, reliquas autem Lectiones cum Collectis & Tractibus, uti in codicibus constant, ordinatè persolvant. Et sciendum est quia ordo Fratrum has Lectiones legentium

incipitur à prioribus. In Sabbatis verò quatuor Temporum à minoribus. In quibus tamen à Cantore considerandum est: ut hi qui legunt (secundùm Regulam) possint ædificare audientes. Lectionibus verò cantuque atque Collectis celebratis, Abbas regressus ad vestiarium, Casulam ibidem relinquat, & sic in locum suum eat. Quo ab Altari discedente *Letania* dicatur à duobus Fratribus ante gradum Presbyterii, utroque Choro simul respondente. Cum autem ventum fuerit ad illum locum, *Peccatores te rogamus audi nos*, Abbas & ministri vestiarium ingressi ad Missam se præparent.

Vide Reg. S. Ben. cap. 48.

Cantore itaque vel Succentore, si Invitatorium in Choro ejus fuerit, post Letaniam solemniter incipiente *Kyrie eleison*: tres lampades & duæ candelæ circa Altare de igne benedicto accendantur, & Abbas cum plenario Ministrorum officio ad Altare accedat, ac solitam orationem, deinde Confessionem faciat. Illoque Hymnum *Gloria in excelsis* pronunciante, ac Cantore *pax hominibus* prosequente, campana pulsetur, quousque dicatur *Domine Deus Rex cœlestis*. In hac die nulla Missa privata ab aliquo est dicenda. Ad hanc Missam *Pax Domini* dicatur: sed non *Agnus Dei*. Et post *Pax Domini*, statim unusquisque in loco suo vertant vultus ad Altare, donec Abbas dicat *Oremus* post *Dominus vobiscum*. Quod si Cantor perspexerit tempus diei non sufficere ut lumine diei omnia impleantur: procuret ut aliquantulùm minùs morosè quam aliis diebus Vespertinales Laudes psallantur. Post refectionem more solito faciant Mandatum.

CAPUT XXIV.

De Festis Sanctorum, quæ post Sabbatum ante Dominicam in Palmis usque ad Octavas Paschæ occurrunt.

SI Festivitas Beati *Benedicti* Patris nostri, seu alia festivitas duodecim lectionum quâ non laboramus post Sabbatum quod præcedit Dominicam Palmarum usque ad feriam quintam septimanæ Paschæ illuxerit, ipsa feriâ

quintâ agatur. Si duæ, quæ prima est, agatur quintâ Feriâ, sequens in Sabbato. Quòd si post Sabbatum quod præcedit Dominicam in Ramis palmarum usque ad Cœnam Domini, & à quinta feria Paschæ usque post Octavas, festivitas duodecim lectionum in qua laboramus evenerit: pro festo duodecim lectionum ad Vesperas in Vigilia, & ad Laudes, ad Missam & ad Vesperas illius diei commemoratio fiat. Festum verò de quo commemoratio fieri solet, assueta commemoratione terminetur. Si autem à Cœna Domini usque ad Feriam quintam Paschæ festivitas duodecim lectionum occurrerit in qua laboramus, vel unde commemorationem agimus, nulla inde fiat mentio.

CAPUT XXV.

De Septimana paschæ.

TRIBUS diebus, qui Paschæ diem sequuntur, erunt Fratres in Lectione, nec laborabunt: quia hos tres dies pro veneratione sanctæ Resurrectionis solemnes habemus, sicut festum alicujus Apostoli. *Invitatoria* tamen nunquam nisi in duodecim lectionibus à duobus Fratribus canentur. Aliis verò tribus diebus qui sequuntur laboramus, sed tamen Missam quotidianam solemnem agimus. In qua etiam Missa adsunt duo Ministri, Diaconus videlicet & Subdiaconus: & duæ candelæ ardentes juxta Altare, & Incensum post Offerendam. Sciendum etiam quod die Paschæ & tribus sequentibus diebus *Gloria in excelsis Deo*, & Præfatio, *Te quidem Domine omni tempore:* ac *Communicantes*, & *Hanc igitur Oblationem*, ad utramque Missam repetuntur. Cæteris verò sequentibus diebus quando laboramus, una Missa quotidie post Tertiam celebrabitur, ad quam *Gloria in excelsis Deo*, ac prædicta Præfatio, & *Communicantes*, & *Hanc igitur oblationem* quotidie dicentur. *Credo in unum Deum*, tantùm in die Paschæ canitur.

Illud memoriæ commendandum, quòd feriâ secundâ Paschæ ad matutinalem Missam non dicitur Collecta de die

die ſicut in aliis diebus ſequentibus, quia Collecta in die Paſchæ, & Collecta in feria ſecunda habent unam Secretam, & eandem poſt Communionem. Cæteris verò diebus ſcilicet feriâ tertiâ & feriâ quartâ, ad Miſſam matutinalem prima Collecta ſit de Reſurrectione: & ſecunda de ipſa die. Porrò una ſola Miſſa tribus diebus ſequentibus celebrabitur: per tres dies iſtos poſt primam Collectam de feria, dicatur de Reſurrectione, *Deus qui hodierna die per unigenitum tuum.*

CAPVT XXVI.

De Octavo die Paſchæ.

DOMINICA autem in Octavis Paſchæ, prima Miſſa erit *Reſurrexit*, & ſecunda *Quaſi modo geniti*, & Præfatio *Te quidem Domine omni tempore*, & *Communicantes*, & *Hanc igitur oblationem* ad utramque Miſſam dicantur. Secunda hujus diei Miſſa ea veneratione agatur, quâ fit in feſto unius Apoſtoli. Et ſciendum eſt quia Evangelium quod legitur in hac die ad majorem Miſſam, ſcilicet *Cum eſſet ſero die illa*, poſtquam ex integro Dominicâ die lectum fuerit: in cæteris privatis diebus ipſius ſeptimanæ mos eſt illud in duas partes dividere. Prima autem pars à Capite incipiens uſque ad, *Thomas unus ex duodecim* ſe extendit: Secunda verò ab eodem loco uſque ad finem.

CAPVT XXVII.

De Tempore Reſurrectionis.

AB Octavis Paſchæ uſque ad Rogationes, *Alleluia* quæ dicta ſunt in Dominica ad majorem Miſſam, privatis diebus viciſſim repetantur. Similiter per Octavas Aſcenſionis Domini. Et ſciendum quòd à Paſcha uſque ad Aſcenſionem Domini, omnibus Dominicis diebus Miſſa matutinalis debeat eſſe de Reſurrectione Domini, videlicet *Reſurrexit:* niſi feſtivitas alicujus Sancti hoc impedierit. Ad quam Miſſam tamen minimè dica-

tur Præfatio, *Te quidem Domine omni tempore*, & *Communicantes*, & *Hanc igitur oblationem*. Et si fortè fuerit (ut dictum est) de aliquo Sancto ipsa Missa matutinalis : tunc dicatur Collecta de Resurrectione Domini, id est *Deus qui per unigenitum tuum* post Collectam de Sancto, scilicet ante Dominicalem.

Quòd si festum duodecim Lectionum in ipsa Dominica evenerit, ipsa Missa erit de Dominica, & Collecta de Resurrectione, post illam de festo dicetur. Si tamen Dedicatio Ecclesiæ, vel Inventio sanctæ Crucis hoc tempore die Dominicâ evenerit, Missa Dominicalis differatur. In Dominica tamen ante Ascensionem Domini nullo modo differatur.

Porrò hebdomadâ post Septimanam Paschæ leguntur *Actus Apostolorum* in Refectorio. Et dum Responsorium *Dignus es Domine* in Ecclesia cantatur, liber *Apocalypsis* inchoatur. Cum autem Responsorium *Si oblitus fuero tui* incipitur, Epistolæ *Canonicæ* leguntur.

A Sabbato primæ hebdomadæ Paschæ usque ad Octavas Pentecostes non dicatur Responsorium ad Missam, nisi pro Defunctis. Veruntamen privatis diebus & ad matutinales Missas dicatur unum *Alleluia*, excepto Sabbato infrà Octavas Paschæ, quando in eo duodecim Lectionum festivitas in qua non laboramus evenerit. Ad majores verò Missas duo dicantur *Alleluia*.

CAPUT XXVIII.

De Rogationibus.

POST Tertiam in diebus Rogationum pulsato signo sicut ad Missam pulsari solet : duo fratres ante gradum Presbyterii stantes cantent *Litaniam* : fratribus in utroque Choro insimul respondentibus, & stantibus ad invicem versis vultibus sicuti ad Missam solent : & ad *Peccatores, te rogamus*, ministri exeant, se seque ad Missam præparent, Diaconus scilicet si affuerit, stolam sumens, & Sacerdos Casulam. Si aliqua autem festivitas duodecim Lectionum in qua non laboramus,

in uno trium dierum Rogationum illuxerit, ipſa feſtivitas plenariè eadem die agatur. (Si feſtum ſancti *Petri Tarentaſienſis* his diebus evenerit: duæ Miſſæ canentur poſt Tertiam.) Poſt Primam verò *Letania*, & poſteà Miſſa de jejunio cum commemoratione feſti præſentis, & alia poſt Tertiam de ſolemnitate. In his tribus diebus mixtum non ſumitur.

Quod hîc de S. *Petro Tarent.* notatur Antiquis Vſibus additum eſt à Capit. Generali an. D. 1197.

CAPVT XXIX.

De Aſcenſione Domini.

IN Aſcenſione Domini ad Veſperas Cereus Paſchalis accenſus, non extinguatur uſque in craſtinum poſt Completorium. Tunc verò ab Eccleſia ſublevetur. Commemorationes verò Sanctorum, quæ ea die evenire poſſunt intermittendæ ſunt: niſi in craſtino ſubſequatur alicujus Sancti commemoratio. Tunc enim ad Veſperas in die Aſcenſionis fiet commemoratio. Similiter fiet feriâ quartâ infra Octavas Paſchæ & Pentecoſtes.

Ad Proceſſionem quæ fit in clauſtro, in prima ſtatione dicatur Reſponſorium *Viri Galilæi* cum Verſu. In ſecunda Reſponſorium *Pater cum eſſem*. In tertia Verſus, *Pater ſancte* cum repetitione: & ubi neceſſe fuerit dicatur *Gloria Patri* cum repetitione. Ad Introitum Eccleſiæ Antiphona, *O Rex gloriæ*. Duobus ſequentibus diebus poſt Octavas non dicitur *hodierna die* in Collecta.

CAPVT XXX.

De Vigilia Pentecoſtes.

IN Vigilia Pentecoſtes vacent Fratres Lectioni à Tertia uſque ad Sextam, & cantent Miſſas qui voluerint: non tamen de Vigilia. Ante Nonam celebratur Officium, & cætera ut in Vigilia Paſchæ aguntur; excepto quòd nec ignis nec Cereus benedicitur, & excepto quòd ſignum ad *Kyrie eleiſon* Miſſæ non ſonatur: & quòd *Agnus Dei* canitur.

CAPVT XXXI.

De Octavis ejusdem.

ET sciendum quòd post diem Pentecostes, Antiphona scilicet *Filia Hierusalem*, & cæteræ quæ propriè per Resurrectionem canuntur, dimittantur : & *Alleluia* in nullius cantus fine ponatur, nisi ubi in libris scriptum invenitur. De solemnitatibus autem Sanctorum, quæ in hac Septimana evenerint, quemadmodum de festis in hebdomada Paschæ ordinavimus, ita teneatur.

Feriâ quartâ infra octavas Missa matutinalis de jejunio: major verò de festo erit, videlicet *Spiritus Domini replevit*, quæ post Tertiam solemniter agatur. Feriâ quintâ & sextâ & Sabbato ejusdem Septimanæ in Conventu non celebretur nisi una Missa post Tertiam. Tribus autem diebus in quibus jejunamus non dicimus *Gloria in excelsis Deo:* nisi feriâ quartâ ad majorem Missam, quæ post Tertiam celebretur : sed tamen Præfatio *Qui ascendens super omnes cælos:* & *Communicantes*, & *Hanc igitur oblationem* omnibus diebus illius Septimanæ tenemus. Missa verò per totam Septimanam Pentecostes solemniter celebretur : sicuti in Hebdomada Paschæ.

Et quidem tribus diebus, qui Dominicam sequuntur, ad Missam matutinalem duæ tantum Collectæ dicantur quarum una sit, *Deus qui hodierna die corda fidelium*, & altera de die præsenti. Feriâ quintâ una Collecta dicatur, id est *Deus qui hodierna die.* Feriâ sextâ duæ, prima de die, secunda, *Deus qui hodierna die*, quæ Sabbato intermittatur. In quo Sabbato nihil est ad Vesperas cantandum de festo Pentecostes, sed de sancta Trinitate. Historia verò, *Deus omnium* incipienda est in Dominica secunda post Pentecosten vel in alia, si illa vacua non fuerit.

CAPVT XXXII.

De Dominicalibus Officiis ab Octavis Pentecostes usque ad Adventum.

AB Octavis Pentecostes usque ad primam Dominicam Adventus Domini, sunt Septimanæ viginti octo, quando prolixius est spatium temporis: quando verò brevius, viginti tres. Dominicalia Officia sunt viginti quatuor. Proinde in majori spatio temporis quatuor extrema Officia singula per binas dicantur Hebdomadas, id est *Omnia quæ fecisti*, cum sua Collecta, Epistola & Evangelio, duabus dicatur hebdomadis. *In voluntate tua*, duabus. *Si iniquitates*, duabus. *Dixit Dominus ego cogito*, duabus. Si tres hebdomadæ numerum excesserint Officiorum, similiter fiat de tribus ultimis Officiis; si duæ, de duobus idem fiat: si una, *Dixit Dominus* bis dicatur. Cum verò hebdomadarum numerus minor fuerit numero Officiorum, *In voluntate*, & *Si iniquitates*, in una dicentur hebdomada. *Dixit Dominus* bis in ultima: ita tamen quòd in Dominica dicetur Collecta, *Deus refugium nostrum & virtus*: Epistola, *Imitatores mei estote*: Evangelium, *Abeuntes Pharisæi*. Infra hebdomadam Collecta dicitur, *Excita Domine*: Epistola, *Ecce dies veniunt*: Evangelium, *Cum sublevasset*.

Hoc autem observandum est, quòd omnes Dominicales Collectæ quæ binæ dicuntur, per hebdomadam sic disponantur, ut illa quæ Dominicâ die dicta fuerit, sequentibus feriis repetatur ad Laudes & ad Vesperas usque dum alia incipiatur. Quæ cum incepta fuerit, ad Laudes & ad Vesperas dicatur usque ad sequentem Dominicam. Incipienda autem erit si fieri potest à quinta feria.

CAPUT XXXIII.

De ſolemnitatibus quibus non laboramus & quæ Dominicâ non evenerint.

OMNIBUS ſolemnitatibus quibus non laboramus & quæ Dominicâ non evenerint, etiam ſi commemoratio alicujus Sancti fiat, nihilominus utraque Miſſa de ſolemnitate ſit, præter quam in feſto *Beati Bernardi*, & in Decollatione ſancti *Ioannis Baptiſtæ:* & exceptis Feſtivitatibus quæ à Capite jejunii uſque poſt octavas Paſchæ, & Iejuniis quatuor Temporum, & Rogationum, & in Septimana Nativitatis Domini & Pentecoſtes evenerint. In Inventione verò & Exaltatione ſanctæ Crucis, quia Vigiliæ partim de Sanctis ſunt, partim de ſancta Cruce: de Sanctis Miſſa matutinalis ſit, etiamſi Dominica evenerit, & de Cruce Major. Inventio ſanctæ Crucis ſi Dominicâ ante Aſcenſionem evenerit, Miſſa matutinalis erit de Dominica, & de Cruce Major.

Nomen & memoria *S. Bern.* non erant in antiquis Vſibus, addita ſunt autem à Capit. Generali ann. D. 1161. poſt Canoniſationē illius quæ contigit anno præcedenti; ut patet ex Bulla Alexandri III. Rom. Pontif. qui hunc S. P. Sanctorum Catalogo adſcripſit.

CAPUT XXXIV.

De ſolemnitatibus quibus non laboramus & quæ Dominicâ evenerint.

IN ſolemnitatibus iterùm quibus non laboramus & quæ Dominicâ evenerint, niſi fuerint illæ Feſtivitates quibus Sermo fit in Capitulo, Miſſa matutinalis erit de Dominica: niſi propter proprietatem alicujus Sancti, vel propter præſentem Defunctum differenda ſit, & Major de ſolemnitate. In Purificatione tamen Beatæ *Mariæ*, ſi in Septuageſima vel Sexageſima aut Quinquageſima evenerit: Miſſa matutinalis erit de Dominica, & Major de ſolemnitate. Ante Adventum autem cum unum Dominicale Officium duas tenere contingit hebdomadas, illud Officium ſecundâ non repetitur Dominicâ ad Miſſam matutinalem, ſi in ea duodecim Lectionum ſolemnitas celebratur: ſed utraque Miſſa erit de feſto. [a] *Simili modo fiet ante Septuageſimam.*

[a] *Simili modo*, &c. Hæc Vltima Verba addita ſunt antiquis Vſibus quippe quæ non repetiuntur in omnibus antiquioribus manuſcriptis.

CAPVT XXXV.

De ſolemnitatibus quibus laboramus & quæ Dominicâ evenerint.

IN ſolemnitatibus quibus laboramus & quæ Dominicâ evenerint, ſimiliter Miſſa matutinalis erit de Dominica, niſi propter præſentem Defunctum differatur, & Major de ſolemnitate præterquàm in Octavis Apparitionis Domini, cum inſtans Septuageſima coëgerit ut in ipſis, *Domine ne in ira tua* cantetur, & in Adventu, Septuageſima, Quinquageſima & Quadrageſima. Dominicâ tamen in Palmis & in Octava die Paſchæ ſi feſtivitas ſancti *Ambroſii* evenerit, ad Miſſam matutinalem Collecta dicatur de eo.

CAPVT XXXVI.

De Dominicis diebus quibus duodecim Lectionum ſolemnitas non celebratur.

DOMINICIS verò diebus quibus duodecim Lectionum ſolemnitas non celebratur, utraque Miſſa erit de Dominica : niſi fortè alicujus Sancti fuerit commemoratio, qui Officium habeat in Graduali deſignatum, vel Vigilia alicujus Sancti hoc impedierit, vel præſens Defunctus ſupervenerit. Dominicâ tamen in Palmis etiam ſi alicujus Sancti fuerit commemoratio, Miſſa matutinalis erit de Dominica, & in Octava die Paſchæ de Reſurrectione. In illo verò uno die, qui feſtum ſequitur ſancti *Thomæ Martyris*, ſi dies Dominicus evenerit, prima Miſſa erit de Dominica: ſecunda de Octavis Domini, ſcilicet *Puer natus eſt nobis*.

Quod hîc de B. *Thomæ* Martyre præſcribitur additum eſt antiquis Vſibus an. D. 1191. Iuſſu Cap. Gen. ut jam ſuprà monuimus.

In illis autem tribus diebus qui Circuncisionem Domini ſequuntur, ſi dies Dominicus evenerit, prima Miſſa erit de Octavis Sanctorum, ſecunda de Octavis Domini, ſcilicet *Puer natus eſt nobis*. Si verò infrà Octavam

sancti *Ioannis Baptistæ* vel Apostolorum *Petri* & *Pauli* illis quatuor diebus qui deputati sunt ad Missas eorumdem Sanctorum dies Dominicus evenerit: Missa matutinalis erit de Octavis, & Major de Dominica. Dominicâ verò infra Octavam Apparitionis, Missa matutinalis erit de Dominica & Major de Octava: nisi fortè, *Omnis terra*, in eadem Dominica cantandum fuerit. Quòd cum acciderit, Missa matutinalis erit de Octavis, & Missa Major de Dominica.

Similiter Dominicâ infra Octavam Ascensionis Domini & Assumptionis Beatæ Mariæ, si nulla duodecim Lectionum solemnitas evenerit, Missa matutinalis erit de Dominica, & Major de Octava. Si verò aliis diebus infra has Octavas duodecim Lectionum solemnitas quâ non laboramus evenerit, nisi fortè in ipsa sermo fieri debeat in Capitulo, Missa matutinalis erit de Octava & Major de festo.

CAPVT XXXVII.

Quo ordine Missæ agantur privatis diebus.

AB Octavis Theophaniæ usque in caput jejunii, & ab Octavis Pentecostes usque ad Adventum Domini, omni feriâ secundâ Missa pro *Defunctis* in Conventu dicatur. Feriâ tertiâ & quintâ Dominicalis. Feriâ quartâ pro *familiaribus*. Feriâ sextâ de *sancta Cruce*. Sabbato de *Beata Maria*.

Ab Octavis autem Paschæ usque ad Dominicam ante Ascensionem, & in Adventu usque ad Nativitatem Domini, idem Ordo servabitur, excepto quod ab Octava Paschæ usque ad supradictam Dominicam omni feriâ quartâ, Missâ pro familiaribus omissâ, Missa *Resurrexit* dicetur. Et in Adventu feriâ sextâ, quia Missa de sancta Cruce non dicitur, Missa Dominicalis repetatur: nisi fortè aliqua solemnitas duodecim Lectionum aliquem horum occupaverit diem, aut talis commemoratio alicujus Sancti, cui Missa in Graduali sit atticulata, aut Vigilia alicujus solemnitatis, aut dies quatuor Temporum siue Roga-

Rogationum vel præſens Defunctus, aut tales commemorationes Defunctorum quas præcipuas agimus, & exceptis illis diebus, qui deputati ſunt ad illa Dominicalia Officia quæ poſt diem Epiphaniæ, vel poſt *In voluntate tua*, vel *Dixit Dominus*, aliquando propter inſtantem Septuageſimam vel Adventum privatis diebus reſtant perſolvenda: Et quando aliqua Dominicalis Miſſa in ſua propria Dominica dici non poterit pro alicujus ſolemnitatis vel præſentis Defuncti neceſſitate.

Et cum hoc contigerit ut aliqua Miſſa in ſua propria Dominica dici non poſſit, prima die quam poſt illam Dominicam Cantor à ſupradictis eventibus exoccupatam invenerit, canatur. Infra octavas verò Domini & Sanctorum, uti *in ſententia* de octavis eorum ſcriptum eſt, teneatur. Feriâ ſextâ poſt octavas Aſcenſionis de *ſancta Cruce* Miſſa canatur: niſi illius Miſſæ venerit occaſio, propter quam aliis temporibus intermitti ſolet. Notandum verò, quia ſi Miſſa pro Defunctis feriâ ſecundâ pro aliquibus ſupradictis eventibus in Conventu dici non potuerit: primâ ejuſdem ſeptimanæ die, quæ vacua fuerit à ſupradictis eventibus, dicatur.

In ſententia id eſt in cap. 47. hujus libri.

CAPUT XXXVIII.

De numero Collectarum ad Miſſas.

PRIVATIS diebus non amplius quàm quatuor Collectæ ad Miſſam in Conventu dicantur: exceptis octavis Domini & commemorationibus octaviſque Sanctorum, & illis quatuor diebus qui ſequuntur diem Circumciſionis, & feriâ ſextâ poſt octavas Aſcenſionis: aut ſi Abbas unam tantummodo Collectam dicendam adjunxit vel præſens Defunctus fuerit: excipitur etiam Triccenarium quod fit poſt Generale Abbatum Capitulum, cujus Collecta, id eſt *Deus veniæ largitor*, per omnes triginta dies, exceptis ſolemnitatibus duodecim Lectionum, tam ad Veſperas quàm ad Laudes & ad Miſſas continuetur.

Veruntamen & ſi plures in una die Miſſæ fiant, ad unam tantùm dicetur. Et notandum quia nunquam in Miſſa

Collectam de Dominica vel de *sancta Cruce*, id est *Deus qui unigeniti filii tui*, dicimus, nisi illa die Missa in Conventu de ipsis agatur. In Adventu tamen quotidie dicatur Collecta de Dominica ad Missam, exceptis Missis pro Defunctis & quatuor Temporum Iejuniis & Vigilia Natalis Domini.

Cum tamen Dominicales commemorationes in aliqua solemnitate quæ Dominicâ venerit post matutinas Laudes cantatæ fuerint in crastino: licet Dominicalis Missa fortè differri debeat, Collecta tamen ad Missam matutinalem dicatur. Et notandum quia ad omnem Missam matutinalem, si eadem quæ major Missa non fuerit, vel de eodem Sancto: Collecta de majori Missa prima post Collectam Missæ matutinalis dicetur, excepto cum Vigilia Nativitatis Domini vel Apparitionis, seu Vigilia Assumptionis beatæ Mariæ die Dominica evenerit. Collecta verò *Deus qui per unigenitum tuum*, sicut in *sua sententia* ordinata est dicatur.

In sua sententia id est in cap. 27. hujus libri.

In aliquibus manuscriptis additur, & Collecta de Spiritu Sancto non dicatur in Missa de Trinitate.

CAPUT XXXIX.

De quatuor Historiis quæ cantantur à Kalendis Augusti usque in Adventum Domini.

SI Kalendæ evenerint die Dominica, eadem die inchoetur Historia. Si verò Kalendæ in secunda vel tertia aut quarta feria evenerint, in Dominica quæ easdem Kalendas præcedit, assumatur Historia. Quòd si Kalendæ in quinta vel sexta feria, aut Sabbato apparuerint; Dominica sequenti imponatur Historia. Et ideo si festivitas *omnium Sanctorum* quintâ aut sextâ feriâ illuxerit, legendum & cantandum est de libris *Machabæorum* ad Vigilias usque ad Dominicam sequentem, in qua incipiendum est legere & cantare de *Ezechiele* Propheta.

Si autem festivitas *omnium Sanctorum* evenerit die

Dominica, ipſa die celebretur, & ſequenti nocte ſcilicet feriâ ſecundâ inchoëtur *Ezechiel* Propheta, & Reſponſorium, *Vidi Dominum*. Sequenti verò die Dominico non legantur Lectiones ad initium illius libri pertinentes propter Præfationem: quia non eſt conſuetudo ut bis legantur, ſed legantur aliæ in libro Lectionarii diei Dominici ſecundi intitulatæ. Qui Propheta legendus eſt per tres hebdomadas tam privatis quàm Dominicis diebus. Quòd verò de his reſtat legendum ad Vigilias, ex quo ibi legi deſierit: legatur in Refectorio. Finito *Daniele*, legantur in Refectorio duodecim Prophetæ.

CAPVT XL.

Quâ ſeptimanâ Iejunia quatuor Temporum in menſe Septembri agenda ſunt.

SI prima dies Kalendarum menſis Septembris in ſecunda feria aut tertia vel quarta evenerit, tunc agendi ſunt dies Iejuniorum hebdomadâ *Exaltationis* ſanctæ Crucis. Si verò Kalendæ Septembris in quinta feria vel ſexta vel Sabbato ſive Dominica evenerint, tunc in illa ſeptimana, in qua feſtivitas ſancti *Matthæi* Apoſtoli evenerit, agendi ſunt.

CAPVT XLI.

Quomodo legantur libri in Refectorio à Pentecoſte uſque ad Kalendas Novembris.

TEMPORE illo quo canitur, *Deus omnium exauditor eſt*, uſque ad Kalendas Auguſti, leguntur quatuor libri *Regum*, & poſteà duo libri *Paralipomenon*. A Kalendis verò Auguſti uſque ad Kalendas Septembris interim dum canitur, *In principio Deus*, legimus Proverbia *Salomonis*, & poſteà *Eccleſiaſten*, & deinde *Cantica Canticorum*, & librum *Sapientiæ*, id eſt, *Diligite juſti-*

tiam, & posteà librum *Iesu filii Syrach*, id est *Omnis sapientia*.

In Kalendis Septembris quando canitur, *Si bona suscepimus, Iob*. In eodem mense mutatur historia alia, id est, *Peto Domine*, & tunc legitur priùs liber *Tobiæ*, deinde *Iudith*, posteà *Hester*, ac postremò *Esdras*. Hanc autem Historiam id est *Peto Domine*, nec ante pridie Idus Septembris, nec post decimumquartum Kalendas Octobris, sed in his septem diebus ubicunque dies Dominica evenerit incipimus, excepto quòd quando solemnitas sanctæ Crucis die Dominicâ evenerit: Dominica præcedente festum, dicatur *Peto Domine*. In Kalendis Octobris leguntur duo libri *Machabæorum* dum canitur, *Adaperiat Dominus*. Et cum perlecti fuerint, legimus quatuor libros Evangeliorum in Refectorio tantùm usque ad passiones, & dimissis passionibus quod reliquum est legatur. Alii verò libri aliis temporibus perlegendi, superiùs per diversa Capitula dispositi sunt.

Et notandum quòd quando renovatur Historia, liber ille qui tunc cum Responsoriis inchoatur: cum sua Præfatione incipiendus sit in Ecclesia, legendus tamen in Refectorio ubi octava Lectio fecit finem. In libro autem Machabæorum primo, ibi Lector in Refectorio incipiat ubi quarta Lectio fecit finem. De aliis libris qui eodem tempore in Refectorio postquam primus perlectus fuerit, sunt similiter legendi, non est hoc observandum quod de illo primo dicimus in Ecclesia primitùs inchoando.

Si autem (festo interveniente) differatur Historia: liber nihilominùs cum sua Præfatione legatur ad mensam, reincipiendus in Ecclesia cum Historia cantabitur.

Et sciendum quòd Responsorium de Historia quod intitulatur ad Vesperas: quamvis semel aut iterùm festo interveniente differatur, ubi priùs Sabbatum vacuum invenerit dicetur, nisi fortè ipsa Historia vel in Dominica vel per septimanam jam decantata fuerit.

CAPVT XLII.

De Antiphonis in Sabbatis dicendis.

ANTIPHONÆ veterum librorum & Epiſtolarum Pauli quæ ad Magnificat dicuntur, id eſt *Loquere Domine, Cognoverunt omnes,* & *Hæc autem ſcripta ſunt,* & *Fratres confortamini*, & conſimiles, Sabbatis quibus intitulatæ ſunt, vel ad Magnificat, vel in commemoratione dicantur. Si quæ ſuperfuerint, eo anno dimittantur. Si quæ defuerint, ultimæ repetantur. Quotieſcumque autem aliqua Dominicalis Miſſa, quæ in ſua Dominica dici non poteſt, aliquo privato die ſolvitur: Antiphonæ de eodem Officio ad Magnificat & ad Benedictus intitulatæ eodem die dicantur, ſi tamen in ſua Dominica dici non poſſunt. Quod ante Adventum & Septuageſimam propter brevitatem temporis aliquando contingit.

Notandum tamen quòd quando pro brevitate temporis Sabbato ante Septuageſimam dicetur ad Benedictus Antiphona, *Domine nonne bonum ſemen*: ad Veſperas eiuſdem diei intermittatur Antiphona, *Colligite primùm Zizania*. Similiter fiet de Antiphonis *Nuptiæ factæ ſunt,* & *Deficiente vino,* quando Septuageſima decimo Kalendas Februarii evenerit. Cæteræ omnes Antiphonæ Dominicales, ad Benedictus & ad Magnificat intitulatæ cum ſuis Collectis, cum in ſua Dominica aliqua duodecim Lectionum ſolemnitas celebrabitur: poſt Benedicamus Domino de Laudibus & Veſperis ob Commemorationem Dominici diei dicantur. In illo tamen Sabbato non dicentur quando in craſtino nihil agetur de Dominica: quod ante Adventum contingit, cum unum Dominicale Officium duas tenet hebdomadas: tunc enim Antiphonæ illius Officii ſecundâ non repetentur Dominicâ, ſi in ea duodecim Lectionum ſolemnitas celebratur.

CAPUT XLIII.

De Festis Sanctorum quæ Dominicis diebus vel in Ascensione Domini evenerint.

FESTIVITATES Sanctorum in quibus non laboramus, si in octavo die Paschæ vel die Ascensionis vel in Septuagesima; vel in Dominica in qua aliqua Historia incipienda est quæ sequentem Dominicam non habuerit, evenerint: in crastinum celebrabuntur. Purificatio tamen beatæ Mariæ nunquam differatur. Et si illa Historia duas Dominicas vel plures habuerit, & illæ Dominicæ festivitates fortasse præcipuas habuerint, Historia dicatur in illa festivitate, quæ minoris videtur auctoritatis, & festivitas in crastino dicatur.

Minores autem festivitates, in quibus duodecim Lectiones habemus & operamur: in tali necessitate intermittantur, & commemoratio ad Vesperas & ad Laudes ac Missa matutinalis fiat de Sanctis & iterùm commemoratio ad Vesperas illius diei. Missa tamen matutinalis non erit de sancto *Ambrosio*, si Dominicâ in Palmis vel octavo die Paschæ evenerit, sed Collecta dicetur de eo. Ubi verò supradicta necessitas non intervenerit, minores festivitates non omittantur nec differantur: sed suo die celebrentur, etiamsi quælibet Historia incipienda est, quæ aliam habeat Dominicam in qua cantari possit, excepto si in Dominica Septuagesimæ hujusmodi evenerit festum.

CAPUT XLIV.

De Festis Sanctorum quæ evenerint Sabbatis.

IN Sabbatis Adventus Domini, & Septuagesimæ, Quinquagesimæ & Quadragesimæ si festum fuerit, Vesperæ de Dominica dicantur, & fiat de Sancto commemoratio. Si festum Purificationis & Annunciationis beatæ Mariæ, & festum sancti *Benedicti* & Dedica-

tionis Eccleſiæ, & aliquod feſtum in quo non laboramus Sabbato infra octavam Paſchæ evenerit: excipiantur ab iſta lege, & habeant feſta iſta plenariè Veſperas ſuas, & commemoratio fiat de Dominica. In Sabbatis cæteris habeant omnia feſta plenariè Veſperas ſuas, niſi ſupervenerint aliæ ſolemnitates quæ eis debeant anteferri. Et notandum, quia feſtum ſancti *Mathiæ* (quod ſecundo die Biſexti ſemper debet agi) ſi in aliquo Sabbato præter Sabbatum quod præcedit Sexageſimam eo anno quo contingit Biſextus evenerit: in ipſo Sabbato, hoc eſt prima die Biſexti agetur.

CAPVT XLV.

De Vigiliis Sanctorum.

CVM Vigilia Aſſumptionis beatæ Mariæ die Dominica evenerit, Miſſa matutinalis de Dominica, & Major de Vigilia erit. Nam in Vigilia ſancti *Ioannis Baptiſtæ*, ſive Apoſtolorum *Petri* & *Pauli* ſeu aliorum Apoſtolorum, vel ſancti *Laurentii* aut *omnium Sanctorum*, ſi Dominica fuerit: Miſſa matutinalis de Vigilia erit, Major de Dominica. In Vigilia *omnium Sanctorum*, prima Collecta erit de ipſa Vigilia ſcilicet, *Domine Deus noſter multiplica.* Secunda de Dominica, ſi Dominica fuerit. Tertia de ſancto *Quintino.* Si non fuerit Dominica, ſecunda de ſancto *Quintino:* Tertia, *Omnipotens ſempiterne Deus, qui vivorum.*

CAPVT XLVI.

De Octavis Domini & Sanctorum.

PER octavas Apparitionis, Aſcenſionis Domini, & Aſſumptionis beatæ Mariæ, quotidie celebretur Miſſa de octavis, niſi interveniat feſtum alicujus Sancti, quod habeat in Graduali Officium deſignatum, vel aliquo die aliqua Dominicalis Miſſa, quæ in ſua Dominica dici non potuit, dicenda evenerit, vel ſolemnitas duo-

decim Lectionum quæ id impedire debeat, evenerit: vel præſens Defunctus fuerit, aut Miſſa pro Defunctis more ſolito in Conventu dicenda occurrerit: ſive talis commemoratio Defunctorum quam ſolemnem agimus intervenerit.

Et notandum ſi Inventio *ſanctæ Crucis* Dominicâ infra octavam, Aſcenſionis evenerit: ad Laudes dicto, *Benedicamus Domino*, fiat primitùs commemoratio de Martyribus, deinde de Dominica, poſt de Aſcenſione Domini. Miſſa matutinalis erit de Martyribus: poſt quorum Collectam dicetur Collecta de *ſancta Cruce*: deinde de Dominica, poſt de Aſcenſione. Ipſa verò Miſſa Dominicalis, id eſt *Exaudi Domine vocem*, differatur. Dominicâ infra octavas Aſſumptionis & Nativitatis beatæ Mariæ & Aſcenſionis Domini totum ſicut in libris ordinatum eſt, tam per diem quàm per noctem de octavis dicatur.

Miſſa in feſtivitate S. *Bern.* dicenda, à Summo Pontifice Innocent. III. compoſita & à Cap. Generali anni D. 1202. toti Ordini imperata eſt.

Veruntamen ſi in hac Dominica feſtivitas beati *Bernardi* evenerit: totum de feſto fiet, præter Miſſam matutinalem, quæ de octava erit. Dominicalis verò Miſſa differetur in ſeptimana dicenda. Sabbato tamen ad Veſperas & die Dominico ad Laudes & ad Veſperas poſt commemorationem de octava, fiet commemoratio de Dominica. Cum autem in octava *ſancti Laurentii* hæc ipſa Dominica evenerit: totum de Dominica dicatur, & ad Laudes fiat inprimis commemoratio de octava, deinde de ſancto *Laurentio*, poſt de ſancto *Mammete*. Miſſa matutinalis erit de Dominica: poſt cujus Collectam Collecta de octava dicetur, deinde de ſancto *Laurentio*: poſt de ſancto *Mammete*. Major Miſſa erit de octava.

Infra octavam Nativitatis ſancti *Ioannis Baptiſtæ*: prima die poſt ſolemnitatem, de ipſa Nativitate Miſſa in Conventu canatur, niſi præſens Defunctus prohibuerit, ſeu fortè Dominicalis Miſſa, quæ ſuâ Dominicâ dici non potuit, ſolvenda tunc fuerit. Et cum aliquid horum ea die de ſancto *Ioanne* Miſſam cantari impedierit: quarta die ab ipſa Nativitate Miſſa de ſancto *Ioanne* cantetur, niſi fortè & hoc ipſum aliqua de prædictis cauſis impediat. Si verò prima die poſt ſolemnitatem de ipſa Nativitate Miſſa in Conventu dicta fuerit, quarta die ab ipſa Nativi-

Nativitate, Miſſa in Conventu pro Defunctis dicatur: niſi fortè in eadem ſeptimana ante ipſam Nativitatem dicta fuerit, vel fortè ipſa quarta die, dies fuerit Dominicus. Quod ſi in eadem ſeptimana ante ipſam Nativitatem dicta fuerit, Miſſa iterùm de ſancto *Ioanne* in ipſa quarta die dicatur: niſi fortè in ipſa feria ſecunda evenerit. Quod ſi feria ſecunda fuerit, Miſſa pro Defunctis dicatur. Quæ tamen non cantetur, niſi prius de octavis ſemel cantatum fuerit.

Infra verò octavas Apoſtolorum *Petri* & *Pauli* quinta vel ſeptima die ab eorundem ſolemnitate ſimiliter obſervetur: ut Miſſa de eiſdem Apoſtolis cantetur, niſi fortè aliqua de prædictis cauſis illud prohibeat. Reliquis verò diebus à Nativitate beati *Ioannis Baptiſtæ* uſque ad octavam diem Apoſtolorum Petri & Pauli, Miſſæ de Sanctis qui in Kalendario ſcripti ſunt cantantur. Notandum ſanè in his octavis, quia in commemoratione ſancti Pauli dicto *Benedicamus Domino*, ad Laudes fit in primis commemoratio de ſancto *Ioanne Baptiſta*, de ſancto *Petro* & ad Miſſam in eadem die. Similiter commemoratio de ſancto *Stephano*, & beato *Ioanne Evangeliſta*, & ſanctis *Innocentibus*, atque de ſancto *Andrea* Apoſtolo quotidie ad Laudes & ad Veſperas & ad Miſſam per octavas ſuas agatur, & Miſſa in octava die de eis celebretur. De octavis ſanctæ *Agnetis* Virginis, & ſancti *Laurentii* Martyris, nil aliud agatur niſi tantùm in octavo die commemoratio ad Veſperas & ad Laudes: & Miſſa quæ ea die proprietatem habet, de his perſolvatur.

Sanctorum commemorationes, ſcilicet *Joannis* & *Pauli*, & *Leonis* Papæ, necnon & cæterorum Sanctorum quæ per octavam ſancti *Ioannis Baptiſtæ*, ſeu Apoſtolorum *Petri* & *Pauli* ſive *Andreæ* Apoſtoli plerumque eveniunt: ſemper debent pronunciari in primo loco poſt Veſperas regulares, deinde verò ſequentur commemorationes aliæ, quæ pertinent ad iſtas prædictas Sanctorum octavas. Sanctorum *Cæſarii* atque *Benigni* commemoratio non ad Veſperas neque ad Laudes, ſed tantùm ad Miſſam matutinalem fiat.

Quando tres Antiphonæ tantùm habentur ſuper Pſalmos in Vigiliis, & occurrent Pſalmi qui dividuntur in

quarto loco, ut *Noli æmulari*, & *Attendite popule meus:* sub secunda Antiphona dicantur tertius Psalmus & quartus totus. Porrò quintus solus, id est *Domine ne*, & similiter *Deus venerunt gentes*, sub tertia Antiphona.

CAPVT XLVII.

De Purificatione sanctæ Mariæ.

IN Purificatione sanctæ Mariæ post Tertiam Abbas benedicat Candelas jam antea à Secretario delatas, posteà verò aquâ benedictâ aspergat. Cantor itaque cum Abbati Candelam accensam obtulerit, imponat Antiphonam *Lumen ad revelationem*, cui etiam subjungat versum *Nunc dimittis* ut in libris invenitur. Interim Secretarius suo adjutus solatio & quibus à Priore jussum fuerit, reliquas Candelas Monachis & Novitiis, ac Conversis Laïcis, familiæ etiam atque hospitibus si affuerint, distribuat.

Deinde fiat Processio per Claustrum, ad quam Diaconus Crucem, Subdiaconusque aquam benedictam bajulent: & sicut in Processione Palmarum prænotavimus, ita & in hac Processione in eundo & in stando se habeant. Porrò Cantor ad exitum Processionis, Antiphonam *Ave gratia plena* imponat. Quâ finitâ sequatur alia Antiphonà, *Adorna Thalamum tuum*; post quam subrogetur Antiphona *Responsum accepit Simeon*, & fiant tres stationes, per unamquamque scilicet Antiphonam una statio. Ad introitum verò Ecclesiæ Abbas incipiat Antiphonam *Hodie beata Virgo*. Et omnibus introgressis & prædictâ Antiphonâ finitâ, Missa solemniter celebretur.

Igitur postquam Diaconus Evangelium legerit, & Abbati munus Deo sacrandum obtulerit, ipseque Diaconus idem munus more solito super Altare ordinaverit: Abbas Candelam suam reddat Sacristæ, & Diaconus Abbati suam offerat, & posteà Subdiaconus. Deinde veniat Abbas ad gradum Presbyterii, & cæteri offerant Candelas suas à prioribus incipientes manum Abbatis

vel Sacerdotis (si Abbas defuerit) osculando. Quas Candelas Sacrista & solatium ejus à manu Abbatis suscipientes extinguant. Deinde Abbas ad Altare revertens, thurisicet illud & manus abluat. Si verò die Dominica festum Purificationis sanctæ Mariæ evenerit, more solito ante Tertiam Abbas Exorcismum faciat aquæ, & post Tertiam fiat Processio.

CAPVT XLVIII.

De Canticis.

CANTICA de Nativitate Domini, scilicet *Populus qui ambulabat in tenebris* in die Nativitatis Domini, Circuncisionis, Theophaniæ, & octavo die ipsius Theophaniæ, omnibus etiam Dominicis diebus infra istos dies, nisi in ipsa Dominica festum alicujus Sancti duodecim Lectionum agatur, & in Purificatione sanctæ Mariæ dicantur. Cantica verò de Pascha scilicet, *Quis est iste qui venit de Edon* dicantur omnibus diebus Dominicis à Pascha usque ad Pentecosten, nisi aliud festum celebretur, & die Ascensionis Domini, & octavo die ipsius, & die Pentecostes.

In Dedicatione Ecclesiæ dicantur cantica, scilicet *Lætatus sum*, & *Nisi Dominus*, & *Lauda Hierusalem.* In Inventione sanctæ Crucis & Exaltatione, *Domine audivi, Gloria Patri: Pro iniquitate, Gloria Patri: Egressus es in salutem.* In Annuntiatione & Assumptione & Nativitate, & Dominica infra octavam Assumptionis beatæ Mariæ, & in octava diei ejusdem, necnon in natali unius Virginis, *Audite me divini fructus.* In festivitate sancti *Michaëlis* Archangeli, *Domine miserere nostri*, & in omnibus Dominicis diebus, exceptis illis quos suprà diximus. In Nativitate & Decollatione sancti *Ioannis Baptistæ*, & in natali unius Martyris & unius Confessoris, *Beatus vir cui in sapientia.* In natali Apostolorum & Evangelistarum & plurimorum Martyrum, *Vos sancti Domini.*

CAPVT XLIX.

De feſtis in quibus laboramus.

DIES feſti duodecim Lectionum in quibus laboramus, hi ſunt feſtum ſancti *Silveſtri* : octava *Epiphaniæ* : feſtum ſanctorum *Fabiani* & *Sebaſtiani* : *Agnetis* Virginis & Martyris : feſtum ſanctæ *Agathæ* Martyris : Cathedra ſancti *Petri* : *Thomæ* Confeſſoris : octava *Aſcenſionis* : *Ioannis & Pauli* : Commemoratio *ſancti Pauli* : octavæ ſancti *Ioannis Baptiſtæ*, & Apoſtolorum *Petri* & *Pauli* : Inventio ſancti *Stephani* : *Dominici* Confeſſoris : octavæ ſanctæ *Mariæ* : *Mauricii* cum ſociis ſuis : *Remigii* Epiſcopi : *Cæciliæ* Virginis : *Clementis* Papæ : *Luciæ* Virginis.

In antiquis Vſibus præter hos dies numerabantur & iſti, Sanctorum ſcilicet *Greg.* Papæ, *Ambroſii* Epiſcopi, *Petri* Epiſcopi, *Auguſt.* Epiſcopi, *Ieronymi* Preſbyteri & S. *Catharinæ* Virginis & Martyris; ſublati ſunt autem ex hoc Capitulo, cum in illis duæ Miſſæ Conventuales celebrari cœperunt: & ideo ſublati, quia ſecundùm hos Vſus his feſtis duarum Miſſarum Monachi Lectioni & Orationi, non autem operi manuum vacabant.

CAPVT L.

Quibus temporibus, & quo ordine celebrandum eſt Officium Defunctorum.

OFFICIVM Defunctorum quotidie agitur, exceptis diebus duodecim Lectionum, & uno die infra octavas Nativitatis Dominicæ, & tribus diebus ante Paſcha, & tota ſeptimana Paſchæ & Pentecoſtes. A Kalendis igitur Novembris uſque ad primam Dominicam Quadrageſimæ in intervallo quod ſequitur Vigilias, privatis diebus agatur Officium pro Defunctis.

In quo Officio dum frater Hebdomadarius incipiet Antiphonam ſtando contra alterum Chorum, reſideant Fratres in ſedibus ſuis, & ipſe Hebdomadarius inceptâ Antiphonâ, poſtquam inclinaverit verſus Altare reſideat. Cæteras verò Antiphonas incipiant fratres alternatim ſicut ad Veſperas regulares, ſtantes & inclinantes ſicut

Hebdomadarius fecit. Qui Hebdomadarius dicturus verſiculum poſt Pſalmos ſurgat, & ſtans contra Altare dicat verſiculum. Quo dicto inclinet ſe & ſedeat iterùm dum *Pater noſter* dicitur. Poſteà ſurgens & levans ſedem, & inclinans ad Altare incipiat Lectionem. Quâ finitâ iterùm inclinet. Similiter inclinet ad finem ſingularum lectionum & ſingulorum verſuum. Et verſu tertii Reſponſorii dicto reſideat. Finito *Laudate Dominum de cælis*, dum Fratres dixerint *Requiem æternam*, ſurgant. Similiter faciant ad Veſperas poſt *Confitebor*, dicentes *Requiem æternam.* Quem verſum, id eſt *Requiem æternam*, ſemper dicat ſolus ille Chorus cui competit. Dictâ autem Antiphonâ poſt *Laudate Dominum de cælis*, Hebdomadarius incipiat *Ego ſum reſurrectio & vita*, &, *Benedictus* dicatur aliquantulum productiùs, & *Magnificat* ſimiliter ad Veſperas pro Defunctis.

Ergo Antiphonâ cantatâ poſt *Benedictus*, proſternant ſe Fratres ſuper formas, ſi tempus fuerit proſternendi: ſin autem, *reclinent ſe ſuper miſericordias*, & dicant *Pater noſter* ſub ſilentio. Deinde incipiat Hebdomadarius Sacerdos Pſalmum *De profundis*, qui ſemper dicatur ad Laudes pro Defunctis tam in æſtate quàm in hyeme, quem percurret uterque Chorus alternatim. Quo expleto & dicto *Requiem æternam* ſicut ad cæteros primos Pſalmos, dicat Sacerdos *A porta inferi*, & *Dominus vobiſcum*, & poſteà Collectas ordine conſueto. Quibus expletis, & *Dominus vobiſcum*, & *Requieſcant in pace*, reſpondeant omnes, *Amen*, antequàm ſurgant: & tunc ſurgentes & inclinantes ad Altare, diſcedant. Poſt Veſperas verò diei dicantur Veſperæ pro Defunctis & Pſalmus *Lauda anima mea Dominum*, ante Collectas à Sacerdote Hebdomadario inceptas.

Reclinent ſe ſuper miſericordias ſcilicet aſſidendo ſedilibus ſuis, cucullarum manicis ſuper genua decuſſatis.

A prima Dominica Quadrageſimæ uſque ad feſtivitatem *omnium Sanctorum* celebretur Officium Defunctorum poſt Veſperas diei: ita ſcilicet ut priùs dicantur Veſperæ pro ipſis Defunctis, & deinde ſubſequatur Vigilia. Et dicto tertio Reſponſorio, dicat Hebdomadarius *Audivi vocem de cælo dicentem*, habens faciem ad alterum Chorum: nec inclinet ante vel poſt. Et reſponſo à Conventu, *Beati mortui qui in Domino moriuntur*, proſter-

nantur aut resideant sicut superiùs dictum est. Circa verò finem vigiliæ, scilicet post *Pater noster*, dicatur Psalmus *Lauda anima mea Dominum*, quem incipiat Hebdomadarius Sacerdos. Laudes verò ipsorum Defunctorum peragantur in crastino, inter Matutinas Laudes, & Primam.

Quod totum Officium Defunctorum eo ordine dicatur in æstate, quo ordinavimus in hyeme. Quod Officium tali ordine celebratur in Hebdomada, ut secundâ feriâ dicantur tres Psalmi, id est, *Verba mea*, & cæteri nisi in præcedenti Dominica dicti fuerint: & tres primæ Lectiones, id est *Parce mihi Domine*, & cæteræ. Tertiâ autem feriâ tres medii Psalmi, id est *Dominus regit me*, & cæteri cum lectionibus, id est *Responde mihi*, & cæteris. Quartâ feriâ tres ultimi Psalmi, id est *Expectans expectavi*, & cæteri cum lectionibus, id est *Spiritus meus attenuabitur*, & cæteris: & sic repetantur per singulos dies si necesse fuerit.

Quòd si aliqua festivitas duodecim Lectionum occupaverit secundam feriam, in ea quæ vacua successerit festivitati, iidem primi Psalmi dicantur: Si autem postquàm dicti fuerint iidem Psalmi primi, alia festivitas duodecim Lectionum intervenerit, non mutetur ordo, sed eâ feriâ quæ expedita sequetur, dicantur tres medii Psalmi, & alia die tres ultimi: in sequenti verò repetantur à capite.

CAPUT LI.

Quo ordine dicantur Collectæ pro Defunctis.

OMNIPOTENS *sempiterne Deus cui nunquam* pro fratribus Congregationis, necnon pro patribus, matribus, sororibus, & familiaribus nostris dicatur priùs: deinde *Fidelium Deus omnium*. Quæ duæ dicantur assiduè tam ad Vesperas quàm ad Laudes sive ad Vigiliam Vesperis conjunctam. In Tricenario quod fit post Generale Capitulum præponatur *Deus veniæ largitor*, & ad Missam pro Defunctis in Conventu nisi præsens Defunctus fuerit. Si alio tempore Tricenarium aliud agimus, *Deus*

cui proprium: Si præſens defunctus fuerit, in primo loco ſemper dicatur *Inclina* ſingulariter, exceptis præcipuis Officiis Defunctorum, in quibus poſt primam Collectam hæc ſola ſequi debet.

Ad Miſſam verò tantùm duæ, ſcilicet *Omnipotens ſempiterne Deus cui nunquam ſine ſpe,* & *Omnipotens ſempiterne Deus qui vivorum.* Si præſens Defunctus fuerit & Miſſa pro eo dicatur, dicetur Collecta *Inclina Domine,* & *Omnipotens ſempiterne Deus qui vivorum,* niſi fuerit ſolemne Tricenarium, in quo interponitur, *Deus veniæ largitor.* Si pro eo Miſſa celebrari non poteſt, dicetur tamen ipſa Collecta. Si autem præſens Defunctus Epiſcopus fuerit, *Deus qui inter Apoſtolicos,* die tantùm ſepulturæ ejus dicetur.

Ad Miſſam quotidianam pro omnibus fratribus & familiaribus Ordinis noſtri defunctis dicetur Collecta *Inclina Domine:* ſi Defunctus præſens fuerit, dicatur pro eo ſecunda *Omnipotens ſempiterne Deus cui nunquam* ſingulariter. Deinde ſi Tricenarium agimus, dicetur *Deus cui proprium eſt,* vel *Deus veniæ largitor* ſi fuerit ſolemne Tricenarium. Ad Miſſam enim in Conventu nullum Tricenarium agimus niſi illud ſolemne quod fit poſt Generale Capitulum. Sciendum quia in tribus Miſſis quas pro quolibet Defuncto debemus, dicitur Collecta *Inclina Domine* ſingulariter, niſi in Capitulo pluraliter dici præcipiatur.

CAPVT LII.

De Officiis Defunctorum præcipuis.

IN commemoratione omnium fidelium Defunctorum, & in commemoratione parentum noſtrorum, fratrum & ſororum omniumque conſanguineorum & benefactorum noſtrorum, eo quoque die quo poſt annuum Capitulum ſolemnem facimus memoriam omnium Monachorum, Novitiorum, Converſorum & Familiarium noſtri Ordinis præterito anno defunctorum: ſed & in Anniverſario omnium Defunctorum Ordinis noſtri Epiſcoporum

& Abbatum, quod fit quarto idus Ianuarii, solemne facimus Officium cum Vesperis, Vigiliis & Laudibus, & Psalmi stando cantantur & aliquanto morosiùs, tam ad Vesperas quàm ad Vigilias & ad Laudes.

Dicto autem versu ante Lectiones ab Hebdomadario, resideant super misericordias dicentes *Pater noster*, sub silentio, deinde incepta lectione resideant super sedes usque ad tertiam repetitionem *Libera me Domine de morte:* quod Responsorium debet Cantor stando incipere. Quo incepto statim inclinet, & subsequentes Versus cantet, post ultimum tantùm inclinans. Quibus Officiis & Missis debent interesse omnes Monachi qui Conventum tenent, nisi grauis causa eos prohibuerit.


Ad Officium omnium Defunctorum & ad Missam *Fidelium Deus* tantummodò dicitur, nisi præsens Defunctus fuerit. In commemoratione autem parentum nostrorum, *Deus cui proprium* tantùm: Et in Anniversario Episcoporum & Abbatum, *Præsta Domine quæsumus* tantùm: In solemni Tricenario, quod fit post Generale Capitulum, Prima *Deus veniæ largitor*, Secunda, *Præsta Domine quæsumus* Pro *Rege Francorum:* ad Officia & ad Missam dicantur tantum, nisi præsens Defunctus fuerit. In Anniversario Episcoporum & Abbatum qui privatim cantare pro eis noluerit, Collectam dicat.

Pro Rege scilicet Philippo Francorum Augusto, cujus hîc memoria antiquis Vsibus addita est jussu Cap. Gen. an. 1223.

Ad istas igitur Missas cantantur Responsorium, *Si ambulem*, & Responsorium *Absolve*, communiter ab utroque Choro in Conventu. Qui verò privatim cantat Responsorium *Requiem æternam*, & tractum *De profundis*, dicat, quòd si quilibet horum dierum in secunda feria, sive in crastina die alicujus festivitatis duodecim Lectionum evenerit: post Vesperas regulares Vesperæ Defunctorum agentur.



SECVN-



SECVNDA PARS.

DE CÆREMONIIS
TAM IN HORIS CANONICIS QVAM IN MISSARVM CELEBRATIONE OBSERVANDIS.

CAPVT LIII.

Quomodo se agant Sacerdos & Ministri ad Missas festivas.



IN duodecim Lectionibus Sacerdos induat se ad celebrandam Missam cum Diacono & Subdiacono, quos adjuvent ad induendum præteritæ septimanæ Hebdomadarii. Quibus indutis Diaconus & Subdiaconus cum manipulis eant præparare Altare: petentes veniam ad gradum Altaris, & ponentes *Textum* super analogium, & Missale super Altare in dextro cornu. In sinistro verò ponant tersorium sub palla, cui benedicta superponitur. Quatuor enim pallæ absque sudario super Altare poni debent. Posteà præparent ministerium quod est juxta Altare in quo ministratur, ponentes Calicem desuper cum corporali & offertorio, & sedes in quibus sedent Sacerdos & ipsi ministri, & piscinam. Ad Tertiam ambo maneant in Presbyterio cum Sacerdote ubi eis & sedere ad Psalmos liceat. Finitâ Tertiâ exeant, & unus ministrorum qui adjuverunt eos ad induendum pulset signum, & accendat duas candelas quæ solent ardere juxta Altare hinc & inde, & absconsam cum lumine super Altare si necesse fuerit præparet. Alter verò deserviat Sacerdoti in induenda casula. Posteà infundat ei aquam in manibus. Diaconus verò sumat stolam & aspergat manus aquâ datâ sibi à ministro, & Sub-

CAP. I.

Per Textum intellige librum Evangeliorum.

diaconus similiter. Quas tergant Sacerdos & Diaconus ad tersorium sibi deputatum : Subdiaconus verò ad alterum.

Et pulsato signo à ministro exeant de vestiario & ordinentur ante Altare quod est in prima statione, habentes vultum ad ingressum Chori; ita ut Subdiaconus prior sit, & Diaconus posterior, & Sacerdos novissimus, & sic maneant usque ad *Gloria Patri*. Et cum inde se moverint, inclinent ante ipsum Altare. Deinde ingredientes inclinent rursus ad gradum Presbyterii, & sic ascendentes, divertat Diaconus ad dexteram, & Subdiaconus ad sinistram. Sacerdos verò inter illos transeat ad Altare, & dum transit inclinent ei. Tunc Sacerdos incurvus ante medium Altaris faciat orationem, & Diaconus similiter retrò ipsum, & Subdiaconus post Diaconum. Quâ completâ erigant se. Deinde Sacerdos osculato Altari signet se. Diaconus verò signans se inclinet, & pergat osculari sinistrum cornu Altaris. Quo osculato, inclinet & eat in dexteram partem, stans sub gradu Altaris paululum remotus à pariete: & Subdiaconus retrò ipsum.

Sacerdos autem descendens sub gradu Altaris inclinet circa medium Altaris ad dicendam confessionem; Diacono existente ad dexteram, Subdiacono ad sinistram, & dicant invicem confessionem, Sacerdote incipiente. Ministri vocent Sacerdotem *patrem*, & Sacerdos eos *fratres*, licet sit ordine junior, quod aliàs non fiat. Quâ dictâ erigant se, & sic accedat Sacerdos ad librum qui est super dextrum cornu Altaris. Quam confessionem si eâ horâ complere non potuerint, dicant posteà cum eis vacuum fuerit. Diaconus verò si spatium habuerit antequam Sacerdos dicat *Dominus vobiscum*, ponat corporale super Altare, & liniens Calicem intùs aquâ, ministret panem super patenam & vinum in Calice, Subdiacono ei subministrante.

Et notandum quia sive Diaconus, sive Subdiaconus sit qui ministrat, priùs vinum infundat, deinde ampullam cum aqua Sacerdoti tradat quando eum viderit magis expeditum, & Sacerdos aquam in Calicem fundat: deinde positâ patenâ super Calicem, cooperiat eam de offertorio : posteà descendat sub gradu Altaris in dextera

parte. Quòd ſi Sacerdos dum Diaconus miniſtraverit dixerit *Gloria in excelſis Deo*, vel *Dominus vobiſcum*, intermittens miniſtrare eat poſt Sacerdotem : quòd ſi *Gloria in excelſis Deo* dicitur, dicto illo breviter inclinet & ſic revertatur miniſtrare. Poſt *Dominus vobiſcum*, trahat ei reverenter deorſum *medium caſulæ*: & tunc divertens in locum ſuum inclinet ſe, & Subdiaconus poſt eum. Quòd ſi reſtant aliæ Collectæ, redeant ad miniſtrandum quod reſtat. Quo completo, revertantur ubi priùs ſteterant, non tamen inclinantes, niſi ad primam Collectam : Si autem nulla Collecta ſuperfuerit, Subdiaconus deſcendat legere Epiſtolam ante gradum Preſbyterii contra medium Altaris, verſa facie ad ipſum Altare, inclinans priuſquam incipiat legere, & poſtquam legerit. Qui ſi fortè in ipſa Epiſtola erraverit, perlectâ Epiſtolâ ſatisfaciat ibidem : priùs tamen poſito libro ſuper formam, ponens manus ad terram ſub gradu ſuper albam ſine flexione genuum, tam feſtis diebus quàm privatis. Interim Sacerdos uſque ad Evangelium ſedere & in Miſſali legere poteſt, & Diaconus ad nutum ejus ſedere, & in textu legere ſi voluerit. Perlectâ Epiſtolâ Subdiaconus ſedeat juxta Diaconum, aut eat in Chorum cantare cum aliis ſi neceſſe fuerit : quòd ſi Sacerdos ſederit, & Diaconus prævidere Evangelium voluerit, ſuper analogium prævideat.

Medium caſulæ ſcilicet partem anteriorem.

Cum autem fuerit hora legendi Evangelium ſurgant, & Sacerdos redeat ad dextrum cornu Altaris ſuperponens Miſſale. Diaconus verò ponens textum ſuper analogium vertat ſe ad Abbatem, humiliter petens benedictionem ſub ſilentio dicens, *Domne jube benedicere*, ſive ad Sacerdotem ſi Abbas defuerit ; ad quem Sacerdos converſus, dicat hanc benedictionem : *Dominus ſit in corde & in ore tuo, ut dignè annuncies Evangelium Chriſti*. Quâ datâ reducat vultum ſuum ad Altare ſicut erat priùs, ita ſe habens uſque poſt *Gloria tibi Domine*. Quòd dum dicitur ſignet, & convertat faciem ſuam ad Evangelium ſtans cum tremore. Diaconus verò accepta benedictione vertat ſe ad librum. Qui cum dixerit, *Sequentia ſancti Evangelii*, ſignet ſe ſicut alii ſe ſignant quando dicitur *Gloria tibi Domine*. Perlecto autem Evangelio, ſi fortè errauerit in ipſo, vertat ſe ad orientem ſatisfaciens eo

modo quo Subdiaconus. Deinde inclinet se versus orientem. Posteà ferat librum apertum Sacerdoti ad osculandum, ostendens ei digito initium Evangelii quod legit: quem & ipsum osculetur post Sacerdotem, & clausum super analogium sub palla reponat. Sacerdos verò post finem Evangelii referens vultum ad Altare, ibidem incipiat *Dominus vobiscum*, vel *Credo in unum Deum.* Interim verò dum *Credo in unum Deum* dicitur à Conventu, stet in eodem loco donec illo cantato dicat *Dominus vobiscum*, & *Oremus.* Deinde sumens librum ponat ad sinistrum cornu. Diaconus autem post Evangelium displicet corporale habens tres plicatus in latum & quatuor in longum, medium latitudinis ponens in medio Altaris. Et statim post *Oremus*, opertis manibus de offertorio tenens sinistra manu pedem Calicis, dextra autem patenam offerat Sacerdoti simul utrumque, manum ejus semel osculans. Sacerdos simul utrumque assumens, deponat juxta corporale ad dexteram partem, relinquens ea Diacono præparanda, & posteà trahat se ad sinistrum Cornu Altaris, ibidem consistens donec recipiat thuribulum ad thurificandum Calicem. Diaconus verò posito offertorio super Altare, ponat Calicem super corporale in secundo plicatu anterioris, & sinistræ dextræque partis, & panem ante Calicem, revolvens super eum corporale. Quòd si plures hostiæ fuerint, unam separatim, alias insimul mittat: deinde reportet patenam & offertorium super ministerium. Interim dum hæc aguntur à Sacerdote & Diacono, unus ministrorum cujus Officium est, teneat thuribulum ante Abbatem vel ante Sacerdotem si Abbas deest, Subdiacono incensum tenente. Posito itaque incenso in thuribulo, qui thuribulum tenet offerat illud Sacerdoti osculans ei manum. Quod Sacerdos accipiens, thurificet Calicem isto modo. Semel volvat illud circa Calicem, semel thurificet dexteram partem Altaris desuper, semel & sinistram, semel quoque anteriorem. Quod dum fecerit, Diaconus ponat manum suam sub asella ipsius tenens ei casulam ut expeditiùs possit agere. Quo facto, reddat thuribulum Diacono. Deinde ablutis digitis aquâ, sibi à Subdiacono de ampulla datâ, & in pelvi ad hoc præparata receptâ, & tersis ad linteum ad hoc deputa-

tum, incurvus ante Altare faciat orationem. Diaconus autem thurificet priùs dexteram partem ipsius Altaris bis deforis: Deinde elevans manum thurificet bis crucem, & inde transiens per retro Altare ad sinistram partem thurificet eam, similiter & crucem. Deinde reddat thuribulum Subdiacono qui ponat illud ubi poni solet. Ipse autem retro redeat sub gradu Altaris in dextra parte, ut cum Sacerdos se verterit ad Chorum dicens *Orate fratres pro me*, trahat ei deorsum *medium casulæ*. Deinde supplicans ei secedat in locum suum, ubi stet donec Sacerdos dicat *Per omnia sæcula sæculorum*. Qui Sacerdos dicto *Orate fratres*, mediocriter, ut possit audiri, reducat vultum ad Altare eadem parte qua se vertit ad Chorum. Posteà trahat se ad librum qui est in sinistro cornu dicens sub silentio *Oremus*, ad primam Secretam & ad secundam si una vel plures sequuntur. Interim autem minister ille qui thuribulum obtulit Sacerdoti, deferat Diacono & Subdiacono aquam ad lavandum manus suas. Sacerdos verò provideat ne disjungat illos digitos quibus debet tractare Corpus Domini, postquàm eos aquâ abluerit, nisi dum fecerit cruces super hostiam & Calicem vel quando se signaverit.

Ut autem finierit Secretas, retrahat se contra medium Altaris dicens *Per omnia sæcula sæculorum*, sed non elevans manus usque ad *sursum corda*. Diaconus autem audiens *Per omnia sæcula sæculorum*, veniat post ipsum Sacerdotem *supplicans* ad Altare, & stet habens faciem ad Sacerdotem usque ad *Pater noster*. Subdiaconus eadem hora accipiat patenam offertorio coopertam, & veniat post Diaconum supplicans circa Altare. Deinde erigens se, supponat sinistram manum brachio dextro, ut levius ferat ipsam patenam. Qui Subdiaconus signet se ad *Sanctus* de ipsa patena. Diaconus similiter signet se, manens curvus dum ipse dixerit *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, breviter sub silentio. Finita verò Præfatione Sacerdos inclinet se ante Altare dicens *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, breviter: & signans se, mox incipiat *Te igitur clementissime Pater* usquequo dicat, *Vti accepta habeas*: & tunc se erigat percurrens Canonem sicut habetur in libro. Qui cum pervenerit ad *Qui pridie quàm pateretur* sumat hos-

✠ Ritus Patenæ

Supplicans id est inclinans.

tiam, & elevans ante Calicem paulò altiùs inter alios digitos quos ad hoc conservavit benedicat eam. Si verò plures fuerint, non deponens ipsam quam tenet simul omnes benedicat, & iterùm utraque manu eam teneat usquequo dicat, *Hoc est enim Corpus meum* : & tunc *remittet eam* in loco suo. Cum autem dixerit, *Simili modo postquàm cœnatum est*, accipiat Calicem stringens corporale cum Calice inter utramque manum, & sic elevet eum paululùm usque ad signum faciendum, & tunc deponat faciens signum crucis desuper. Quod postquàm fecerit elevet sicut superiùs donec dicat, *In mei memoriam facietis* : & tunc dimittat. Incipiens autem, *Supplices te rogamus omnipotens Deus* : incurvet se ante Altare donec dicat, *Ex hac Altaris participatione* : & tunc erigat se osculans labiùm Altaris ante Calicem signans se, post signatum Corpus & Sanguinem : quando videlicet dixerit, *Omni benedictione*. Et quando dixerit, *Nobis quoque peccatoribus*, tundat semel leviter pectus suum. Diaconus verò quando viderit eum secundò post incurvationem Calicem signare, scilicet quando dixerit, *Sanctificas*, accedat ad dexteram Sacerdotis. Et osculans priùs Altare, componat se honestè ad discooperiendum Calicem à dextera parte, dextera manu, Sacerdote tamen incipiente à sinistra parte, sinistra manu. Porrò ipse Diaconus sinistra manu posita sub brachio suo ad constringendam manicam albæ ne contingat corporale, supponat digitos dexteræ suæ digitis Sacerdotis ad tenendum Calicem dum Sacerdos tres Cruces fecerit super Calicem discoopertum dicens, *Per ipsum, & cum ipso, & in ipso* : & quartam ante oram ipsius Calicis dum dixerit, *Est tibi Deo*. Cum autem dixerit, *Omnis honor & gloria*, teneat utraque manu Corpus Domini super Calicem. Quo incipiente cunctis audientibus, *Per omnia sæcula sæculorum*, sublevent Calicem ipse & Diaconus parum usque post dictum, *Oremus* : tunc deponatur & iterùm cooperiatur ab utroque hinc & inde. Et sic Diaconus inclinans ante Aram, recedat ubi stabat. Et cum Sacerdos dixerit, *Panem nostrum quotidianum*, accedens Subdiaconus ad Diaconum offerat ei patenam discoopertam osculans ei manum. Posteà secedat paululùm versus parietem in dextera par-

In Capit. Gen. an. 1210. & an. 1212. jussi sunt Sacerdotes hostiam post consecrationem elevare & omnes adstantes *Veniam Petere* seu genuflectere Vide infra *cap.* 25. *dist.* 3. *lib. antiq. Institutionum.*

Ritus patenæ.

te. Diaconus autem acceptâ patenâ offerat eam Sacerdoti poſt *Sed libera nos à malo*, oſculans ei manum. Quâ oblatâ veniat in locum, ubi ſtetit ante Præfationem, reddens Offertorium Subdiacono. Subdiaconus verò recondat illud plicatum. Quo recondito, revertatur poſt Diaconum. Sacerdos autem accipiens patenam ponat eam ſub corporali. Quòd ſi talis Miſſa fuerit, in qua Conventus vadit ad pacem, ponat eam ſuper corporale. Et dicto *Libera nos quæſumus Domine*, priuſquam dicat *per eundem Dominum noſtrum*, ponat Corpus Domini ſuper patenam, amovens eam parumper in dextera parte Calicis: & dicendo, *Per eundem Dominum noſtrum*, frangat Corpus Domini ſuper Calicem in tres partes, & dicto, *Per omnia ſæcula ſæculorum*, faciat ad *Pax Domini* intra Calicem unam crucem: aliam ad *Sit ſemper*, tertiam ad *Vobiſcum*. Et poſtquam ter dixerit *Agnus Dei*, & dimiſerit in Calicem illam partem Dominici Corporis quam tenet in dextera manu dicens *Hæc ſacroſancta commixtio*, totam orationem ſub ſilentio: divertat os ſuum ad Diaconum oſculans illum, & Diaconus Subdiaconum ſibi invicem ſupplicando, & Subdiaconus ſimiliter alium, ſi pacem quæſierit eundo ad gradum. Sacerdos autem data pace Diacono, eam partem hoſtiæ de qua miniſtri communicandi ſunt, ſuper patenam ponat; quâ poſitâ dicat orationem *Domine Ieſu Chriſte*; quâ dictâ ſtatim ſumens Corpus Domini cum Calice utraque manu applicet ad ſe, & ſic percipiat Corpus Domini ſuper Calicem, deinde ſanguinem. Itaque depoſito Calice ſuper corporale non cooperto, vertat ſe ad dextrum cornu Altaris, & poſitâ ibi patenâ cum hoſtiis ſumat hoſtiam de vaſculo præparato à Diacono, quam ponat ſuper patenam: & unam vel plures, ubi neceſſe fuerit, ex illis quæ ibi ſunt recondat in illo vaſculo. Hoc autem fiat tantùm Dominicis diebus, & in Cœna Domini. Vaſculum autem illud ſuper Altare dimittatur uſque poſt Miſſam. Quo facto Sacerdos communicet Diaconum & Subdiaconum de tertia parte. Deinde de aliis hoſtiis cæteros qui communicaturi ſunt. Provideat autem quantùm poterit, ne aliqua pars Dominici Corporis remaneat.

Diaconus verò accedens ad communionem, non oſcu-

lans manum Sacerdotis, ſublevet albam ab anteriori parte, flectens genua juxta Altare, & reſupinato capite ſub manu Sacerdotis convenienter aperto ore percipiat Corpus Domini. Quo percepto ſurgat & ſupplicet: ſimiliter & Subdiaconus quod poſtquam fecerit ſumens *fiſtulam*, ſi tunc neceſſaria eſt, eat ad ſiniſtram per retro Altare. Quod ſi tunc neceſſaria non fuerit, ſequatur Diaconum. Qui Diaconus veniens ante Calicem inclinet & ad nutum Sacerdotis accipiat illum, ſumatque ſanguinem eadem parte Calicis qua & Sacerdos: nec tangat eam manu donec vino abluatur; quòd ſi unus vel duo tantùm poſt eum communicaturi ſunt, miniſtret eis ſanguinem eadem parte Calicis qua ipſe recepit, ita ut ipſe dextera manu Calicem tenens, ſiniſtram mento illorum ſupponat. Qui verò percepturi ſunt Diaconi vel Subdiaconi ſiniſtra manu pedem Calicis tenentes, ad os ſuum ſicut ſibi viderint expedire coaptent. Quòd ſi plures fuerint, Diaconus percepto ſanguine, ibidem ponat Calicem ſuper ſiniſtrum cornu Altaris, tenens illum, Subdiacono ſibi aſſiſtente, atque adjuvante hoc modo, ſcilicet ut dextram manum teneat expanſam juxta labium Calicis deforis: ſiniſtra verò teneat pedem ipſius Calicis; Diaconus autem teneat utraque manu in Calice fiſtulam à Subdiacono antea præparatam. Qui Subdiaconus percipiat ſanguinem cum fiſtula priuſquam ſe componat ad tenendum Calicem eo modo quo diximus. Dum autem fratres percipiunt ſanguinem, infundatur vinum in Calice à Diacono cum opus fuerit de ampulla à Subdiacono ante præparata juxta Altare. Si quid autem reſiduum fuerit de ipſo ſanguine, bibat illud cum Calice poſtquam fiſtulam reddiderit Subdiacono. Quam fiſtulam antequam reddat inquantùm potuerit ab utraque parte ſugendo à ſanguine Domini evacuet, & Calicem reddat Sacerdoti: non oſculans ei manum. Subdiaconus verò tenens fiſtulam contra faciem ſuam in tranſverſo, eat ad Sacerdotem per retro Altare miniſtrare ei vinum in Calice. Sacerdos autem antequam recipiat Calicem, ſi quæ hoſtiæ integræ ſuperfuerint communicatis, reponat in vaſculo. Qui recepto Calice reſpergat digitos ſuos in ipſo Calice: quem ponens ſuper Altare eat ad piſcinam abluere in ipſo digitos

Per *fiſtulam* id eſt per inſtrumentum Chriſti ſanguini ſumendo, in modum fiſtulæ præparatum.
Hæc porro ſub utraque ſpecie communio ſublata eſt quoad miniſtros Altaris & Laicos, tum per Concilia Eccleſiæ ut infra notabitur ad cap. 58. hujus libri tum per Cap. Generalia Ordinis, ut patet ex ſequenti deffinitione Capit. Gen. ann. 1261. quæ ſic habet. Cum ex perceptione Sanguinis Domini quem poſt ſanctam Communionē in Calice ſolent accipere perſonæ Ordinis pericula gravia jam evenerint & poſſint evenire in poſterùm graviora, ordinat Cap. Gen. quod Monachi Converſi & Moniales Ordinis, exceptis miniſtris Altaris, ad Calicem more ſolito non accedant. *Ex Capit. Gen. anni* 1261.

digitos aqua. Quibus terſis ad medium linteum ad hoc ipſi præparatum, redeat ad Altare ſumere vinum quod dimiſit in Calice. Quo ſumpto, iterùm aſpergat Calicem vino. Quo hauſto, ponat illum non reclinatum ſuper Altare juxta patenam. Similiter nec ad privatas Miſſas reclinetur. Ex hinc Subdiaconus tenens fiſtulam, adſiſtat Altari, habens faciem in patena uſque ad finem Collectæ. Interim Diaconus complicet corporale ſuper Altare, & vertens ad poſt communionem, referat Miſſale ad dextrum cornu Altaris.

Cum autem Sacerdos Collectam inceperit poſt *Dominus vobiſcum*, trahens ei caſulam incurvet ſe uſque ad *Per omnia ſæcula ſæculorum.* Tunc erigens ſe & dicto *Benedicamus Domino*, vel *Ite Miſſa eſt*, inclinet. Deinde iens ad Altare transferat inde Calicem & patenam ſuper miniſterium, ſumens ibi linguâ ſuâ ſi quid de Corpore Domini remanſerit ſuper patenam. Et poſteà accipiens fiſtulam abluat eam vino, & poſteà patenam; quod bibens infundat aliud vinum circumliniens ipſum Calicem intus, quod iterùm percipiat. Tertiò infundat vinum eo modo circumliniens, quod percipiat Subdiaconus. Et adhuc etiam alia vice infundat ſi neceſſe fuerit. Quibus lotis & deterſis ad linteum, quo Sacerdos paulò ante digitos ſuos deterſit, recondat ea & corporalia cum Calicibus. Finitâ Miſsâ Sacerdos incurvet ſe ante medium Altaris, faciens orationem ſolus ſine Diacono. Quâ factâ erigat ſe: & oſculans Altare ſignet ſe.

Quod ſi Dominicus dies fuerit, det *benedictionem lectori menſæ*, quæ in libro continetur Deinde inclinans recedat caſulâ demiſsâ, quam ante Miſſam tulit in brachiis ſublevatam ad Altare. Si Diaconus & Subdiaconus jam compleverint quæ complenda erant: præcedent eum eo ordine quo ad Altare venerunt ad introitum Miſſæ. Sacerdos autem exutus Sacerdotalibus indumentis veniat ad *gradum* ubi legitur Epiſtola, & petat veniam ſicut in feſtis diebus. Privatis verò diebus flectat genua mox recedens.

Vide Reg. S. Ben. cap. 38.

Ad *gradum* ſcilicet Preſbyterii.

Cæterùm Nota has ferè omnes cæremonias inoleviſſe & in earum locum Eccleſiæ Romanæ Ritus à Capitulis Generalibus Ordinis ſuffectos eſſe. Nimirum à Capitulis Generalibus annorum 1618. & 1628. *& ſubſequentibus.*

CAPVT LIV.

De Missis in quibus tantùm unus minister fuerit.

CAP. II. AD Missam si unus tantùm minister fuerit, Sacerdos indutus stolâ, & manipulo cum ministro eat præparare Altare. Quòd si minister Diaconus fuerit, officium Altaris compleat, quantùm ad se & ad Subdiaconum pertinet. Perlectâ tamen Epistolâ non egrediatur de Choro, sed ipsemet infundat sibi aquam de ampulla in pelvim, & tergat ad mapulam ad quam tergit Sacerdos ante Secretas. Qui priusquam communicatus sanguine de Calice sumpto ad sinistrum cornu secesserit : ille qui Sacerdotem adjuvit ad induendum, accedat cum fistula ante præparata, adjuuans eum in omnibus sicut Subdiaconus facere solet. Si autem Subdiaconus fuerit, eundo ad Altare præcedens Sacerdotem divertat ad dexteram supplicans Sacerdoti. Ad confessionem stet ad dexteram. Missale in dextro cornu Altaris, Textum in sinistro ponat, quod post Evangelium auferat. Post Epistolam manus lavet, ubi & Diaconus. Panem & vinum ministret, & patenam & Calicem offerat. Casulam trahat, pacem & communionem semper accipiat, exceptâ Missâ Defunctorum, in qua nec pacem sumere, nec communicare licet. Lecturus Epistolam ferat Epistolare in Ecclesiam antequam induatur, & post Missam inde referat. Sacerdos verò ad legendum Evangelium petat benedictionem ab Abbate, non tamen descendens de gradu Altaris. Perlecto Evangelio ibidem, dicat *Credo in unum Deum*, si dicendum fuerit. Et mox secedat ad dextrum cornu Altaris ibidem dicturus, *Dominus vobiscum*. Quando verò *Credo in unum Deum* non dicitur, ibi dicat *Dominus vobiscum*, ubi legit Evangelium.

Sciendum verò quod omnibus diebus quibus Conventus communicat, possunt ubi necesse fuerit, ad Missam matutinalem plures hostiæ consecrari, & super patenam communicaturis distribui, & tunc minister si fieri potest

Diaconus ſit, ille ſcilicet qui præcedenti Hebdomada Evangelio fuerat aſcriptus. Nam cæteris tam privatis quàm feſtivis diebus ad omnes Miſſas una tantum hoſtia conſecretur, cujus tertiam partem Sacerdos ſuper Calicem tenens communicaturis diſtribuat, & poſteà ſanguinem, eo modo quo Diaconum facere ſuperiùs diximus, niſi Diaconus affuerit. Et ſciendum quòd nunquam oſculatur manus Abbatis vel Sacerdotis niſi ad Miſſam, & hoc tantùm in locis ſuprà determinatis, & quando datur in Conventu Abbati Virga paſtoralis, & in Purificatione beatæ Mariæ ad oblationem Candelarum.

CAPVT LV.

Quo ordine benedicatur Aqua.

DOMINICO die pulſato ſigno ad Tertiam, ſervitor Eccleſiæ præparatâ formulâ ſuper gradum Preſbyterii, ponat ſal & aquam deſuper cum ſparſorio, & indutis miniſtris & Sacerdote, præparatoque Altari ſicut ſuprà diximus, iterùm pulſetur ſignum ad convocandum Conventum. Qui venientes ordinentur ſicut ad Miſſam. Quod ſemper faciant ad Tertiam cum mox ſequutura eſt Miſſa. Et dimiſſo ſigno ad ſonitum Prioris fiat oratio. Quâ completâ, accedat Sacerdos ante gradum Preſbyterii tenens collectaneum. Qui cum ibi advenerit inclinet ad Altare. Deinde benedicat ſal & aquam ſimiliter: ſicut in collectaneo habetur: tenens manum deſuper dum exorciſmum dixerit. Et miſſo in modum crucis ſale in aqua exorciſmoque perdicto, reddat librum Subdiacono, qui & auferat ſalinum, ponens illud ſeorſum ſuper gradum Preſbyterii. Cantore igitur imponente Antiphonam, ſumat Sacerdos ſparſorium, qui intingens in aqua aſcendat ad Altare inclinans ad gradum ipſius Altaris. Deinde aſpergat aquam ante ipſum Altare, & incipiens à dextra parte circumeat illud aſpergendo quouſque perveniat in anteriorem: ubi inclinans aſpergat Preſbyterium hinc & inde. Interim verò miniſter recipiat aquam in quolibet vaſe de urceolo in quo eſt Aqua benedicta, & habens

CAP. III.

Nota antiquitatem Vsus Aquæ Bened. non solùm in personas, sed in quælibet loca Monasteriorum.

ſparſorium aliud Clauſtrum aſpergat, & officinas ſcilicet Capitulum, Auditorium, Dormitorium & Dormitorii neceſſaria, Calefactorium, Refectorium, Coquinam, Cellarium. Rediens autem de officinis ſi quid ſupereſt ei de ipſa aqua, infundat in receptaculum quod eſt ad introitum Eccleſiæ ad hoc deputatum. Vas autem quod tenet & aſperſorium reponat in veſtiario. Sacerdos verò ſtans ſupra gradum Presbyterii aſpergat priùs Abbatem, poſteà ſeipſum, deinde miniſtros & cæteros accedentes à ſuperiori parte Chori inter formas & ſedilia, ſicut eâ horâ ſtant in Choro. Qui revertentes deorſum per medium Chorum aſcendat unuſquiſque ad locum ſuum: & Novitii qui ante formas conſiſtunt aſperſi aquâ revertentur ibidem. Qui verò extra Chorum vel in retro Chorum fuerint, tam Monachi quàm Novitii, veniant per ſuperiorem introitum Chori, & per medium Chorum revertantur. De Converſis verò unaquæque Eccleſia faciat ſecundùm poſitionem ipſius oratorii.

Finitâ Antiphonâ Sacerdos intermittens aſperſionis officium, verſus ad Altare dicat Collectam, *Exaudi nos*, in loco quo ſtat. Et inceptâ Tertiâ poſt *Gloria Patri*, ceptam ſubſequatur aſperſionem. Quæ ſi fortè ad *Gloria* primi Pſalmi nondum peracta fuerit, Presbyter ſtans in eodem loco uſque poſt *Gloria Patri* aſperſionem intermittat: quâ peractâ redeat in locum ſuum & ſedeat cum miniſtris. Deinde Secretarius portet aquam hoſpitibus & familiæ, & ponat inde in vas unde ſemper aquam accipere ſolent, deinde in vas Converſorum. Dictâ autem Tertiâ tam Dominicis diebus, quàm ſolemnitatibus quibus non laboramus omni tempore & feſtis quibus laboramus in æſtate, mox Cantor incipiat Introitum, etiam pulſante tunc tabula pro mortuo. Similiter faciat privatis diebus in æſtate, niſi fortè talis fuerit Miſſa, quæ pro præſenti Defuncto debeat intermitti.

CAPVT LVI.

Quomodo Conventus se agat ad Missas.

OMNIBUS diebus quibus duæ Missæ celebrandæ sunt, in secunda Missa *Kyrie eleison* incipiatur in illo Choro in quo est *Invitatorium*: in prima verò Missa inchoetur in altero. In Nativitate Domini ad Missam de nocte in Choro Invitatorii incipiatur. Quo finito, convertant se ad Altare. Si Sacerdos dixerit *Gloria in excelsis Deo*, dum Cantor incipit, *Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis* reducant vultus sicut erant. Cum autem dixerint *Adoramus te*, incurvent se, erigentes se ad *Glorificamus te*, & similiter inclinent ad *Suscipe deprecationem nostram*. Ad *Cum sancto Spiritu* verò signent se & convertantur ad Altare, & cum responderint *Et cum spiritu tuo*, post *Dominus vobiscum*, reclinent se super misericordias donec inchoetur Epistola. Et tunc surgentes stent usque ad Evangelium sicut stabant dum cantabant Introitum. Interim tamen ad majorem Missam permissum est sedere simul si voluerint. Ad Missam verò matutinalem post primum *Dominus vobiscum* usque ad Evangelium, sedeat qui voluerit, & post *Sanctus* usque ad finem Missæ, præter *Agnus Dei*. In omnibus præcipuis festivitatibus, sicuti & cæteris diebus, *Responsoria* & *Alleluia* cantantur communiter ab utroque Choro. In fine verò Responsoriorum & Versuum ad omnes Missas totum *neuma* dicatur propter dissonantias evitandas. Sciendum etiam quia quotiens unum solum *Alleluia*, sive dicatur Responsorium sive non, ad Missam dicitur: primum *neuma* de *Alleluia* intermittatur, sed post versum in repetitione idem *Alleluia* cum suo neumate integro cantatur. Cum verò duo vel plura *Alleluia* in una Missa dicuntur, cum suis neumatibus integrè sine repetitione canantur, excepto eo quod proximum est Evangelio, quia repetitur. Et notandum quòd in Vigilia Paschæ & Pentecostes, unum solum *Alleluia* dicitur sed non repetitur. CAP. IV.

Ad finem verò cantus ante Evangelium, reducant fratres facies suas ad Altare, & signent se cum dixerint

Gloria tibi Domine: quòd ſi *Credo in unum Deum* dicendum eſt, Cantore ſubjungente, *Patrem omnipotentem*, vertat ſe Chorus contra Chorum. Et cum venerint ad *Homo factus eſt*, petant veniam ſicut in feſtis diebus. Et cum dixerint *Adoratur*, inclinent ſe, erigentes ſe ad *Et conglorificatur.* Et cum dixerint *Et vitam futuri ſæculi*, reducant facies ad Altare. Cantore autem incipiente Offerendam, convertant ſe ſtantes ſicut ante erant. Quâ cantatâ vertant ſe iterùm ad Altare, donec dicat Sacerdos *Orate fratres*, & ſic redeant ſuper miſericordias uſque ad *Per omnia ſæcula ſæculorum.* Tunc autem ſurgant & verſis vultibus ad Altare * ſtent ita uſque ad *Sanctus.* Poſteà convertantur & inclinent ſe Chorus contra Chorum dicentes, *Sanctus, Sanctus, Sanctus;* & incipientes *Pleni ſunt cœli*, erigant ſe, & ſignent ſe cum dixerint *in nomine Domini:* & dicto extremo *Oſanna in excelſis*, verſis vultibus ad Altare ^ *ſtent ita* uſque ad *Per omnia ſæcula ſæculorum*, & tunc reclinent ſe ſuper miſericordias donec reſpondeant, *Et cum ſpiritu tuo* poſt *Pax Domini ſit ſemper.* Moxque ſurgentes, ſtent facie ad faciem uſque poſt primum *Agnus Dei.* Et tunc *petant veniam* unuſquiſque in loco ſuo *flectentes genua*, præter miniſtros Altaris: & factâ tantâ morâ ut dici poſſit unum *Pater noſter*, incipiat Cantor ſecundum *Agnus Dei.* Quòd ſi dies fuerit proſternendi, dicto *Sanctus*, incumbant ſuper formas quouſque reſpondeant, *Et cum ſpiritu tuo* poſt *Pax Domini.* Deinde faciant ſicut modò diximus.

^ *Stent ita* & hoc quia tunc temporis non elevabatur neque hoſtia neque Calix poſt Conſecrationem.

Petant veniam flectentes genua Hîc perpetuus Ordini Ciſtercienſis Vſus, ut ad recordationem & mentionem peccatorum proſternantur Monachi in ſignum pœnitentiæ & in ſpê Veniæ.

CAPVT LVII.

De Pace.

CAP. V.

Pacem. hæc pax ſive per inſtrumentum ſive per amplexum, ſemper tamen per oſculum communicaturis datur ut pa-

PACEM, niſi communicaturus, nemo accipiat, niſi fortè Prior cum neceſſe fuerit ut hoſpitibus porrigat, aut Subprior abſente Priore, aut qui Superior tunc fuerit ex omnibus in Choro, ſi uterque defuerit. Diebus verò Dominicis & Feſtis quibus ſolent ire Fratres ad communionem, prior illorum qui communicare volue-

rit, veniens ad gradum accipiat à Subdiacono pacem: quo redeunte ad Altare, qui communicaturi ſunt ordine ſuo accedant ad Priorem, ita ut Prior ſtet ad gradum ubi pacem accepit, quouſque qui poſt eum primus eſt pacem ab eo acceperit. Quâ datâ ſecedat in dextrum Chorum Novitiorum, relicto ad gradum cui dedit. Qui & ipſe ubi ſequenti pacem dederit, manente ibi ſimiliter cui dedit, cedat poſt priorem. Et iſtis interim facientibus ad invicem confeſſionem, cæteri ſequantur per ordinem, eo modo quo deſcriptum eſt de primis, pacem ab invicem accipientes, ordinatim poſt priorem ſeſe collocantes bini & bini alterutrum confitentes, vultus ſuos poſt confeſſionem ad Altare vertentes, nec ad ſua ſtalla uſque poſt perceptam communionem revertentes. Porrò noviſſimus Novitio dabit pacem occurrenti ſibi in medio Chori, qui portabit & Converſo cum ſe ad oſtium Chori oſtenderit. Deinde ordinans ſe ultimus cum penultimo confiteatur.

tet ex Rubricis Miſſalis & ex his capitibus.

CAPUT LVIII.

De Communione.

CAP. VI.

INTERIM qui primi ſunt, ordine ſuo accedant ad Communionem. Venientes verò ad gradum Altaris proximum, incumbant ſuper articulos manuum: aſcenſoque gradu, flexoque genu juxta cornu Altaris & ſuſceptâ Euchariſtiâ, cum ſe erexerint, inclinent, & ſic per retro Sacerdotem accedant *ad Calicem*, ubi iterùm inclinantes hauriant, & rurſus inclinent. Regredientibus ab Altari, Sacriſta ſtans in capite ſiniſtri Chori Novitiorum vinum propinet inclinans ſingulis, ſicut & ipſi inclinatur à ſingulis ante & poſt ſuſceptionem. Quòd non ſolùm hîc, ſed etiam ubique quoties vel dant vel ſuſcipiunt aliquid faciendum eſt. Quibus peractis inclinantes ad Altare aſcendant ad ſtalla ſua. Hic ordo de pace & communione ad utramque Miſſam tenebitur.

Ad Calicem hîc Vſus ſacramenti Euchariſtiæ ſub utraque ſpecie percipiendi, ſublatus eſt ab Eccleſia ſicut jam diximus, ut videre eſt *in Concilio Conſtant. ſeſſ.* 13. *In Conc. Baſil. ſeſſ.* 30. *&* *in Conc. Trid. ſeſſ.* 5. *ſub Pio IV. can.* 1.

Quòd ſi quis aliquando ſolus communicare voluerit, ſumpta pace à miniſtro confiteatur aut Abbati ſi affue-

rit, aut illi quem primum in dextro Choro stantem invenerit. Dicta communione si Conventus communicat, sedeant interim qui voluerint usque ad *Dominus vobiscum:* qui verò steterint, reducant facies suas ad Altare donec dicatur à Sacerdote *Dominus vobiscum:* & tunc residеant super *misericordias* usque ad ultimum *Dominus vobiscum*. Tunc verò surgant contra Altare, & responso *Deo gratias*, inclinent & recedant. Si autem Dominicus dies fuerit, non inclinent nec recedant usque post benedictionem lectoris.

CAPUT LIX.

De privatis Missis.

CAP. VII.

Nota ab initio hujus Ordinis Missas privatas in Usu fuisse Monachis nostris, etiam in Quadragesima.

Canuntur scilicet in Conventu.

PER totum annum possunt fratres, cantare *Missas privatim* tempore lectionis: & post offerendam Missæ in Conventu, etiam in Quadragesima exceptâ feriâ quartâ in capite jejunii. In festis autem Quadragesimæ quibus laboramus, & in festo sancti *Mauricii* quando dies jejunii evenerit: teneatur sicut in decimo quarto capite continetur. Diebus tamen quibus duæ Missæ *canuntur*, statim post primam possunt Sacerdotes cantare privatim ubi Abbati visum fuerit, exceptis Missis jejuniorum. Porro in Quadragesima si festivitas in qua non laboramus per septimanam evenerit, non cantant nisi post offerendam: quòd si habuerint spatium cantandi ante majorem Missam, non permittatur eis ipsam Missam dimittere.

Duos testes, id est duos assistentes.

Omnibus verò diebus in quibus jejunamus nec laboramus, potest cantare Missam usque ad Nonam, & in Quadragesima usque ad Vesperas, qui voluerit & cui vacuum fuerit. Qui quoties dubitaverit ne ab hora præoccupetur si cantaverit, interroget Sacristam per signum: si annuerit, cantet; si contradixerit, dimittat. Qui autem cantare voluerit *duos testes* habeat, unum Clericum qui ei ministrare possit. Qui si Accolitus tantùm fuerit, non præsumat Calicem deferre super Altare, neque panem & vinum ministrare, neque Sacerdoti offerre: cætera verò

potest

poteſt adimplere. Quòd ſi Sacerdos vel Diaconus vel Subdiaconus fuerit, poteſt panem & vinum in Calice miniſtrare, atque Sacerdoti offerre; aquam tamen non niſi Sacerdos qui cantat admiſceat. Alter verò Frater, ſi Laïcus eſt, nihil horum præſumere debet, niſi aquam afferre & Sacerdoti infundere antequàm induatur ſacerdotalibus veſtibus, candelam vel lampadem accendere. Preſbyterium poteſt aſcendere tam ipſe quàm cæteri Laïci, non ſolùm ad Miſſam, ſed quoties neceſſe fuerit: *gradum tamen Altaris* non aſcendunt, niſi propter aliquam neceſſitatem eis præcipiatur, vel quando communicant. Miſſæ quoque pro Defunctis non ſolent cantari Dominicis diebus & ſolemnitatibus, quibus ſermo fieri ſolet in Capitulo, niſi præſens Defunctus fuerit. Miſſa verò quotidiana quæ ſolet dici pro Fratribus noſtris Defunctis, tantùm intermittenda eſt die Paraſceve & ſequenti Sabbato, & die Paſchæ & Pentecoſtes, & Natalis Domini: diebus tamen Paſchæ, Pentecoſtes & Natalis Domini Hebdomadarius Miſſæ illius quotidianæ cantet de feſto ad Altare, ubi Miſſa eadem cantari ſolet, & dicat Collectam *Inclina* in ſecundo loco: ſi Tricenarium fuerit, ſubjungat *Deus cui proprium.* Quòd ſi his tribus diebus præſens Defunctus ſupervenerit: ſupradictus Hebdomadarius dimittat Miſſam de feſto & agat Miſſam pro eo, & dicat primam Collectam pro eo, ſcilicet *Inclina*, ſecundam verò *Omnipotens ſempiterne Deus cui nunquam*, pro illis quibus *Inclina* dicebatur: & ſi Tricenarium fuerit, dicat tertiam *Deus cui proprium.* Ad utramque verò Miſſam in Conventu quandiu præſens fuerit, dicatur Collecta pro eo. Qui cantant privatim, Collectam tantùm dicant pro eo tam ante ſepulturam quam poſteà: poterit tamen cantare pro eo qui voluerit.

Gradum tamen Altaris, &c. Nempe propter reverentiam SS. ſacramenti.

Qui autem cantant privatas Miſſas, moderentur ita voces ſuas tam ipſi quàm adjutores eorum, ut alii impedimentum non patiantur. Si quis verò viderit terſorium Altari ſuperpoſitum, non præſumat ſuper illud cantare, niſi ad nutum illius qui ipſum terſorium ibi poſuit, neque faciat apparatum circa Altare in quo debet cantare, poſtquàm Miſſa *generalis* incepta fuerit donec offerenda ſit cantata: niſi ad Miſſam matutinalem quando Sacer-

Generalis, id eſt Conventualis.

dotes poſſunt cantare poſt primam. Sacerdos autem indutus & aſperſis digitis aquâ, dicat confeſſionem ante gradum Altaris, medius inter adjutores ſuos, ita quòd Clericus ſit ad dexteram, Laïcus ad ſiniſtram. Qui cantaverit pro Defunctis, poteſt intermiſcere alias Collectas pro qualibet neceſſitate : ita tamen ut numerum trium Collectarum non excedat, niſi juſſu Abbatis quartam adjunxerit. Collectæ verò de ſancta *Trinitate* vel de *Spiritu ſancto* vel de *Sanctis* non dicantur. Sed & ad cæteras Miſſas, exceptis diebus quibus non licet cantare pro Defunctis, interponi poſſunt Collectæ pro Defunctis. Pacem non dabit, niſi fortè præſentes fuerint illi Miſſæ hoſpites vel Frater communicaturus. De cæterò ſe agat ut Sacerdos in Conventu. In omnibus Miſſis tribus tantùm vicibus Sacerdos oſculetur Altare, totieſque ei trahatur caſula. Notandum verò quòd Abbates, Monachi & Converſi quando Miſſas audiunt in Eccleſiis quæ non ſunt de Ordine noſtro, ſicut cæteri pacem accipiunt, ſi eis offertur.

CAPUT LX.

Quibus diebus duæ Miſſæ cantuntur.

C. VIII. In antiquis manuſcriptis inter hos dies Feſtos non recenſentur dies ſanctorum *Roberti*, *Bernardi*, *Auguſtini*, *Ambroſii*, *Ieronymi*, *undecim millium Virginum*, *Catharinæ* nec *ſpineæ Coronæ* : imò nec Sanctorum *Eligii*, *Edmundi* & *Malachiæ*. Et ratio eſt quòd nondum inſtitutæ, aut ſaltem ab Ordine non-

IN die *Nativitatis* Domini. In *Circuncisione* & *Epiphania* Domini. In die *Paſchæ* & tribus ſequentibus diebus. In *Aſcenſione* Domini. In die *Pentecoſtes* & tribus ſequentibus diebus. In natalibus ſancti *Stephani* : & ſancti *Ioannis* : & Sanctorum *Innocentium* : & ſancti *Thomæ* Martyris : & ſancti *Gullelmi* Epiſcopi : In omnibus ſolemnitatibus beatæ *Mariæ*, in die ſancti *Vincentii*, ad cujus Veſperas Reſponſorium dicetur duodecimum, ſcilicet *Gloria & honore*. In Converſione ſancti *Pauli* : in die S. *Matthiæ* Apoſtoli : In ſolemnitate ſancti *Benedicti*. In natali ſancti *Marci* Evangeliſtæ : *Auguſtini* : *Gregorii* : *Ieronymi* : *Ambroſii* : *Roberti* Abbatis : *Philippi* & *Iacobi*. In Inventione & Exaltatione ſanctæ *Crucis*. In Natali & Decollatione ſancti *Ioannis Baptiſtæ* : Apoſtolorum *Petri* & *Pauli* : *Mariæ Magdalenæ* : *Iacobi* Apoſtoli : ſancti *Petri* ad vin-

cula, ſancti *Laurentii*: ſancti *Bernardi*: Abbatis *Bartholomæi* Apoſtoli: *Matthæi* Apoſtoli: *Michaëlis* Archangeli: *Coronæ Domini*: *Dionyſii* ſociorumque ejus: *Vndecim millium Virginum*: *Lucæ* Evangeliſtæ: *Simonis* & *Judæ*: *Omnium Sanctorum*: ſancti *Malachiæ* Epiſcopi: *Martini* Epiſcopi: ſancti *Edmundi*: *Andreæ* Apoſtoli: ſanctæ *Catharinæ* Virginis: *Eligii* Epiſcopi: *Nicolai* Epiſcopi: *Thomæ* Apoſtoli: *Dedicationis Eccleſiæ*: in Feſtis Epiſcopatûs, & omnibus Dominicis diebus canuntur duæ Miſſæ, & vacant fratres Lectioni. Sed nec veſtimenta excutiuntur nec ad ſolem extenduntur.

dum receptæ eſſent hujuſmodi Sanctorum Feſtivitates cum hi Vſus in lucem prodierunt.

Cæterùm ſi quis ſcire cupiat quibus tandem annis, & à quibus Capit. Generalibus receptæ ſint & Ordini imperatæ pleræque Sanctorum illorum feſtivitates.

Feſta S. *Malachiæ* Epiſcopi & S. *Thomæ* Archiepiſcopi Cantuarienſis recepta & imperata ſunt à Capitulo Gen. an. 1191.

Feſtum S. *Iuliani* Cenomanenſis à Cap. Gen. an. 1193.

Feſtum S. *Petri* Tharentaſienſis Archiepiſcopi à Cap. Gen. an. 1197.

Feſtum S. *Ioannis* ante Portam Latinam à Cap. Gen. an. 1222.

Feſtum S. P. noſtri *Roberti* Moliſmenſis fundatoris Ord. Ciſter. à Cap. Gen. an. 1222. & 1259.

Feſtum S. *Eligii* à Cap. Gen. 1230.

Feſtum S. *Dionyſii* à Cap. Gen. 1231.

Feſtum ſuſceptionis *Coronæ* Domini à Cap. Gen. an. 1240.

Feſtum S. *Edmundi* Cantuarienſis Archiepiſcopi à Cap. Gen. an. 1247.

Feſtum S. *Ioannis Chryſoſtomi* conceſſum Collegio Bernarditarum ubi præcipua pars capitis illius aſſervatur à Cap. Gen. an. 1251.

Feſtum B. *Dominici* Fundatoris Ordinis Prædicatorum à Cap. Gen, an. 1255.

Feſtum S. *Petri* Martyris ejuſdem Ordinis à Capitulo Gen. an. 1256.

Feſtum S. *Franciſci* Inſtitutoris Ordinis Fratrum Minorum nonniſi à Cap. Gen. ann. 1259. receptum legitur: ejus tamen commemoratio longè antè fuerat imperata ſcilicet à Cap. Gen. an. 1228.

Feſtum S. *Vrſulæ* & ſociarum ejus conceſſum fuit ſcholaſticis Collegii S. Bernardi Pariſius an. 1258. ac ſubinde toto Ordini permiſſum à Cap. Gen. an. 1262.

Feſtum autem S. Patris noſtri *Bernardi* repoſitum eſt inter feſta quibus ſecundùm Vſum Ordinis ſermo fieri debet in Capitulo, id eſt inter feſta præcipua Ordinis, à Cap. Gen. an. 1260. cum longè antè celebrari cœpiſſet ut ſuprà notavimus ſed minori cum ſolennitate.

In hujus autem Capituli textu ubi legitur *millium Virginum* melius fortè legeretur *Martyrum Virginum*. Hoc enim feſtum ab Eccleſia Romana celebratur ſub nomine ſanctæ *Vrſulæ* & ſociarum ejus, non autem ſub nomine *undecim millium Virginum*.

CAPVT LXI.

Quando Sacerdos & miniſtri debeant aſcendere ad Altare.

AD Miſſam pro Defunctis, & ad matutinalem Miſſam quando duæ Miſſæ canendæ ſunt, ad initium introitus Sacerdos & miniſtri ingrediantur ad Altare. Ad reliquas autem uſque ad *Gloria* ſuſtineant. Cap. IX.

CAPVT LXII.

De Kyrie eleison.

CAP. X. AD Missam *Kyrie eleison* semper incipitur in illo Choro in quo est Invitatorium, excepto ad matutinalem quando duæ Missæ canuntur, & hoc alternatim novies: ita ut Chorus in quo incipitur, quater dicat *Kyrie eleison*, interposito semel *Christe eleison*: Alter verò bis dicat *Kyrie eleison*, interposito bis *Christe eleison*. Ultimum *Kyrie eleison* uterque simul Chorus finiat. Ad horas verò regulares & ubique, totus Conventus semel dicat *Kyrie eleison* & pauset, semel *Christe eleison* & pauset, & iterùm semel *Kyrie eleison*.

CAPVT LXIII.

Quando canitur Gloria in excelsis Deo & Ite Missa est.

CAP. XI. IN Vigiliis Paschæ & Pentecostes, & omnibus Dominicis diebus & festis duodecim Lectionum extra Adventum & Septuagesimam & per totam septimanam Natalis Domini & Paschæ & Pentecostes, ad omnes Missas, *Gloria in excelsis Deo* & *Ite Missa est* dicitur, exceptis Missis jejuniorum, quæ Dominicâ non eveniunt.

CAPVT LXIV.

Quibus diebus intermittendæ sunt usitatæ Collectæ.

CAP.XII. IN Vigilia Natalis Domini & deinceps usque ad Circuncisionem: in Cœna Domini & deinceps usque ad octavam Paschæ: in Vigilia Pentecostes & deinceps usque ad Octavas: Dominicis diebus & festis omnibus

duodecim Lectionum, etiamſi duæ Miſſæ in Conventu celebrentur, ad utramque Miſſam intermittendæ ſunt uſitatæ Collectæ. Item in Sabbato quatuor Temporum, & omnibus præcipuis Officiis Defunctorum eædem Collectæ ſimiliter intermittantur.

CAPUT LXV.

Quibus diebus Credo in unum Deum dicatur.

IN die *Natalis*, *Circuncisionis* & *Epiphaniæ* Domini: in die *Paſchæ*, *Aſcenſionis* & *Pentecoſtes*, & omnibus diebus *Dominicis*, & ad omnes Miſſas, niſi ſint pro Defunctis, *Credo in unum Deum* dicatur. Porrò in Inventione & Exaltatione ſanctæ *Crucis*, & in ſolemnitate ſanctæ *Coronæ Domini*: in omnibus ſolemnitatibus ſanctæ *Mariæ*, & in omnibus ſolemnitatibus *Apoſtolorum* & *Evangeliſtarum*: in feſtivitate *Omnium Sanctorum*, & *Dedicatione Eccleſiæ* tantùm ad propriam Miſſam ipſius ſolemnitatis dicatur. C. XIII.

Coronæ Domini id eſt ſuſceptionis Coronæ Domini, quod feſtum ad petitionem S. Ludovici Regis inſtituit Cap. Gen. an. 1240.

CAPUT LXVI.

Quando debeant Fratres ad pacem & communionem ire.

IN die Nativitatis Domini, Cœnæ, Paſchæ, Pentecoſtes, debent fratres pacem ſumere & communicare, omni occaſione remotâ, niſi fortè Abbas aliquem prohibuerit. Omnibus verò Dominicis diebus communicet qui potuerit. Sacerdotes tamen, qui per ſeptimanam cantant, ſi die Dominico non cantant, in eorum ſit poteſtate communicare vel non. Cæteris verò diebus qui fortè Dominicâ non communicaverit, poterit communicare ſi voluerit. C. XIV.

CAPVT LXVII.

Quibus diebus ardeant tres lampades, & quibus habeantur sermones in Capitulo.

CAP. XV. LAMPADES non habeantur in Oratoriis ultra quinque, ex quibus una ponatur ad gradum Presbyterii, altera in medio Chori, tertia in retro Choro. Quæ tres accendi debent ad Vigilias, ad Missam, & ad Vesperas *Natalis* Domini: *Apparitionis:* in *Ramis Palmarum: Paschæ: Ascensionis: Pentecostes: Trinitatis:* omnium solemnitatum sanctæ *Mariæ*: Nativitatis sancti *Ioannis Baptistæ:* natalis Apostolorum *Petri* & *Pauli:* in solemnitate sancti *Benedicti: Omnium Sanctorum:* sancti *Bernardi : Dedicationis Ecclesiæ :* in commemoratione *omnium fidelium Defunctorum :* ad Vigilias eorundem, & ad Missam tantummodò accenduntur. In his etiam diebus exceptis festis transpositis, & excepta commemoratione Defunctorum, habentur sermones in Capitulo. Et præter hoc in Dominica prima Adventus Domini, & in Dominica Palmarum. Duas, quæ restant, lampades potest habere qui voluerit propter Conversos & hospites, & accendere quando voluerit. Ubi tamen necesse fuerit, liceat plures habere propter privatas Missas.

CAPVT LXVIII.

Qualiter se habeant fratres Dominicis & festis diebus.

C. XVI. AVDITO signo ad Vigilias surgant fratres, & præparati intrent Ecclesiam inclinantes ad primum Altare: quod semper faciant, quoties coram quolibet Altari transeunt: & rursus inclinantes ad majus Altare, intrent Chorum à superiori parte. Nam ab inferiori non solent intrare, nec etiam exire, quando Priores stant in Choro deorsum præter Abbatem & Priorem, & alios

qui ex utraque parte propinquiores adſtant Abbati vel Priori. Porrò Abbate præſente vel etiam abſente tam ab inferiori quàm à ſuperiori parte tot intrent vel exeant, & inter ſtallum Abbatis & Prioris tam ad ſuam lectiones legendas, quàm ad benedictiones accipiendas eant vel redeant, quot unuſquiſque Abbas pro ſui oratorii poſitione judicaverit expedire. Et notandum quòd Abbati Chorum intranti non inclinatur niſi à duobus, ſive Abbates ſint ſive Monachi, quorum alter in ſuo Choro, & alter qui in altero eſt ei propinquior. Similiter de Choro Novitiorum unus hinc & unus inde. Abbati etiam ſtanti in ſtallo ſuo à nullo ſuperveniente inclinabitur, niſi ab his quatuor. Id tamen obſervandum, ut ſi his, qui propinquiores Abbati ſtare ſolent, nondum ingreſſis, alii intraverint, inter quos & Abbatem nullus adhuc medius ſtet, quot de talibus ex utralibet parte Chori intraverint, tot inclinent ei. Cùm autem pervenerint ad loca ſua, ſtent verſis vultibus ad Altare donec ſignum remaneat. Similiter autem ſtent ante omnes horas diei & Miſſas. Dimiſſo autem ſigno, faciant ſolitam orationem ſuper *miſericordias*, id eſt *Pater noſter*, & *Credo in Deum*, & facto ſonitu erigant ſe omnes, & verſi ad Altare ſignent ſe, & rurſum inclinantes ſtent ibidem. Dicto itaque *Deus in adjutorium meum intende*, moroſè & trahendo à Sacerdote, cancellatis manibus incurventur profundè, donec *Ad adjuvandum me feſtina*, eadem moroſitate & gravitate compleatur: quod ſimiliter faciant ubicumque inclinaverint, ſed & omni tempore quando Conventus eſt in Eccleſia, ad omnes horas reverenter & moroſè dicatur à Sacerdote *Deus in adjutorium meum intende*, & à Conventu ſubjungatur *Domine ad adjuvandum me feſtina*, &c. Facta pauſatione ante *Gloria Patri*, & ante *Sicut erat*, etiamſi ſequentia citiùs dicenda ſint. Dehinc celebretur opus Dei. *Venite exultemus Domino* cum invitatorio dicatur ante gradum Preſbyterii à duobus fratribus, illo videlicet qui præſentem facit Hebdomadam invitatorii, & illo qui præteritam fecit. Qui venientes ad gradum inclinent, inceptoque invitatorio rurſus inclinent, & ſic deinceps ad finem ſingulorum verſuum tantùm inclinent. Poſt repetitionem verò invitatorii iterùm inclinent & ſic

redeant in ordinem suum. Privatis tamen diebus qui canit invitatorium, non inclinet antequàm illud incipiat: Fratres verò habeant vultus ad Altare ex quo invitatorium incipitur, donec *Gloria Patri* dicatur, & tunc humiliet se Chorus contra Chorum usque ad *Sicut erat in principio*. Eodemque modo inclinent se quotiescunque dicitur in Conventu *Gloria Patri*, excepto ad Aquam benedictam, & ad benedictionem Novitii, & in Purificatione sanctæ *Mariæ* dum candelæ distribuuntur, & in Capite jejunii dum cineres dantur, & ad *Gloria & honor Deo* dum crux in Parasceve adoratur.

Abbas verò si acciderit ut ad *Gloria* post *Venite* non occurrat, satisfaciat ante Presbyterium sicut solet ad alias horas cum ad *Gloria* primi Psalmi non occurrit & ad stallum suum veniat. Post inchoationem verò Hymni, nullus exeat de Choro donec finiatur, excepto pro inevitabili causa. Sed neque ad cæteros Hymnos, excepto *Iam lucis orto sidere*, quando post matutinas sine intervallo Prima cantatur. Nec etiam Sacerdos matutinas infirmis cantaturus exeat antequàm Hymnus incipiatur. Sed nec sedeat aliquis ex quo incipitur *Deus in adjutorium*, usque post Hymnum: & tunc plicatis manibus super genua sedeant simul primum Psalmum, & secundum stent, & sic percurrant cæteros, & similiter in secundo Nocturno: quam legem Abbas tenere non cogitur. Quòd si quis exierit non reversurus ad opus illud, inclinet antequàm exeat. Si verò Abbas exierit, sequatur eum quilibet de Monachis Conversis cum lumine in absconsa. Abbas incipiat primam *Antiphonam*, vel *Alleluia* in primo Nocturno. Qui si defuerit: ille qui Prior est in illo Choro in quo est *Invitatorium*. Cætera verò *Alleluia*, Hebdomadarius. Qui autem incipit Antiphonam aut *Alleluia*, reverenter & paululùm *à podio* semotus, stet usque ad metrum, nec inclinet donec primus versus impleatur. Psalmum autem incipiat & intonet qui juxta eum stat inferior, tam per diem quàm per noctem similiter semotus à *podio* usque ad metrum: illo tamen qui novissimus est Clericorum incipiente suam Antiphonam, tunc tantùm qui Superior illo est Psalmum imponat. Similiter observandum est ad omnia Defunctorum Officia, excepto quòd

à Podio id est ab assere cui pedes psallentium insident.

quòd qui Psalmum incipit, aliis sedentibus minimè se erigit. Et qui Antiphonam imponit non expectato fine versûs, inclinet & resideat. Ad Officia tamen Defunctorum præcipua, expectato fine versûs, inclinet. Et notandum quia quotiescunque ille qui novissimus in Choro est Antiphonam suam imposuerit, tunc penultimus & alii superiores ordine retrogrado Antiphonas, quotquot supersunt in eodem Choro dicendæ, *etiam si quis eorum aliam Antiphonam ad idem Officium imposuit, incipiat. Id ad Officia Defunctorum contingere potest vel forsitan ad regulares Vigilias, aliquando pro paucitate Monachorum. Quòd si Antiphona ascripta fuerit Abbati & ipse defuerit, si *Invitatorium* in dextro Choro fuerit, ille qui juxta eum stat, incipiat eam: deinde suam. Si autem in sinistro, similiter faciat. Eodem modo unusquisque incipiat Antiphonam illius, qui superior illo stat, si defuerit. Nullus superveniens præter Abbatem, qui primam incipit, incipiat Antiphonam alii in Capitulo datam, sed ille cui data fuerit. Ad finem verò ultimæ Antiphonæ primi & secundi & tertii Nocturni, tam festis diebus quàm privatis, vertant se fratres ad Altare, & dicatur versiculus ab Hebdomadario inclinante tantùm post versiculum. Et ita fiat ad omnes versus qui dicuntur ad cæteras horas. Porrò Lector si debet dicere versiculum nominans alium ut dicat, dum dicitur penultimus versus sexti Psalmi ante *Gloria Patri*, contra medium Altaris inclinans incedat per medium Chorum cum gravitate, humilians se ante Abbatem. Quòd si alter Abbas fuerit in sede Prioris, inclinet semel inter eos, & accedens ad librum humiliato corpore versus Abbatem, non tenens lucernam, plicatis etiam manibus, eadem voce qua lecturus est petat benedictionem tam ibi quàm alibi. Quâ perceptâ non legat, donec tumultus residentium conquiescat. Rediens itaque de lectione, humiliet se inter stallum Abbatis & Prioris vertens paulisper caput versus Abbatem: quòd si duo Abbates fuerint, humiliet se semel inter eos versus Altare, & sic veniens ante gradum incurvetur. Festivis quidem diebus super articulos manus, privatis verò super genua prosternatur, ponens cucullam sub manibus, & sic inclinans reverta-

tur ad sedem. Similiter super articulos manuum satisfaciant omnes in loco in quo sunt, quoties fallaciam in oratorio incurrerint, non divertentes dextrorsum vel sinistrorsum. Pro nota cantûs tantùm non solemus satisfacere. Ita igitur se agat, qui primam, quintam & nonam leget Lectionem. Nam qui cæteras legunt, eant legere dum Responsorium canitur ante versum. Provideant autem omnes qui legunt, ut ardens candela sequenti lectori possit sufficere. Qui autem canunt Responsoria tali horâ surgant, ut sedile levare antequàm incipiant Responsorium possint. Quo incepto inclinent, & similiter post versum: quòd si *Gloria* dicendum est, non post versum, sed post *Gloria* inclinent.

Quando autem Responsorium *Aspiciens* canitur cum tribus versibus, qui cantat post tertium versum tantùm inclinet. Nemo legat duas Lectiones, aut cantet duo Responsoria, seu Lectionem & Responsorium infra unum nocturnum, nisi necessitas coëgerit: similiter nec prior ante minorem, nisi Evangelium. Quod dum incipit Lector, vertant se fratres ad illum stantes sic, donec dicat *Et reliqua*. Qui autem legerit duodecimam lectionem, lectâ eâ, quæ in Lectionario terminata est, dicat *Tu autem*, nisi fortè Cantor ei aliquid quod conveniat diei, sive aliud aliquid indixerit ad legendum. Solet enim Sacrista cum se viderit temperiùs quàm debuerat surrexisse, Cantorem signo præmonere, ut duodecimam lectionem faciat prolongare. Et tunc qui eam legerit, non eam finiat usque ad nutum Sacristæ vel sonitum horologii. Quâ lectâ, nec candelam extinguat, nec librum claudat, si Evangelium in eo legendum fuerit. Porrò fratres dum cantant *Te Deum laudamus*, humilient se ad *Sanctus, Sanctus*, surgentes ad *Pleni sunt*: & dum finiunt canticum, vertant se ad Altare. Cum verò dixerint *Gloria tibi Domine*, signantes se vertantur ad legentem Evangelium, quod debet legi super analogium, in quo & Lectiones ad Nocturnos leguntur. Dicto *Te decet laus* vertentes se ad alterutrum inclinent usque post *Cum sancto Spiritu*: & tunc residеant super *misericordias* usque post finem Collectæ. Porrò qui Evangelium legit, si fallaciam incurrit, inter sedem Abbatis & Prioris satisfaciat.

CAPVT LXIX.

De Laudibus.

IN Laudibus finito *Deus miſereatur noſtri* & ad Vigilias finito Hymno, nullus ſedeat in Choro *donec primus verſus finiatur ſequentis Pſalmi* nec exeat: qui verò exierit, reverſus duos verſus ſuſtineat antequàm ſedeat. Similiter ſuſtineat ad Vigilias & ad Primam duos verſus qui de Choro exierit. Nam & ad *Primam* omni tempore, exceptâ Dominicâ, eo ordine quo ad Vigilias ſedere cunctis permiſſum eſt. Ad Primam quippe Dominicis diebus, ad Veſperas omni tempore ad primum & tertium Pſalmum ſtamus, & ad cæteros ſedemus. Caveant autem qui de Choro egrediuntur, ne plus foris quàm duos Pſalmos morentur, & ne ampliùs quàm duo juxta ſe ſtantes ſimul exeant.

Donec primus verſus, &c. Et hoc notandum, eo quòd à multis vel ignoratur vel negligitur.

Qui cantat Reſponſorium, antequàm illud incipiat inclinet, & poſt verſum iterùm inclinet. Ad cujus repetitionem vertat ſe Chorus ad invicem. Si *Invitatorium* fuerit in dextro Choro, Cantor incipiat Hymnos omnibus feſtis diebus, tam ad Vigilias quàm ad cæteras horas, exceptâ Sextâ & Nonâ, quos inchoet qui ſolet privatis diebus incipere. Si Cantor defuerit, ille cui injunctum eſt *Benedictus* & *Magnificat* imponere. In ſiniſtro ſi fuerit Succentor incipiat: qui ſi defuerit, ille cui injunctum eſt ſupradicta Cantica incipere. Privatis verò diebus tam ad Vigilias quàm ad cæteras horas diei, ille Hymnos inchoare debet, qui Pſalmum incipit, quando Hebdomadarius incipit Antiphonam. Omni tempore autem quicunque Hymnos incipit, ſtet ſemotus à podio. Ad *Kyrie eleiſon* reſideant ſuper *miſericordias* ſicut ad cæteras horas. Hebdomadario incipiente *Benedicamus Domino,* erigant ſe omnes, quo dicto inclinent. Nam ad cæteras horas non ſurgunt, niſi poſt *Deo gratias,* excepto ad Veſperas. Si Dominica fuerit, ſtent verſis vultibus ad Altare, donec *benedictiones* ſuper cocos compleantur: quòd ſi fiat commemoratio, ſtent ita uſque ad *Oremus,*

Benedictiones. de his Benedictionibus vide cap. 35. Reg. S. Benedicti & hujus libri cap. 108.

& tunc reſideant ſuper *miſericordias*, nec ſurgant niſi poſt *Deo gratias*.

In hyeme ſi dies laboris ſimul & jejunii fuerit, reſponſo *Amen* ſtatim ſubſequatur *Prima*: ſin autem, poſt *Deo gratias* inclinent & exeant. Tunc Sacriſta pulſet modicè ſignum, ſi dies fuerit: ſi nondum apparuerit, non pulſetur: ſed interim fratres ſedeant in Clauſtro ad lumen accenſum à Servitore Eccleſiæ, ſed non legant. Cumque dies claruerit, pulſetur ſignum modicè & fiat intervallum, ut qui voluerint poſſint ſe calciare, vel ad ſeceſſum ire: aut infirmitates remutare, aut manus abluere, & qui voluerit poterit in Clauſtro ſedere. Revertentes ad *Primam* aſpergant ſe aquâ benedictâ, exceptâ Dominicâ, & ſtent in ſtallis ſuis donec ſignum remaneat, & tunc faciant eandem orationem quam ad Vigilias fecerunt, & eodem modo cantatâ Primâ ſequatur Miſſa.





TERTIA PARS.

DE RITIBVS IN EXERCITIIS REGVLARIBVS OBSERVANDIS.

CAPVT LXX.

De Capitulo & Confeſſione.



OST Miſſam matutinalem Sacriſta pulſet ſignum ad convocandum fratres *in Capitulum*: nec dimittat illud donec data ſit benedictio. Fratres autem audito ſigno conveniant in Capitulum, inclinantes ante ſedes ſuas. Et cum ſederint, humilient ſe mutuò. Veniente verò Abbate vel quolibet alio qui Capitulum tenere debet, ei omnes aſſurgant inclinantes tantùm Abbati tranſeunti, eoque ſedente reſideant. Sed ille qui juxta Abbatem ſeſſurus eſt, humiliet ſe profundè de loco ſuo verſus Abbatem, nec tamen ſuper genua vel articulos, & ſic reſideat. Et ita faciat in omnibus locis qui juxta eum ſedere voluerit, excepto in Eccleſia. Nam nec fratres in Eccleſia ſibi ſupplicant, neque ad menſas, ſed nec nocturno tempore. Lector verò veniens ante analogium, aperiat librum & inclinet ſe ad benedictionem. Poſt primam lectionem non dicat *Tu autem Domine*, ſed poſtquàm perdixerit *Et aliorum plurimorum ſanctorum* ſurgant fratres, & vertant ſe ad orientem dicentes verſum qui in collectaneo habetur, id eſt, *Pretioſa in conſpectu Domini*, Sacerdote hebdomadario incipiente. Qui dum dixerit *Gloria Patri & Filio*, proſternantur ſuper ſedes ſuperiores, aut incurventur ſuper genua ſecundùm tempus dicentes ſimul Kyrie *eleiſon*. Illi autem qui ſedent juxta ingreſſum Capituli, hinc & inde, proſternant ſe ad ter-

CAP. I.

In Capitulum; de hoc Capitulo intelligendus eſt S. Bened. cap. 46. ſuæ Regulæ, cum eum qui in aliquo deliquerit jubet ante Congregationem venire, ibique publicè delictum ſuum prodere ac pœnam ſibi injunctam ſubire.

ram versus orientem; Incurvi verò sint sicut illi qui sunt in sede Abbatis: Cæteri autem incurventur ex adverso. Et quando Sacerdos dixerit *Et ne nos inducas in tentationem* erigantur, donec Sacerdos dicat *Dirigere & sanctificare*, & tunc incurventur. Quæ incurvatio fiat æqualiter omni tempore. Lector quoque ita se incurvet vel prosternat ante analogium, sicut illi qui sunt juxta ingressum Capituli. Dicto autem *Qui fecit cælum & terram* residеant, ita tamen ut priùs assideat qui tenet Capitulum. Qui dum resederint, non humilient se invicem sicut priùs. Postquàm omnes resederint, incipiat Lector lectionem de Regula. Quá finitá dicat *Tu autem Domine*: Et accipiens tabulam *legat Breve*, si ipso die legendum fuerit. Quòd si Supprior Capitulum tenet, & qui legit Prior ipsius fuerit, si cum pronuntiaverit, fratrem eum nominet: & sic etiam seipsum nominet. Et dum breve recitatur, qui nomen suum intellexerit, inclinet. Cui autem Hebdomada aliqua ascripta fuerit, si intelligit se illam propter quamlibet incommoditatem non posse complere, potest inde misericordiam in præsenti Capitulo quærere, nam extra non licet: quòd tamen si pro gravi necessitate fieri contigerit, sequenti Capitulo veniam petat, & necessitatem intimet. Lectá itaque tabulâ pronuncietur commemoratio fratrum hoc modo: *Commemoratio omnium fratrum & familiarium Defunctorum Ordinis nostri*. Deinde dicat qui tenet Capitulum, *Requiescant in pace*: & dicto *Amen*, inclinet Lector & offerat librum Abbati. Abbas verò vel accipiat & exponat, vel alii innuat deferendum. Cui Lector ostendat sententiam quam exponere debet, & sic eat in locum suum. Ubi cum advenerit, non inclinet ante sedem, sed postquàm resederit, humiliet se sicut alii fecerunt quando primò consederunt. Quòd si à sinistra parte ad dexteram, vel à dextra ad sinistram transiturus est, cum venerit ante analogium humiliet se ad orientem, & tunc transeat ad locum suum. Et dicto *Benedicite* ab illo qui Capitulum tenet, exponatur sententia etiam in *Parasceve*. Quòd si aliquis advenerit antequàm *Benedicite* dicatur, humiliet se ante sedem suam. Et cum resederit, inclinet sicut faceret si primæ confessioni interesset: si autem post

Legat Breve id est schedulam nomina Officiariorum sequentis Hebdomadæ continentem.

occurrerit dum assidens inclinaverit, dicat *Benedicite* submissa voce : ita ut illi possint respondere *Dominus* qui circa eum sedent.

Expositâ verò sententiâ nemo loqui præsumat, neque veniam petat, donec ille qui Capitulum tenet dicat *Loquamur de ordine nostro.* Et tunc si absolvendus est Defunctus, ad admonitionem Cantoris absolvatur. Posteà si dies ultimus tricenarii commemorandus fuerit, Cantor eum commemoret. Deinde si aliquod *Breve* pro Defuncto legendum fuerit, legatur à Cantore, ipso tamen jubente qui Capitulum tenet. Quo pronunciato dicat Abbas *Requiescat in pace.* Et dicto *Amen* ab omnibus, instituat quod ei visum fuerit pro anima ejus. Posteà verò petat veniam qui se in aliquo reum noverit. Deinde fiant *clamationes* si faciendæ sunt. Qui autem clamaverit, non quærat circuitiones in clamatione sua, sed apertè dicat: ille fecit hoc. Sed qui clamatus fuerit, mox ut audierit nomen suum, non respondens, in sede sua *petat veniam.* Tenenti Capitulum eumque interroganti, *quid dicitis ?* Respondeat prostratus *Mea culpa* : & ad jussum illius erectus, si reus fuerit humiliter culpam suam confiteatur, & de reliquo emendationem promittat. Si autem culpabilem se non intelligit, qui eum clamaverit ipsam clamationem non repetat, nisi interrogatus : alius tamen si novit quod culpabilis sit, potest illud dicere. Et sciendum quòd qui clamatus fuerit, non faciat clamationem ipsa die super illum qui eum clamavit : quando autem aliquis surgit in judicium clamatus ab alio, quoties clamabitur in ipso judicio toties satisfaciat. Qui dum in terra jacuerit, nemo loquatur. Sed postquàm erectus fuerit dicatur de eo in ipso judicio quod dicendum est, ne compellatur surgere postquàm resederit, nisi aliqua rationabilis causa in Capitulo contra eum posteà succreverit. Si quis sponte sua in judicium venerit, sub una venia confiteatur omnes negligentias quas confessurus est : quòd si alius eum clamando surgere compulerit, illo clamore pertractato si de seipso aliquid dicere voluerit, iterùm petat veniam. Porrò si plures insimul fuerint in judicio, qui prior fuerit stet in medio & priùs loquatur. Et cum locutus fuerit statim judicetur, & de judicio dimittatur :

Breve hoc loco sumitur pro schedula nomen alicujus recenter defuncti continente.

Clamationes, id est accusationes seu denuntiationes, de quibus vide *cap.* 46. *Reg. S. Bened.*

Petat veniam, id est prosternat se in terram.

nisi fortè Abbas eum ibi remanere fecerit vel quemlibet ex ipsis, cæteris dimissis, ut majus judicium sustineat, si majorem quàm cæteri culpam habeat. Similiter judicentur cæteri singulariter, & singulariter dimittantur, nisi eandem causam omnes habuerint ut simul dimittantur.

Dimissi verò de judicio, per post stantes redeant ad sedes suas. Nemo etiam ampliùs quàm à tribus clametur, nisi fortè ab eo qui Capitulum tenet: & nisi etiam posteà in ipso Capitulo aliquid deliquerit. Nec pro uno clamante quis plusquàm unam veniam petat, licet plures super eo culpas loquatur, nisi rursum sicut exceptum est in eodem aliquid excesserit Capitulo. Nemo præsumat loqui in ipso Capitulo, nisi clamando alium, aut clamatus ab alio: vel quando quis aliquid perdiderit, præter Abbatem & Priorem, & quosdam de senioribus quibus Abbas consenserit: nisi fortè jussus vel interrogatus ab Abbate, aut ipse aliquid de Ordine quæsiturus.

Quòd si fortè aliquis jussu Abbatis salutationem *Domini Papæ* Capitulo præsentaverit: assurgendo Conventus inclinet profundè. Ad salutationem *Regis, Episcopi, Abbatis* & aliarum quarumlibet similium personarum, sedendo profundè inclinetur: similiter inclinetur quando Abbas indicit eis facere aliquam communem orationem. Similiter quos voluerit promovere vel degradare, vel in gradum suum restituere, seu quos decernit ligare per pœnitentiam vel solvere. Et similiter omnes quibus aliquid jusserit facere.

Vide cap. 2. Reg. S. Ben.

Nullus faciat clamationem super aliquem ex sola suspicione: nisi de hoc quod audierit, vel viderit, vel referri audierit. Quando clamatio facta fuerit de aliquo, si in ipso judicio verberandus fuerit: caveat ille qui Capitulum tenet ne ab eo verberetur, qui super eum clamavit. Qui verberandus postquàm ab Abbate exui jussus fuerit, mox assideat in eodem loco in quo stat, & exuens Cucullam ponat eam ante se super genua sua: Per caputium verò tunicæ exerat brachia & totum corpus usque ad cingulum, & consistens inclinato capite nihil dicat nisi tantùm, *mea culpa, ego me emendabo*, quod crebriùs repetat. Sed neque alius interim loquatur, nisi fortè aliquis

Ibid. & cap. 28.

aliquis de prioribus pro eo humiliter intercedat. Qui autem eum verberat, non ceſſet à verbere uſque ad juſſionem Abbatis; qui dum quieverit, adjuvet illum fratrem ad induendum: qui indutus & erectus, non ſe moveat donec Abbas dicat, *ite ſeſſum*, & tunc inclinans eat in locum ſuum. Hoc quoque ſciendum eſt, quòd ille qui inferioris gradûs eſt, non debet verberare ſuperiorem, id eſt Diaconus Sacerdotem, ſed æqualis æqualem, vel ſuperior inferiorem. Hoc etiam caveatur ne aliquis extra Capitulum loquatur alicui, vel ſignificet de culpis, ſeu de ſecretis quæ in Capitulo pertractantur.

Quòd ſi Epiſcopus vel Abbas Monachorum ſeu Clericorum regularium, vel etiam Rex aliquando Capitulum intraverit: aſſurgentes ei omnes inclinent cum ante eos tranſierit; quòd ſi ſocietatem quæſierit, aſſurgentibus omnibus concedatur ei per *librum:* & reſponſo *Amen*, ſimiliter Abbas quærat ab eo partem beneficii ſui. Qui poſtquàm demoratus fuerit quantum tenenti Capitulum placuerit, deducat eum ad hoſpitium Prior vel cui juſſerit Abbas, antequàm Conventus egrediatur, niſi Abbas uſque ad finem Capituli eum retinere voluerit. Quòd ſi Monachus vel Clericus, vel etiam Laïcus fuerit, ſedendo conceſsâ ei ſocietate à quolibet fratre deducatur.

Per librum id eſt per Regulam S. Bened. cum ea ferè cæremonia quæ in *libello antiq. deff.* deſcribitur *diſt. 15. cap. ultimo.*

Si quis ex quo Fratres ingreſſi ſunt Capitulum inde exierit niſi juſſus, aut ſanguinem de naribus fluens, vel etiam vomens, ſive pro tabula ad legendum afferenda, ſatisfacere debet. Sed nec licentiam exeundi quis quærat, niſi Cocus aut obedientialis fuerit, aut neceſſitas naturæ compulerit, vel cui Abbas ante indixerit, aut qui in via dirigendus fuerit. Iſti itaque cum neceſſe habuerint, ſolent pro officio ſuo ſigno exeundi licentiam quærere. Tractatis igitur quæ tractanda ſunt, ſurgentes omnes vertant ſe ad orientem, & ſic qui tenet Capitulum dicat, *Adjutorium noſtrum in nomine Domini:* & reſponſo ab omnibus *Qui fecit cœlum & terram*, inclinent ad orientem & exeant omnes, niſi aliquis remoretur causâ confeſſionis vel infirmitatis. Quandiu tamen aliquis confitetur, nullus ibi remaneat, niſi qui ſimili occupatur opere. Nam omni tempore lectionis, non tamen niſi ante prandium & etiam in intervallo ante Primam, poſſunt ibi confiteri.

Postquàm ergo resederint, dicat Prior *Benedicite* : & responso *Dominus*, subsequatur Prior, *Deus sit nobiscum* : & responso *Amen*, confiteatur breviter culpas pro quibus veniam petiit. Quibus dictis, statim subsequatur, *De his & omnibus aliis meis peccatis me reum confiteor & veniam deprecor*. Tunc Prior facta super eum absolutione injungat pœnitentiam. Deinde potest eum confortare, vel monere, vel increpare prout viderit ei expedire si voluerit, breviter tamen. Si quis causâ confessionis aliquem eorum qui confessiones audivit, post signum Missæ detinuerit, vel de Missa evocaverit in Capitulo, utroque stante breviter confiteatur.

CAPUT LXXI.

Qualiter se habeant Fratres tempore Lectionis.

CAP. II.

Iuxta hoc caput licitum erat Monachis nostris, tempus omne quod illis ab Officio divino & Opere manuū supererat, vel lectioni vel orationi insumere, idque secundum *Reg. S. Bened. cap.* 48. *& cap.* 53.

FRATRES egressi de Capitulo sedeant ad Lectionem, exceptis illis quibus procurantibus officia legere non vacat. Quæ tamen postquàm expleverint, redeant ad Lectionem. Ad orationem verò ire possunt in Ecclesiam, non solùm tunc, sed & omni tempore Lectionis, & ad omnia intervalla ubi non sedeant, nec caputia in capitibus habeant, nec legant, nec librum teneant. Similiter cum Opus Dei in Ecclesia celebratur, nec caputia habeant in capitibus, nec legant præter illos qui Psalterium nesciunt, & qui ad præsens Opus prævidere, legere, aut cantare aliquid necesse habuerint. Qui verò in Claustro sederint, religiosè se habeant, singuli in singulis libris legentes, exceptis illis qui in Antiphonariis, Hymnariis, Gradualibus cantaverint : & illis qui Lectiones suas præviderint, quas auscultet Cantor vel quilibet Frater ad hoc idoneus ab ipso monitus. Neque inquietent se invicem in quæstionibus faciendis, nisi de productis & correptis accentibus, & de dictione quam legere ignoraverint, & de principiis lectionum ad mensam, & collationem, & ad Vigilias cum necesse fuerit, quæ brevissimè fiant. Si quis habuerit caputium in capite dum legerit, taliter habeat se ut possit perpendi si dor-

miat. Quòd ſi aliquis neceſſe habuerit divertere alicubi, librum ſuum in *Armario* reponat : aut ſi in ſede ſua eum dimittere voluerit, faciat ſignum Fratri juxta ſedenti ut illum cuſtodiat. Quod ſignum etiam poſt Veſperas facere licet. Porrò ſi quis ab aliquo librum in quo legit vel cantat accipere voluerit, neceſſe habens in eo videre, tradat ei alium, & ille cui tradiderit, in pace ei dimittat. Quem ſi ei accommodare noluerit, ille qui petit in pace ferat, donec ſuper eo in Capitulo inde proclamationem faciat. Ita ſe habeant dum ſedent.

Armarium erat cella ſeu locus inter Eccleſiam & Capitulum libris conſervandis præparatus.

Dum verò ambulant humiliter incedant, & diſcooperto capite *ſupplicantes* invicem obviando : quòd ſi Abbati obviaverint, divertant ſe in partem ſupplicantes ei. Quæ ſupplicatio ubique fiat extra Dormitorium, quoties Abbati vel ſibi invicem obviaverint. In labore tamen cum ſibi obviant, nec mutuò ſibi ſupplicant, nec *Benedicite* dicunt. Et notandum quòd nulli ſupervenientium Abbatum in Clauſtro inclinatur, niſi ſicuti Monacho : niſi illi tantùm qui ſedem Abbatis tenet, & proprio Abbati. Nemo per caputium ſignum faciat, nec quis vocet aliquem de longè per vocem vel per ſonitum. Et notandum quòd omni tempore Lectionis poſſunt eſſe Fratres in *Nocturnalibus*. Si quis aliquo modo Fratrem ſuum ſcandalizaverit cum quo loqui non ſolet, dicat Priori : & tunc ſi Prior juſſerit, vocato illo tandiu ante pedes ejus *proſtratus jaceat*, quouſque ille placatus erigat eum.

Supplicantes, hæc ſupplicatio eadem eſt ac Benedictio de qua S. Benedictus loquitur cap. 63. ſuæ Regulæ. Vtraque autem fit capitis apertione & corporis inclinatione. In qua Petrus venerabilis conſtituit 13. diſcrimen Ciſtercienſium à Cluniacenſibus

In Nocturnalibus, id eſt in calciamentis & indumentis quibus Nocte utuntur.

Proſtratus jaceat ſecundùm Cap. Reg. S. Ben. 91.

CAPVT LXXII.

Quas officinas ingredi Fratres debeant, & quando.

§. I.

De Coquina.

NVLLVS ingrediatur coquinam excepto Cantore & Scriptoribus ad planandam tabulam : ad liquefaciendum *incauſtum* : ad exſiccandum pergamenum : & Sacriſta vel quolibet alio pro accendendo lumine in Ec- Cap. III.

Incauſtum, id eſt attramētum.

clesia, vel prunis in thuribulo vel patella imponendis, vel sale benedicendo: sed nec isti intrare debent, si in Calefactorio ignem sufficienter invenerint. Exceptis etiam Cocis Abbatis & Infirmario pro Officio suo, & ille quem Cocus vocaverit, ad ponendam super ignem caldariam vel deponendam.

§. II.

De Refectorio.

IN Refectorium similiter nullus ingrediatur, excepto Infirmario & Cocis utriusque coquinæ, Abbatis scilicet & Fratrum, pro Officio ministerii sui: & cum à Refectorio ad se adjuvandum vocati fuerint, & cæteris omnibus qui bibere indiguerint, & servitore Ecclesiæ pro salino.

§. III.

De Calefactorio.

CALEFACTORIVM possunt ingredi & ad illa quæ superiùs diximus facienda, & ad subtalares ungendos, ad se minuendum, ad calefaciendum. Quòd honestè & non nudis pedibus præsente aliquo faciendum est. Notandum tamen quia has tres supradictas officinas ingredi poterunt Fratres illi, qui *secundùm Regulam* per annum circumeunt Claustra Monasterii.

Secundùm Regulam vide illius cap. 48.

§. IV.

De Auditoriis.

AVDITORIA nunquam ingrediantur; quòd si aliquod opus habuerint, quærant signo vel sonitu ad ostium, & tunc si concessum fuerit, ingrediantur. Ubi non loquantur plures quàm duo simul cum Priore tempore lectionis, nisi fortè Prior pro aliqua necessitate plures sibi convocandos judicaverit. Completo pro quo ingressi sunt, citò exeant nisi detineantur.

§. V.

De Dormitorio.

DORMITORIUM ingrediantur quoties opus habuerint, in quod ingredientes ponant caputia in capitibus ſuis. Intrantes autem Domum neceſſariam quantùm poſſunt abſcondant vultus in caputiis ſuis, & ita aſſideant manicis ante ſe plicatis, & cucullâ ad pedes demiſſâ. Si quando verò ſederint in ſcapularibus, nihilominùs quantùm potuerint ſe ab anteriori parte cooperiant. In Dormitorio non ſedeant, niſi quando ſe calciant vel diſcalciant, vel quando mutant tunicas ſi ſedendo hoc facere voluerint, & tunc in lectis ſuis vel in ſupedaneis. Exeuntes & induentes ſe, honeſtè & cautè faciant, ne nudi appareant: Quod non extra Dormitorium, ſed ad lectum ſuum facere ſolent. Et qui extra jacent, ſimiliter ad lectos ſuos hoc faciant. Cucullas autem & ſcapularia deponere Scriptoribus, Cellerariis, Infirmariis, Cocis utriuſque coquinæ, Abbas licentiam dare poteſt, quibus & ubi viſum fuerit. Hoc etiam provideant, ut adminus quàm poterunt ſine cuculla vel ſcapulari ſint. Nam ſine altero horum vel cingere ſe cuiquam non licet. Nullus in lectum aſcendat rectus, ſed de *ſponda* divertat pedes in ipſum lectum. Nec jaceant ſuper cotos, præter minutos & infirmos qui extra Chorum ſunt, quos poſſunt omnes in æſtate in perticis ponere ſi voluerint. Nullus ibi excutiat indumenta vel faciat ſigna, niſi fortè cum Abbate vel Priore, ſeu quando quis vocat alium ex parte Abbatis vel Prioris.

Sponda, id eſt ſuppedaneum de quo ſupra, aut ſi malueris latus lecti anterius cui aſſiderent & ex quo ſubinde in lectum Monachi pedes ſuos colligerent.

CAPUT LXXIII.

De Mixto.

SI dies fuerit prandii ad *Mixtum* percutiatur ſignum in Eccleſia tribus ictibus ante Sextam. Si autem jejunii, totidem poſt Sextam. Quo audito menſæ Lector

CAP. IV. Quid ſit *Mixtum* de quo hîc & in cap. 38.

Reg. S. Bened. fit mentio, infra deſcribitur. eſt enim *quarta pars libræ panis & tertia pars heminæ vini* & nihil aliud Huic enim *Mixto* ſeu jentaculo nihil aliud S. Benedictus permittit quam *Biberes & Panem* ut patet ex cap. Reg. 35.

& Cocus veniant in Refectorium : quòd ſi alter defuerit, qui præſens eſt non eum expectet. Si ambo aderint, qui inferioris gradûs eſt dicat *Benedicite :* qui majoris, benedicens dicat *Largitor omnium bonorum benedicat cibum & potum ſervorum ſuorum.* Poſt *mixtum* dicat ſub ſilentio, *Retribuere dignare Domine omnibus nobis bona facientibus propter nomen tuum vitam æternam.* Similiter faciant adoleſcentes qui ante Tertiam *mixtum* ſumunt. *Menſura mixti ſit quarta pars libræ panis & tertia pars heminæ vini.* Sumpto itaque *mixto* ſi quid reſiduum fuerit, referant panem in arcam & vinum in vas. Et ſciendum quòd à capite jejunii uſque ad Paſcha (exceptis Dominicis diebus) & tribus diebus Rogationum, & quatuor Temporum, & Vigiliis Domini & Sanctorum, *mixtum* non ſumitur.

CAPUT LXXIV.

Qualiter ſe habeant Fratres in hyeme privatis diebus à Vigiliis uſque ad Tertiam.

CAP. V.

Proſternantur ſcilicet ſuper formas Chori. *ad orationem* id eſt, ad *Pater noſter & Credo in Deum. Secundùm Regulam* id eſt ſecundùm cap. 8. & 9. Reg. S. Ben.

A Kalendis Novembris uſque ad Paſcha, excepto à Nativitate uſque ad Octavam Epiphaniæ privatis diebus ad Vigilias *proſternantur* Fratres *ad orationem* & ad *Domine ad adjuvandum me feſtina,* ſuper formas, & ad *Kyrie eleiſon* ſicut ad cæteras horas. Cætera compleantur *ſecundùm Regulam,* ſicut ſuperiùs diximus. Poſt Vigilias verò, vel poſt *Officium Defunctorum* ſi dicendum fuerit, accenſo lumine à Servitore Eccleſiæ ante Armarium & in Capitulo, ſedeant Fratres in ipſo Capitulo, & legant qui voluerint : nec ſedeant in angulis niſi legentes. Qui taliter habeant caputia in capitibus, ut poſſit agnoſci ſi dormiant, an non. Audito horologio eant ad neceſſaria qui neceſſe habuerint, ut dum ſignum pulſaverit, omnes ingredi Chorum parati ſint. Servitor verò Eccleſiæ providere debet, ut per omne ſpatium illud lumen ardeat ante Armarium. Si autem Abbas voluerit in Clauſtro lumen ardere, dum Fratres in Eccleſia noctibus Opus Dei agunt, licet ei. Sacriſta verò non dimit-

tat ſignum quouſque Abbas faciat ſonitum ad faciendam *orationem*. Sed nec ad cæteras horas, niſi ad Vigilias & ad Primam omni tempore, & ad Tertiam ab Idibus Septembris uſque ad Paſcha, quando laboramus & jejunamus.

Ad faciendam orationem id eſt ad *Pater* & *Ave* dicendum.

Quicunque autem ad orationes, quæ ante regulares horas fiunt, non affuerint, veniam petant in Capitulo, excepto Priore, vel alio qui Conventum tenuerit, & exceptis Cellerariis & Monacho hoſpitali, & Cantore tempore lectionis, & his qui Miſſas audiunt. Omnes tamen intereſſe debent orationibus quibus *Pater noſter* & *Credo in Deum* dicitur. Sed nec aliquis horum excipitur ab illis orationibus, quæ fiunt ad utraſque Veſperas in feſtivitatibus: quòd ſi fortè poſt matutinas, dies nondum claruerit, accenſo lumine à Sacriſta fiat intervallum, & fratres qui voluerint ſedeant in Clauſtro, ſed non legant.

Apparente autem die pulſetur ſignum: & facta oratione, ſuper *formas* aut *miſericordias*, ſi tale tempus fuerit, ſignantes ſe inclinent: & ſimiliter faciant omnibus horis poſt factam orationem. Dum autem Sacerdos finierit *Deus in adjutorium*, ad *Gloria Patri* incumbant ſuper *formas* aut incurventur, ſicut tempus dictaverit: & ſimiliter ad omnes horas diei faciant. Dictâ itaque Primâ, *cantetur Miſſa*. Poſt Miſſam pulſato ſigno ad Tertiam, fratres intrantes Eccleſiam aſpergant ſe aquâ benedictâ, & dimiſſo ſigno fiat oratio ſicut ad Vigilias. Cantatâ Tertiâ eant in Capitulum, ſicut ſuperiùs diximus, & ſimiliter fiat diebus feſtivis quibus laboramus. Monacho liceat portare ſcapulare cum una vel pluribus tunicis, ſub una vel duabus cucullis cùm neceſſe fuerit.

Apparente, &c. ut nimirum ſecundùm cap. 8. Reg. *incipiente luce* matutini ſeu laudes exſolverentur. Itaque *Laudes* excipiebat *Prima*, & *Primam Miſſa* & *Miſſam Tertia* poſt quam Capitulum ingrediebantur: & hoc à Calendis Novẽbris uſque ad Paſcha, diebus ſcilicet privatis & feſtis quibus labori ſeu operi manuum vacabant.

CAPVT LXXV.

De Labore.

FINITO *Capitulo* & præparatis Fratribus *ad laborem*, pulſetur tabula à Priore vel à Subpriore, vel certè ab alio ſi Prior juſſerit: ipſis tamen majori utilitate

CAP. VI. Finito *Capitulo* id eſt circa horam ferè ſex-

forſitan occupatis. Ad cujus ſonitum *conveniant omnes*, exceptis infirmis & variis officiis deputatis. Servitor tamen infirmorum, niſi apparatu infirmorum detentus fuerit, & Cantor, & Sacriſta, & Hoſpitalis, & Magiſter Novitiorum, ſicut & alii conveniant, niſi aliquos horum pro majori fortè occupatione Abbas in Capitulo inde abſolverit. Prior ſi domi fuerit, ſemper *tabulam* pulſet, & ordinet laborem ſuum in Auditorio. Si verò extra Chorum fuerit, Subprior vel cui injunctum fuerit pulſet tabulam: Prior tamen nihilominùs reſidens in Auditorio ordinet laborem ſuum. Tunc ſi quis pro qualibet neceſſitate remanere voluerit, oſtendat ei cauſam ſuam & quod Priori viſum fuerit, faciet: quòd ſi conceſſerit remanere, provideat ipſe, illo Fratre commonente, quid facere debeat, poſtquàm illud compleverit pro quo remanſerit. Quòd ſi aliqua gravi neceſſitate impediente tabulam pulſare, & laborem, ſicut dictum eſt, ordinare non poterit; Subprior vel cui injunctum fuerit idem faciat, *ſigno* ſi poteſt universa ordinans: quòd ſi ſigno non potuerit, verbum faciat omninò breviatum, & de labore tantùm. Si verò Abbas vel Prior aliquem retinere voluerit; qui retinetur, ſignum faciat ei qui tabulam percutit: ſi ante laborem facere non potuerit, poſt laborem innuat. Ferramenta & alia inſtrumenta ad laborem neceſſaria Prior dividat prout viderit expedire.

Exeuntes autem ſequantur Priorem, vel quem Prior juſſerit: ſimiliter poſt laborem. Egreſſus ad laborem initium & finis pauſationis & reditus à labore, ſonitu cujuſcunque rei potius ſignificetur quàm voce. Provideat autem Abbas aliquem maturum Fratrem qui Conventum ſubſequatur cùm ad laborem ierit, vel inde redierit. Pervenientes verò ad laborem non multiplicent inter ſe ſigna: nec præſumant loqui, niſi fortè de ipſo labore breviter & neceſſariò & ſilenter cum Priore ſeorſum à Fratribus. Sed & Prior raró loquatur abſente Abbate, præſente verò ob reverentiam ipſius rariſſimè. Notandum tamen quia Prior abſente Abbate ibi confeſſionem recipere poterit, ſi neceſſe fuerit. Subpriori verò etiam Abbate & Priore abſentibus confeſſionem ibi recipere non liceat, niſi de aliqua re, utpote de illuſione ſomnii,

tam, ſecundùm Reg. S. Bened. *cap.* 48.

Ad laborẽ. Hoc noſtrorum à Cluniacenſibus octavum diſcrimen, quod noſtri non illi, operi manuum vacarent juxta *Reg S. Ben.* vide *Petrum Clun. Epiſt.* 47. *lib.* 4. *Epiſtol.*

Conveniant omnes, &c. vide prædict. cap. Regul.

Tabula id eſt inſtrumentum ligneum ad convocandos Fratres deſtinatum.

Signo, &c. His *ſignis* quæ ad longum & fusè R. P. *Julianus Garnier* tranſcripſit in ſuo ſuper S. Benedicti Regulam Commentario, occaſionem dedit S. Benedictus, tum juge ſilentium ſuis Monachis imperando, tum fortè permittendo ut neceſſaria comedentibus ſigno potius peterentur quam voce. *cap.* 38.

ſomnii, vel cùm ibi quis aliquid deliquerit, & hoc tamen breviter ſtando: nam illis præſentibus nullo modo ſe intromittet. Non repauſent nec digrediantur alicubi quacunque neceſſitate ſine licentia. Sed ſi contigerit digredi, expleta neceſſitate ad laborem citiùs revertantur. Si Lector vel Cocus vel Refectorarius ibi fuerint, audito ſigno ad *mixtum* vel antequàm ſignum pulſetur, ſecundùm quòd longiùs à Monaſterio vel propiùs laboraverint, quærant à Priore licentiam eundi: quid etiam poſt *mixtum* facere debeant. Cùm repauſaverint ſecundùm quòd qualitas aëris & ſitus loci permiſerit, circa Priorem repauſent. Quandiu autem repauſaverint, inter ſe non ſignificent. Et ſciendum quòd tempore laboris nec legere, nec etiam ad laborem librum deferre cuiquam liceat. Nullus etiam ſine cuculla vel ſcapulari, vel ibi vel alibi loquatur vel ſignificet. Audito ſigno *ad horam* intermittant opus, etiamſi ibi horam cantaturi ſunt. Et qui in Eccleſia fuerint, citiùs cantent, ſervato tamen moderamine gravitatis. Similiter fiat quando Conventus in Clauſtro vel infra terminos laborat. Si Prior ſignum non audierit, qui audit tam tempore ſecationis quam alio ſignificet ei. Qui laborem ſervat etiamſi Sacerdos non fuerit, orationes ante horas ſemper ipſe terminet. Verſiculos & Reſponſoria ipſe per ſe dicat aut alii injungat: ſi verò Sacerdos fuerit, abſente Hebdomadario, etiam horas incipiat, *Capitula, Pater noſter & Collectas* aut ipſe ſuppleat aut alii injungat. Prior tamen & Subprior, ſi Diaconi fuerint, *Pater noſter* ſibi reſervent: ſi infra, qui cantat horam totum compleat. Cùm Conventus infra terminos laboraverit & fortè bajulaverit ligna vel tale quid quod ſine damno relinqui poſſit: quando audierint ſignum quod ante horam pulſatur, dimittant ibi quod bajulant, & feſtinent ad horam venire. Si intra Auditorium vel Clauſtrum fuerint quando prædictum ſignum audierint, onera ſua ad deſtinatum locum bajulent, & ſic ſe ad horam præparare feſtinent. Et ſi quid portaverint quod ſine damno negligenter relinqui non poſſit, ſicut panem vel vinum vel annonam vel cætera hujuſmodi, aptum locum quærant & ibi dimittant. Si extra terminos laboraverint, & ad horam in Monaſte-

Ad horam ſcilicet tam Sextæ quam Nonæ.

rium occurrere non debuerint, dicant ibi horam, & poſteà onera reſumant.

Revertentes autem de ipſo labore, ponant inſtrumenta quæ detulerant, ubi ad laborem præparari ſolent, aut Priori reddant, exceptis forcipibus, ſarculis, furcis, raſtris & facillis, quæ per totum tempus tonſionis, ſarculationis, ſecationis, vel meſſionis unuſquiſque ſua, circa lectum cuſtodire ſolet. Quòd ſi tunc hora Operis Dei in Oratorio celebratur, omnes feſtinent ſe ad Opus Dei prævenire. Si autem *Gloria* primi Pſalmi dicta fuerit, niſi K*yrie eleiſon* jam inceptum eſt, ſi fieri poteſt in unum congregati, Priore præeunte, venient ad *gradum*, prioribus ordinatis in medio: ubi abſente Abbate & Priore, cuſtos laboris in medio ſit. Et tunc petant veniam ante gradum aut flexis genibus in terra: aut tantùm manibus ſuper cucullam in terra demiſſis ſecundùm tempus. Ad K*yrie eleiſon* proſternantur ſuper genua vel incurventur ſecundùm tempus uſque ad finem horæ. Quòd ſi licentiam eundi in ſtalla habuerint, inclinent priùs deferenti, & poſteà verſus Altare: & ſic pergant in ſtalla ibi ſatisfacientes ſuper articulos manuûm. Hoc enim modo ſemper debent ſatisfacere inter ſtalla: excepto illo qui pro graviori culpa ſatisfacit. Et notandum quòd licentiam deferens non inclinet ad Altare priuſquam ſignum licentiæ fecerit: ſed dextrâ manu extentâ atque reſupinatâ, ducat eam à ſiniſtra ſua per ante pectus ſuum in dexteram: & tunc ſibi mutuò inclinent, deinde verſus Altare. Qui in Clauſtro remanent, ex quo Conventus egreſſus eſt foras laborare, quandiu Conventus foris eſt, inter ſe non ſignificent. Coci tamen & qui Refectorium faciunt & qui libros emendant, de ſibi neceſſariis inter ſe ſignificare poterunt. Similiter etiam ii quibus ob aliquod ſibi injunctum officium ſignificandi licentia data fuerit, ubi & cum quibus eis ordinabitur ſignificare poterunt.

Ad gradum ſcilicet *Presbyterii* ad quem ſe ſiſtere *Noſtri* juſſerũt eos qui tardiùs ad Opus Dei occurrerẽt, idque juxta Regulam *S. Benedicti cap.* 41. quæ hujuſmodi negligentes vult in ultimo loco conſiſtere aut in alio loco ſeorſum ab aliis in pœnam ſuæ negligentiæ. Huic ergo Pœnitentiæ ſeu ſatisfactioni exſolvendæ noſtri Ciſtercienſes gradum Presbyterii aſſignarunt, tanquam locum ad id maximè idoneum in quo ſeorſum ab aliis & omnium ultimi ſtarent & ex quo ab omnibus facilè videri poſſent hujuſmodi negligentes, quod utrũque poſtulat S. Benedictus.

CAPUT LXXVI.

De Refectione.

POST *Horam* Prior pulſet ſignum, vel cui injunxerit ipſe: quòd ſi fortè per negligentiam cibus nondum paratus fuerit, non pulſet donec paratus ſit: nec Fratres abluant manus, ſed interim ſedeant in lectione donec ſignum pulſetur. Quòd & ad omnes refectiones ſimiliter teneatur. Ablutis igitur manibus & deterſis intrent Refectorium, & venientes ante ſedes ſuas inclinent ſe verſus principalem menſam: deinde erigantur, & ſic ſtent donec Prior veniat. Si autem Prior diù moratus fuerit, quòd omninò debet cavere Prior, ſedeat interim qui voluerit. Cùm ergo Prior venerit, aſſurgant ei. Qui Prior inclinet ſe ante ſedem ſuam antequàm pulſet campanam; quæ tandiù pulſetur ad utramque refectionem, ut *Miſerere mei Deus* totus Pſalmus dici poſſit. Et dum pulſatur, qui in loco ſuo eſt, non divertat alicubi donec verſus perdicatur. Quâ dimiſsâ dicat Conventus *Benedicite*, & dicto verſu cùm dixerit *Gloria Patri*, incurvetur Chorus contra Chorum dicentes, *Gloria Patri*, *Kyrie eleiſon*, & ſub ſilentio *Pater noſter*. Cùm autem Sacerdos dixerit *Et ne nos* erigat ſe, & ſtans verſus principalem menſam dicat *Oremus*, *Benedic Domine dona tua*, &c. faciens unam crucem, & ſic compleat totam benedictionem, quâ completâ erigant ſe fratres, & ingrediantur menſas.

CAP. VII. *Poſt horam.* Nota *noſtros*, ſolitos immediatè poſt horam Officii Divini ad menſam accedere: ut nonniſi per orationem & poſt cibum ſpiritualem, ad corporis refectionem tranſirent.

Porrò Cellerarius & Coci provideant ut *ambo pulmentaria* priuſquàm campana pulſetur (ſi ſic tamen Abbas viderit expedire) per menſas diſponant. Ex quo autem campana pulſatur, ſi quid adhuc de pulmentis deferendum eſt, non feratur donec Lector incipiat legere. At ſi Lectore incipiente legere totum vnum adhuc pulmentum per menſas deferendum eſt, hoc feratur ordine; ſcilicet ut duæ ſcutellæ priùs deferantur, una ſcilicet Priori vel Abbati ſi affuerit, & poſt *Defunctis tres*. Deinde duæ in dextera parte, & duæ in ſiniſtra, & ſic duæ hinc,

Ambo Pulmentaria. In hoc fuit conſtitutum quintum diſcrimen *noſtrorum* à Cluniacenſibus, quòd *noſtri*, non *illi*, duobus Pulmentis regularibus contenti eſſent juxta *cap.* 39. *Reg. S. Bened.*

Defunctis tres. Enpietatem *Noſtrorum* erga Defunctos Dabantur autem hæc eorum pulmenta Pauperibus.

Superaddere hoc intellige, de *Pitantiis* quæ ex pietate & miſericordia minutis & infirmioribus ultra regularia pulmenta permittebantur, de quibus in ſequentibus ſæpiùs recurret mentio.

De cibo communi hoc eſt de pulmentis regularibus.

Cæterùm ut de victu noſtrorum antiquorum Monachorum quotidiano nonnulla hoc in loco perſtringam.

Conſtat I. ut patet ex pluribus libri hujus capitibus & maximè ex *cap.* 76. 84. *&* 90. Libram panis communis & Heminam vini ad quotidianum Victum eos habuiſſe, idque juxta Regulam S. Bened. *cap.* 39 *& cap.* 40.

Conſtat II. eos ſive bis ſive ſemel tantùm reficerent, ſingulis diebus, cocta duo pulmentaria habuiſſe, *quæ*, teſte Stephano Epiſcopo Tornacenſi, in Epiſ.

& duæ inde uſque ad ultimum. Appoſito itaque communi cibo, ſi Cellerarius voluerit *ſuperaddere* pro miſericordia illis, de quibus indictum eſt ei ab Abbate, ipſemet deferat eis, & ſicut voluerit diſtribuat: hoc idem faciat & minutis. Incepta ergo lectione Fratres diſcooperiant panes, Priore tamen priùs hoc faciente. Ex hinc nullus exeat de Refectorio, nullus etiam incedat comedendo. Nullus ibi abluat ciphum manu, ſed liniat qui voluerit. Nullus tergat manus vel cultellum ad mapulam, niſi priùs terſerit cum pane. Qui voluerit ſal accipere, cum cultello accipiat. Qui bibit, duabus manibus teneat ciphum. Si quis viderit alicui deeſſe quod habere debet, requirat à Coco vel à Cellerario. Qui aliquid apponit, & cui apponitur, invicem ſibi inclinent. Cui autem Prior aliquid miſerit, priùs inclinet deferenti, deinde aſſurgens humiliet ſe verſus Priorem. De *cibo communi* nemo dividat alicui. Quòd ſi cui aliquid ſuperadditum fuerit, niſi pro minutione vel infirmitate ei datum fuerit à Cellerario, tantùm poteſt dare juxta ſedenti ad dexteram & ad ſiniſtram: illi verò nulli dare debent. Si autem uni tantùm dederit, ille poteſt dare juxta ſe poſito, ſed ultrà non procedat. Hanc legem *Pitantiarum* omninò teneat Prior, ſicut & cæteri. Verumtamen hoſpites de potu ſuo generali alii non dent, nec alius accipiat. Si quis de comedentibus vel de ſervitoribus offenderit aliquo modo, petat veniam ante gradum. Et facto ſonitu à Priore cum cultello, ſurgat & inclinet, & redeat ad locum ſuum. Remotis ſcutellis, colligat Cocus coclearia priùs à dextera parte, incipiens à Priore: dehinc ad ſiniſtram, incipiens juxta Priorem.

Cùm Prior finiri voluerit lectionem, Lectori dicat *Tu autem*: & reſponſo *Deo gratias*, cooperiant quod ſupereſt de pane. Inclinato Lectore, pulſet Prior campanam, & mox ſurgentes ſtent ante menſas eo ordine quo ante refectionem ſteterunt, dicentes verſum quem Cantor incipiat campanâ dimiſsâ: quo dicto inclinent, & exeant cantantes *Miſerere mei Deus*, quem incipiat Cantor, illis cum eo cantantibus qui ſtant in dextro Choro in Eccleſia: ſecundum verò verſum dicat ſiniſter Chorus. Et ſic cantent cæteros alternatim, bini & bini euntes, juniori-

bus ſcilicet præeuntibus: ita tamen ut Prior, vel quilibet Conventum tenens, ſolus eos in medio utriuſque Chori ſequatur. Sed ſi Abbas aliquis affuerit, eat Prior cum ſocio, Abbas autem ſolus: ſi duo Abbates fuerint, eant ſimul. Fratribus itaque intrantibus Eccleſiam, qui Prior Clericorum Chorum intraverit, ſi hoc convenienter implere poſſit pulſet ſignum. Ingredientes verò Chorum ordinentur ſicut ad Miſſas verſis vultibus ad Altare uſque ad *Gloria Patri*: & tunc proſternantur ſuper *formas*: vel ſi tale tempus fuerit, inclinent: & poſt reſideant ſuper *miſericordias*. Finitis gratiis ſurgentes inclinent, & ſic recedant, tamen cum reverentia.

tola ad Robertum Pontigniacenſem, *ager ex leguminibus aut ex oleribus hortus illis ſubminiſtraret.*

Conſtat III. eos minutis, debilibus & infirmis Pitantias aliquas ex pietate & miſericordia aliquando indulſiſſe eaſque teſte Iacobo Cardinali de Vitriaco in ſua *Hiſtoria Occidentis capite decimo quarto* ex piſcibus, ovis, lacte & caſeo præparari ſolitas.

Conſtat IV. eos in æſtate, meſſis tempore, diebus quibus laborabant unum pulmentum ad Prandium & alterum ad Cœnam illudque coctum habuiſſe, ut patet ex *cap.* 84. hujus libri. Ac conſequenter aliis diebus ſi quando cœnarent, non niſi fructus, olera aut naſcentia leguminum, eaque cruda accepiſſe. Vt vel ex his appareat hos Pauperes Chriſti non ſolùm labore manuum ſuarum, Ruſticanorum more, ſibi victum comparaſſe, ſed in victu Pauperum alimenta æmulatos eſſe, & quod majus eſt eos, eodem Cardinali de Vitriaco teſte, *tanquàm boves de Armento Domini paleam manducantes, grana ſupervenientibus reſervaſſe*, quippe qui hoſpitibus panem album apponerent, Cibarium & Secundarium ſibi reſervantes. Quod ſi cui duriùs videatur, ſciat ex S. P. noſtro Bernardo quòd *ſapores rebus reddit exercitium quos tulit inertia. Olus enim*, ut ipſe ait in Epiſtola ad Nep. *Faba, Pultes, paniſque cibarius cum aqua, quieſcenti quidem faſtidio ſunt, ſed exercitato magnæ videntur deliciæ.*

CAPVT LXXVII.

De Servitoribus.

TVNC pulſetur campana ad convocandos Servitores: qui congregati dicant verſum voce mediocri. Abſente Abbate & Priore, qui prior eſt ordine converſionis, niſi ibi ſit aliquis ſuperioris gradûs, cibum ſemper benedicat. Ab eo autem qui ſuperioris vel æqualis gradûs fuerit menſæ Lector petat benedictionem, & dicat lectionem *Deus charitas eſt, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo*, ante refectionem. Et poſt, *Deus pacis & dilectionis ſemper maneat cum omnibus nobis.* Quòd ſi ipſe Lector ſuperioris gradûs fuerit, aliquis Clericorum ab eo petat benedictionem, & dicat utramque lectionem: ſi verò nullus Clericus ibi fuerit, Laïcus petat benedictionem, & ipſe Lector dicat lectionem. De pitantiis ſicut ſupra ordinavimus, fiat: ſi tamen in ea C. VIII.

parte Refectorii nullus præter eum fuerit, licebit eum transire in aliam partem, & dare cui voluerit. Post refectionem dicta lectione, versum dicant ibidem voce medioeri adjungentes *Miserere mei Deus*, versis vultibus ad invicem, nullo tempore se ibidem prosternentes. Sicque finitis gratiis, Lector mensæ omni tempore post refectionem Servitorum, excepto quando Fratres in æstate post prandium dormierint, nolam tandiu pulset, ut unum *Pater noster* perdici possit. Quo expleto non pulsentur Vesperæ, donec ad necessaria ire, & lectiones prævidere, si hora permiserit, possint.

CAPVT LXXVIII.

De Vesperis.

Cap. IX.

AD Vesperas incipit Hebdomadarius primam Antiphonam, secundam qui ante omnes stat in altero Choro, exceptis Abbatibus: tertiam ille qui stat post Hebdomadarium: quartam verò qui est secundus in altero Choro. Absente verò Hebdomadario quicunque primam Antiphonam incepit, sive sit superior Hebdomadario sive inferior: si alius juxta se inferiùs supervenerit, tertiam Antiphonam ei *imponendam nominet*. Si nullus inferior fuerit, & alius post primam Antiphonam juxta se superiùs advenerit, tertiam Antiphonam ei incipiendam nominet: similiter faciat qui secundam Antiphonam incipit in alio Choro. Qui autem cantat Responsorium, antequàm illud incipiat, inclinet; & post versum iterùm inclinet. Quando verò canitur Responsorium de aliqua historia, postquàm inceptum fuerit vertant vultus ad invicem, tam ille qui incipit quàm cæteri: Hymnus sic incipiatur, ut ad Laudes diximus. Si benedictio de via regressis danda fuerit, ante commemorationes, si affuerint, detur: & stent Fratres versis vultibus ad Altare, donec benedictio compleatur. Quòd similiter ad omnes horas, sive euntibus sive regredientibus fiat, præter Completorium quando super *formas* jacemus.

Imponendam nominet. Nimirum Fratri hospiti seu supervenienti, idque evitandæ confusionis causâ in Officio Divino.

CAPVT LXXIX.

Quomodo ſe habeant Fratres poſt Veſperas omni tempore.

POST Veſperas ſedentes in Clauſtro omni tempore, non altè legant vel cantent, non ſignificent niſi de *mandato* hoſpitum vel de petenda licentia bibendi: aut quando quis ex parte Abbatis vel Prioris aliquem vocat, ſive cùm aliquis facit ſignum juxta ſedenti ut librum ſuum cuſtodiat: nec jungantur ſimul, nec veſtimenta virgâ excutiant, niſi tempore ſecationis & meſſionis, quando tempus lectionis ante Sextam non habuerint. CAP. X.

CAPVT LXXX.

De bibere poſt Veſperas.

De *Bibere* id eſt de Potu.

SACRISTA autem pulſante in Eccleſia ſignum, conveniant in Refectorium *ad bibendum*, & inclinantes ante ſedes reſideant, Priore tamen priùs reſidente: A quo pulſatâ campanâ, dicto priùs *Benedicite* à Cantore, dicat benedictionem Hebdomadarius: qui verò poſteà occurrerit veniens ante gradum quærat licentiam bibendi; quâ perceptâ inclinet ibi, & eat ad ſedem ampliùs non inclinans: nec ſe admiſceat his qui in ſuperioribus ſedibus ſedent, ſed in ſedibus quæ ante menſas ſunt aſſideat, & ibi bibat, niſi fortè ad caput alicujus menſæ ſedere debeat. Deinde Prior *percutiat* campanam uno ictu, poſt quem nemo ingrediatur Refectorium, & facto intervallo ſequantur tres alii ictus, ad quos ſurgentes & ante menſas vel ad capita menſarum inclinantes, exeant. Qui verò huic *bibere* defuerit, in Capitulo ſatisfaciat, exceptis Cellerariis, Infirmariis, Hoſpitali, Portario, his etiam qui in ſuſcipiendis occupantur hoſpitibus, ſed & illis quos certis ex cauſis Abbas hinc abſolvendos judicaverit. Qui tamen omnes competenter adeſſe pote-

CAP. XI. Rectè *ad Bibendum* quia nihil præter potum accipiebant.

Percutiat. nimirū ut datâ per hoc ſignum bibendi licentiâ, non niſi ſimul & poſt Superiorem bibere inciperent.

runt, deeſſe non debent. Ad hos *biberes*, ſicut & ad illos qui fiunt in æſtate poſt Nonam, ſi quis ante ictum nolæ aliquid deliquerit, ibi ſatisfaciat : ſi verò poſt, in craſtino Capitulo veniam petat.

CAPVT LXXXI.

De Collatione.

Cap. XII. *Ad Collationem* id eſt ad lectionem collationum Ioan. Caſſ. juxta *cap. 42. Reg. S. Ben.* qui has collationes aut vitas SS. Patrum hàc ipſâ horâ, id eſt ante Completorium legi voluit, in præſentia totius Conventus potius quam alios Sacræ Scripturæ libros, utpote intellectu faciliores.

ACCEDENTES verò ad *collationem* inclinent : & ſic reſideant, licet nondum ſignum pulſetur. Frater autem ibi lecturus ex quo venerit eat ſeſſum ad analogium, & aperto codice uſque ad Abbatis adventum, ibi ſub ſilentio ſi voluerit, legat. Sabbatis quandiu pedes lavantur, quamvis interim in illa ſede ſedeat, legere tamen ibi non ſolet. Adveniente Abbate aſſurgant omnes & inclinent illi ante quos tranſierit : Priori verò aſſurgant tantùm, vel illi qui Conventum tenuerit, quo reſidente reſideant. Tunc Lector acceptâ benedictione legat. Huic benedictioni interſint omnes: exceptis Priore, vel alio qui Conventum tenuerit, Cellerariis, Refectorario & adjutoribus ejus, Grangiario, Hoſpitali, Magiſtro Novitiorum, Servitoribus Abbatis, & his qui ſignum pulſant ad Collationem. Interim qui *biberi* defuerit, ſolus & ſine licentia in Refectorio poteſt bibere, etiam in ſcapulari. Abbas autem ſi expedire judicaverit, provideat maturum aliquem Fratrem, qui tempore lectionis poſt prandium propè oſtium Refectorii ſedeat jugiter, ut ſi quis bibere voluerit, ſignum ei faciat, & ille eat cum eo ad ſolatium ejus : ſi fortè ille defuerit (quòd tamen cavere debet) ſine ſigno aliquo eat bibere qui neceſſe habuerit. In illis autem Abbatiis ubi talis Frater non fuerit conſtitutus, ab aliquo de maturioribus Fratribus ſigno licentiam petat, & ſic intret & bibat. Abbas non quærat licentiam bibendi vel minuendi, nec Prior niſi ab Abbate : ſed nec Subprior, niſi ab Abbate vel Priore. Lectione igitur finitâ ſurgant omnes, & ſtantes verſi ad orientem dicat Abbas, *Adjutorium noſtrum in nomine Domini:* & Conventus reſpondeat, *Qui fecit cœlum & terram*,

&

& inclinantes omnes ingrediantur Eccleſiam. Quòd ſi quis ad collationem non occurrerit, ita ut antequàm *Tu autem* dicatur, ſedeat: cùm incipietur Hymnus Completorii, eat ante gradum Preſbyterii, & verſus ad Altare ibi permaneat, de cætero ſe habens ſicut illi qui ſunt in Choro uſque ad finem orationis poſt Completorium. Si verò alicui de via reverſo benedictio datur, ille qui hujuſmodi facit ſatisfactionem in partem prope gradum divertat, & datâ benedictione ibidem ſolitam orationem faciat.

CAPVT LXXXII.

Qualiter ſe agant Fratres poſt Completorium.

DICTO Completorio, cùm Sacerdos dixerit, *Benedictio Dei omnipotentis*, ſignent ſe Fratres, & dicto *Amen*, dicant orationem *Pater noſter*, & *Credo in Deum*. Quòd ſi reverſo de via benedictio danda fuerit, ſi Conventus ſuper *formas* proſtratus fuerit, nequaquam ſurgat, ſed nec Sacerdos qui benedictionem dederit. Si verò ſuper *miſericordias* ſederint, erigant ſe & ſtent verſi ad Altare dum dicitur benedictio; quâ dictâ iterùm reſidentes ſuper *miſericordias* ſolitam orationem faciant. Ipſe autem Frater quo loco benedictionem accepit & orationem faciat: ſi tamen cum aliis in Choro ad Completorium fuerit. Completa autem oratione exiens Abbas aſpergat ſingulos aquâ benedictâ poſt ſe ordinatim egredientes: qui mox mittentes caputia in capitibus, & nuſquam divertentes præter Sacriſtam, & eos qui extra Dormitorium jacent: & eos qui ad vigilias remanent præſentis Defuncti omnes ingrediantur Dormitorium, unde nullus excepto Sacriſta, Cellerario Hoſpitali, Cuſtode infirmorum, & ad faciendum mandatum, exeat. Sine *cuculla* verò, *tunica*, *caligis*, jacere non debent.

C. XIII.

Sine *Cuculla Tunica* &c. ſcilicet ut juxta *cap. 22. Regulæ* Veſtiti dormirent.

CAPVT LXXXIV.

Qualiter ſe agant Fratres in æſtate, de vigiliis & uſque poſt veſperas.

C. XIV. A Paſcha uſque ad octavas Pentecoſtes privatis diebus cantatur *Venite exultemus Domino* ab uno Fratre cum invitatorio : & ab octava Pentecoſtes uſque ad Kalendas Novembris alternatim ab utroque Choro, ſicut *Domine quid multiplicati ſunt :* quo tempore, ſcilicet ab octava Pentecoſtes uſque ad Kalendas Novembris, proſternantur Fratres ſuper formas ad orationem, exceptis octavis Aſſumptionis ſanctæ *Mariæ.* Cætera verò ſicut ſuperiùs diximus, ſecundùm Regulam compleantur. In intervallo verò poſt nocturnos ſedeant in Clauſtro qui voluerint, lumine accenſo à Servitore Eccleſiæ, ſi neceſſe fuerit. Poſt Matutinas dicant Laudes pro Defunctis, quibus dictis & facto intervallo ſicut feſtis diebus calcient ſe diurnalibus & ſumant cultellos : quòd & faciant quoties calciant ſe diurnalibus conſuetè. Deinde aſperſi Aquâ benedictâ & factâ oratione ſecundùm tempus dicant Primam. Deinde eant in Capitulum, poſt hæc in laborem uſque ad primum ſignum Tertiæ, quo audito præparent ſe qui Miſſam cantaturi ſunt. Interim poſſunt ire ad confeſſionem in Capitulo, *poſſunt & orare & legere.* Indutis miniſtris cantetur Tertia. Si verò aliquis miniſtrorum Hebdomadarius Invitatorii fuerit, officium ejus impleat, qui eo abſente implere debet. Poſt Tertiam cantetur Miſſa, poſt Miſſam ſedeant in Clauſtro : quòd ſi dies jejunii fuerit omnibus (ordine prædicto) celebratis, poſt Sextam Laïcis Fratribus præeuntibus intrantes Dormitorium pauſent in lectis ſuis uſque ad horam octavam, & tunc Sacriſta ad ſonitum horologii excitatus pulſet campanam, ſicut aliis diebus fieri ſolet : ad quam Fratres excitati, ſcapularibus induti, abluant qui voluerint manus ſuas : deinde tabulâ pulſatâ laborent uſque ad primum ſignum horæ Nonæ. Quod ſi dies fuerit, quo debeant hebdomadarii *mixtum* ſumere, Sacr[illegible] in [illegible] ſpa-

Poſſunt orare & legere quia utrumque illis promiſcuè in his intervallis licitum erat.

tio quantùm viderit competere ; pulſet *mixtum* : refectione autem peracta reliquum diei peragant ſicut privatis diebus per hyèmem. In vigilia verò Pentecoſtes dormitionis ſpatium poſt Sextam Sacriſta ſic debet temperare, ut ſubſequens intervallum officio quod ante Nonam celebrandum eſt, ſufficere poſſit : Fratribus verò ſolito ſigno excitatis, ſtatim miniſtri Altaris ad officium ſe præparent : interim autem Conventus vacet lectioni, & miniſtris indutis pulſetur ſignum. Quòd ſi dies jejunii non fuerit : poſt Tertiam cùm hòra fuerit ad percipiendum *mixtum*, pulſetur ſignum à Sacriſta modo quo diximus. Poſt Sextam eant in Refectorium : poſt refectionem ad orationem pergentibus, nullus fiat obvius, nec quando poſt verſum exierint, vel quando poſt Nonam in Refectorium, vel quando poſt Completorium in Dormitorium, ſeu etiam quando Capitulum ingrediuntur. Exeuntibus omnibus de Eccleſia & ſequentibus Priorem eo ordine quo ſtant in Choro, nullus ſe disjungat à Conventu, donec intrent Dormitorium : præter Sacriſtam & eos qui extra Dormitorium jacent ; unde nullus exeat ſine licentia : excepto Sacriſta, Cellerario, Hoſpitali, *Solatio*. Cocis Abbatis, Cuſtode infirmorum, Subportario, vel Portario, ſi tunc affuerit cauſa officii ſui. Servitores verò poſt refectionem cantantes *Miſerere mei Deus* verſum ibidem compleant, nullo tempore ſe proſternentes. Deinde intrent Dormitorium. Porrò Cellerarius referat ſcutellas ſervitorum in Coquinam, ne poſt Nonam à Fratribus in Refectorio inveniantur. Moxque ut expeditus fuerit, collocet ſe in Dormitorio ſicut & alii : facto verò ſigno ad ſurgendum, Coci feſtinent parare aquam in Lavatorio ad lavandum, & in Refectorio ad potandum. Cæteri verò præparati & manus abluti, aut intrent Chorum : aut ſedeant in Clauſtro donec ſignum pulſetur.

Solatio. Per ſolatium intelligẽ eum qui juxta Regulam S. Bened. debet concedi cuilibet *Officialium* adjuvando, in iis quæ ad ejus Officium pertinẽt, cum opus fuerit.

CAPVT LXXXIII.

De Bibere poſt Nonam.

Cap. XV.

DICTA Nonâ eant in Refectorium, præeuntibus junioribus eo ordine quo ſtant in Choro, bini & bini incedentes. Prior verò ſequatur ſolus, vel Subprior ſi Prior defuerit: Qui venientes ante ſedes inclinent, & ſic ingrediantur menſas ſtantes donec Prior aſſideat. Coci verò præteritæ ſeptimanæ mox ut ingreſſi fuerint circumlinientes cyphos interiùs aquâ impleant ipſos: & ſtent verſi ad principalem menſam donec prior pulſet campanam. Quo pulſante veniant ad gradum. Dimiſsâ campanâ, & dicto *Benedicite*, Hebdomadarius det benedictionem, reſponſoque *Amen*, ille qui Prior eſt ad dexteram Prioris offerat ei cyphum. Qui verò ad ſiniſtram offerat illi qui eſt in eadem parte juxta Priorem. Et *qui voluerint, bibant de potu juſtitiæ ſuæ*. Ubi verò neceſſe fuerit ut etiam Coci præſentis ſeptimanæ cum iſtis ſerviant: priores in medio ordinati quibus diximus deferant. Iuniores verò à junioribus ultimo loco poſitis incipiant. Qui interim dum Fratres bibunt, parumper ſemoti habeant facies ad bibentes. Qui poſtquàm biberint, quiſquis miniſtrorum bibere voluerit apponat ſibimet cyphum quo aliis miniſtravit. Dehinc venientes ad gradum inclinent ante Priorem; Quo percutiente uno ictu campanam, recedant non inclinantes ante ſedes ſuas & bibant ſi voluerint ad capita menſarum vel ante menſas. Qui poſtquàm biberint repercutiat Prior campanam tribus continuis ictibus: Et tunc ſurgentes & iterùm ſupplicantes recedant. Miniſtri autem recondant cyphos quibus aquam porrexerunt, ubi reponendi ſunt. Mox venientes in Dormitorium ſi neceſſe habent ire ad neceſſaria, eant antequàm exuantur cucullis. Quod & poſt laborem obſervandum eſt, ne ſcilicet eant ad neceſſaria antequàm induantur cucullis. Qui ordo ſemper & ante & poſt laborem teneatur. Qui tamen poſt Completorium de mandato hoſpitum redeunt, poſſunt ire ad neceſſaria

Qui voluerint bibant, &c. Nihil igitur, ut plurimùm, niſi aquam puram hâc ipsâ horâ accipiebant: aut ſi quis aliquid aliud bibere voluiſſet, tantumdem ſibi de ſuo potu conſueto præripiebat. *Iuſtitia* autem de qua hîc fit mentio, ſumitur pro menſura & quãtitate Potûs ſecundùm Regulam cuilibet conceſſi; ſeu pro *hemina* dequa S. Ben. in *cap. 40. Regulæ* loquitur, quæ *Iuſtitiæ* nomen adepta ſit à juſta moderatione quâ idem Sanctus Monachorum ſuorum potum ſic temperavit, ut *non uſque ad ſatietatem vinum biberent ſed parciùs.*

antequàm reſumant cucullas. Quibus præparatis ad laborem pulſetur tabula.

Poſt Veſperas expleto Officio Defunctorum, & pulſato ſigno ſicut ſuperiùs diximus, accedant ad cœnam. Quòd ſi poma, vel herbæ crudæ vel aliud tale quid Fratribus generaliter diſtribuendum eſt, poteſt Cellerarius deferre per menſas ante verſum, quando ei vacuum fuerit. Si verò poſt verſum diſtribuerit, feratur à Cocis vel ab aliis eos adjuvantibus. Deinde recolligentes ſcutellas ponant ſuper miniſterium.

CAPVT LXXXIV.

De tempore ſecationis & meſſionis.

IN tempore ſecationis & meſſionis Sacerdos & miniſtri præparent ſe ſtatim poſt Capitulum ad canendam miſſam : ad quam Conventus tempore ſecationis poteſt intereſſe, & miſſas privatas cantare dum illa cantatur, ſi Abbati vel Priori viſum fuerit. In vigiliis autem & feſtis duodecim Lectionum qui privatim cantare debent, non niſi poſt offerendam incipiant. Et miſsâ in Conventu cantatâ ſtatim exeant ad laborem. Tempore verò meſſionis ad hanc miſſam quando Conventus non adeſt, adjuvare debent minuti & infirmi extra Chorum, & de Infirmitorio per omnia ſecundùm gradus ſuos ſicut neceſſe fuerit. Quâ cantatâ ipſi miniſtri inſimul congregati, ſequantur alios ad laborem. Prior autem provideat quomodo ſciant quò Conventum ſequi debeant & quis eos illuc ducat. Utroque verò tempore mane miſsâ cantatâ ſi pluit, licet Monachis poſt Tertiam eſſe in lectione : & miſſas privatas celebrare, ſi tamen Abbati vel Priori viſum fuerit. Et ſciendum quòd in omnibus duodecim Lectionum ſolemnitatibus quibus laboramus & vigiliis Sanctorum, Conventus miſſam audire debet. His temporibus ſolet Conventus uſque ad Sextam laborare. Et ante Primam ſi opus fuerit exire, & extra Monaſterium prandere & dormire, ſi neceſſe fuerit, Cocus & Lector *mixtum* ſumere. Qui autem in Abbatia remanent C. XVI.

& in Refectorio comedunt, semper in Ecclesia gratias referant præter servitores.

Unicuique in die libra panis communis & dimidia dari potest ubi opus fuerit, & distribui singulis prout tempus & locus exegerit. Hoc tempore exceptis diebus, quibus Fratres vacant lectioni, unum pulmentum habeant ad prandium, & alterum ad cœnam si fieri potest. Lac si habuerit Conventus sive coctum sive crudum, pro uno generalium pulmentorum reputabitur. De melle autem nunquam & nusquam fiat generale: nisi id Abbati visum fuerit pro pulmentorum penuria, & mellis abundantia. Et notandum quòd hoc tempore quando unum pulmentum datur in cœna ad jussum Abbatis: Hebdomadarius coquinæ Cellerarium adjuvare poterit & cum servitoribus reficere. Ubi verò sunt quatuor Hebdomadarii coquinæ, duo serviant per diem integrum: ubi duo, unus similiter serviat. Si longè fuerint ab oratorio, possunt, si necesse fuerit, laborare post signum ad Vesperas seu ad quamlibet horam pulsatum: quod nunquam alio tempore fieri debet. Vesperis ibi cantatis, eant ad Monasterium. Quòd si necesse fuerit, poterit Prior quosdam ibi relinquere; qui tamen à cœna servitorum deesse non debent: quod tunc quidem raro, sed alio tempore nunquam fiat.

Qui Monachos suos ad grangias dirigit, videat omnibus modis quatenus illic eundo vel inde redeundo, maximeque ibi remorando silentium servent. Videat etiam ut præparatas habeant domos ubi possint honestè ordinatéque simul comedere: simul etiam dormire: & singuli per singula lecta secundùm Regulam. Candela ardeat ubi dormiunt. Caveant etiam ne cum Conversis vel cum familia significent. Inter se etiam horis & locis incompetentibus signa non faciant. Nullus positas metas absque licentia transeat, nec vagando & diverticula quærendo incedat: mensæ eorum cui Prior jusserit, legat. Dominicis & festis diebus lectioni vacent. Nullus Abbas Monachorum Conventum aliquem ad grangiam mittat, nisi pro frugibus colligendis. Hæc & cætera huic tempori congrua, quia ubique æqualiter observari non possunt: unaquæque Abbatia faciat secundùm positionem loco-

tum & diſpoſitionem Abbatis vel Prioris ſui. In Abbatia tamen cùm Conventus affuerit, ſi manè feſtinare ad laborem debuerint, ad arbitrium Abbatis citiùs cantare licebit.

CAPVT LXXXV.

De Raſuris.

C. XVII.

IN *Natali* Domini : ad Dominicam *Quinquageſimæ*, ~~ſive~~ ad *Paſcha* : ad *Pentecoſten* : ad feſtum S. *Mariæ Magdalenæ* : ad Natiuitatem ſanctæ *Mariæ* : ad feſtivitatem *omnium Sanctorum* tondendi & radendi ſunt Fratres. Coci calefaciant & deferant aquam in Clauſtrum Pectines, forcipes, raſoria & affilatorias cuſtos eorum acuat & præparet. Fratres tondeant quibus juſſerit Abbas. Tonſi alterutrum radant & in Clauſtro, præter infirmos qui in infirmitorio ſunt. Raſura coronæ fiat non exiguâ tonſurâ per deſuper aures. Nullus niſi invitatus aliquem radere præſumat, vel ſe velle facere ſignet : nullus verò invitatus audeat refutare. Signum autem radendi alter alteri non faciat, niſi poſt tabulam pulſatam.

Petitio Rever. Patris noſtri D. Ioannis S. Laurentii in Lucina Presbyteri Cardinalis qui ad mandatum Domini Papæ requiſivit à Capitulo Generali ut propter reverentiam Sacramenti Altaris percipiendi augeretur numerus raſurarum in Ordine, exauditur in hunc modum ; quòd duodecim ſint raſuræ, ſcilicet in *Natali* Domini : In Purificatione B. *Mariæ* : *primâ Dominicâ* menſis Martii : In *Paſcha* : In *Aſcenſione* : In Vigilia S. *Ioannis Baptiſtæ* : In Vigilia ſanctæ *Mariæ Magdalenæ* : In Vigilia Aſſumptionis B. *Mariæ* : In Vigilia *Nativitatis ejuſdem* : In Vigila ſancti *Dionyſii* : In Vigilia *omnium Sanctorum* : & *primâ Dominicâ* Adventus. Raſurâ Converſorum in ſuo antiquo ſtatu permanente. *Ex Cap. Gen. an.* 1257.

CAPVT LXXXVI.

De Proceſſione Epiſcoporum.

C. XVIII.

AD ſuſcipiendum *Epiſcopum* convocentur Fratres in Chorum campanâ. Tunc ſumat aliquis aquam benedictam nutu Cantoris, qua præcedente ſequatur Abbas, deinde Conventus & Novitii bini & bini, Sacerdotibus præeuntibus eo ordine quo in Choro ſtant. Cunctiſque egreſſis & ſtantibus ordinatim ante fores Monaſterii, Portarius vel alius quilibet ad hoc idoneus ab Ab-

Nota ex ſancto Petro Mauricio Abbate Cluniacenſi in hoc poſitum fuiſſe diſcrimen decimũ noſtrorum à Cluniacenſibus: quod noſtri, non

illi proprium Episcopum agnoscerent *ep. 17. lib. 4.*

bate jussus, interim obvium eis adducat Episcopum, quo appropinquante flectant omnes genua ante eum: quibus erectis porrigat Abbas Episcopo sparsorium, osculans ei manum. Et incipiente Cantore Responsorium *Audi Israel* si unus, vel *Sint lumbi* si plures fuerint Episcopi, introeant primùm Novitii, deinde cæteri, Laïcis Monachis præeuntibus, ita ut Abbas eat posterior, manu tenens Episcopum. Cùm autem venerint in Chorum Episcopo incumbente orationi, Abbas veniat in locum suum, cæteris post eum sicut ad Missam ordinatis. Percantato verò Responsorio, Abbas erigens Episcopum ducat in Capitulum, ubi cunctis ordinatim residentibus, accepta benedictione ab Episcopo, *legat lectionem* cui Cantor innuerit: quâ finitâ dicto *Benedicite*, osculetur Abbas Episcopum & comites ejus, nisi priùs Episcopus voluerit aliquid dicere pro ædificatione. Deinde surgentes omnes & inclinantes ad benedictionem Episcopi, quam Abbas debet requirere, nisi anteà in Oratorio dederit: responso *Amen*, egrediantur, & deducatur Episcopus ad hospitium. Sciendum autem quòd ad nullum recipiendum vadit Conventus, nisi ad proprium Episcopum & Archiepiscopum, & Sedis Apostolicæ Legatos, & Regem, & Dominum Papam, & proprium Abbatem. Nulli horum omnium, nisi Domino Papæ, plusquàm semel hæc fiet Processio.

Legat lectionẽ, scilicet Sacræ Scripturæ, juxta cap. 53. Reg. S. Bened. præcipientis ut *coram hospite legatur Lex divina ut ædificetur.*

CAPUT LXXXVII.

De Hospitibus suscipiendis.

C. XIX. HOSPITES Abbati præsentis loci, sive Priori, si Abbas defuerit, nunciandi sunt. Quòd si dum sedent ad collationem nunciandus hospes fuerit, quicunque tenuerit collationem illi nuncietur, & ad ejus nutum Portarius uni de fratribus ad hoc opus ab Abbate Monasterii sibi designatis signum faciat. Abbas namque quilibet in suo Monasterio Portario suo aliquos quos ad hoc idoneos perspexerit, designare debet. Si Hospes supervenerit dum Completorium cantatur, Portarius sumpto libro

&

& lumine in abſconſa, ſi opus fuerit circa finem Completorii præſens ſit ad ſtallum Abbatis, & ei hoſpitem nunciet, ad cujus nutum ſignum alicui de ſibi deſignatis faciat : qui Portario ſecum accepto, hoſpitem recipiat. Aliis verò horis, cui ſignum factum fuerit hoſpitem recipere, ſumens librum ducat ſecum alium Fratrem. Occurrentes verò hoſpitibus deponant caputia de capitibus, ſi tunc ſuperpoſita fuerint, & ſic *proſtrati ſuper genua* ducant ad orationem. Ingreſſi verò Eccleſiam aſpergat illos aquâ benedictâ ille, cui officium illud injunctum eſt : poſteà faciant orationem incurvi vel proſtrati, ſicut tempus exigit. Sed ſi Epiſcopus vel Abbas fuerit qui eum ſuſcipit, offerat ei ſparſorium oſculando manum, & ducto eo ad locum ubi orare debet, ſubtrahat ſe paululùm cum ſocio poſt ipſum orantem, faciens orationem ſicut ſuprà dictum eſt, quâ completâ ſignent ſe & exeant. Dicat *Benedicite* qui ſententiam debet legere : deinde flectant ſemel coram omnibus genua, & erecti oſculentur eos, & poſtmodum reſideant. Et lectâ ſententiâ ſi expoſitione indiget hoſpes, exponatur ei : deinde ducatur ad hoſpitium, vel præſentetur Hoſpitali : Fratres autem redeant in Clauſtrum. Et ſciendum quòd miſſi ad hoſpites ſuſcipiendos, ſi tempeſtivè redire non potuerint, nec verſum amittant, nec collationem. Ii etiam non amittent, qui infirmos communicant vel inungunt, ſive confeſſionem eorum audiunt cùm in extremis agunt.

Proſtrati ſuper genua. In hoc fuit nonum diſcrimen noſtrorum à Cluniacenſibus quod noſtri non illi in ſalutatione hoſpitum proſternerentur juxta cap. 64. Reg. S. Bened.

CAPVT LXXXVIII.

De dirigendis in via.

CAP. XX.

NVLLVS in via dirigatur niſi pro utilitate Monaſterii. Dirigendus verò ad Laudes, niſi quando ſtatim ſubſequitur Prima, & ad cæteras horas præter Completorium privatis etiam diebus ad Nocturnos poteſt accipere benedictionem, quam accepturus ſurgat pergens ad gradum, & circumvolvens ſe, ſecundùm tempus, vel ſe inclinet vel proſternatur. Reverſus verò non circumvolvat ſe, ſed omni tempore proſternatur. Si cum Abbate fue-

rit exiens ſive revertens, ad benedictionem ſeu ad orationem poſt Completorium, ſive ad ſatisfactionem poſt *Gloria* Pſalmi primi, poſt Abbatem ſemper ſe collocet. Qui ſi majorem Miſſam expectare nequiverit, ad matutinalem communicare poterit. Quem ſi intra Monaſterii portam primum Horæ Canonicæ ſignum, vel Capituli ſive collationis præoccupaverit, *revertatur.* Egrediens de Monaſterio non comedat ante portam Monaſterii, nec alicubi infra dimidiam leucam à Monaſterio: tranſeunti autem, & eadem die non regreſſuro liceat. Egrediens verò ſive etiam regrediens, intra Monaſterium nemini ſine licentia loquatur.

Revertatur. ut nimirum nihil operi Dei præponeretur ſecundùm cap. 43. Regul.

Dicturus horas per diem ſi dies proſternendi fuerit, in terram orationi incumbat, dicens *Gloria Patri*, rursùm *genua flectat*, ſilentium tenens quouſque locatus ceptam proſequatur horam. Tam die quàm nocte dum non æquitaverit, ſtans horas ſi non multùm gravatur, dicat. Qui verò ad grangias vel ad cellaria, ſive ad aliquam habitationem domûs illius de qua exit, vadit, niſi ſe extra pernoctaturum crediderit, benedictionem non accipiat. Similiter & qui inde redit, niſi extra pernoctatus fuerit, ſive in villa comederit. Benedictiones autem dandæ ſuper egredientes in via & revertentes, dicantur eadem voce, qua collecta horæ canonicæ dicta fuerit præter ad Laudes & ad Veſperas. Et ſciendùm quòd ſolis hoſpitibus accepta benedictione egrediendi licet Miſſam cantare ante Evangelium Miſſæ Conventus. Abbati quoque egreſſuro in viam ante Tertiam in æſtate, aut revertenti poſt Tertiam uſque ad Nonam in hyeme, licet Miſſam cantare vel audire in diebus jejuniorum & feſtis duodecim Lectionum, & in ſeptimana Paſchæ & Pentecoſtes, & Nativitate Domini, & præcipuis Defunctorum Officiis.

Genua flectat. Hoc etiam fuit *Noſtrorum* à Cluniacenſibus diſcrimen undecimum, quod *Noſtri* non *illi*, ipſo etiam Petro Cluniacenſ. teſte ad Horas Canonicas genua flecterent in via conſtituti juxta cap. Reg. S. Bened. 50.


Iejunia conſuetudinaria tam æſtate quàm hyeme juxta conſuetudinem teneant, niſi fortè Abbas quiſpiam eum ſecum prandere fecerit, & hoc in ſuis tantummodo Monaſteriis, aut quilibet Epiſcopus vel Archiepiſcopus: ſeu etiam Sedis Apoſtolicæ Legatus. At jejunia præcipua quibus videlicet in Ordine noſtro cibis tantùm quadrageſimalibus veſci mos eſt, juxta morem cuſtodiat: ad

menſam non loquatur : ſagimine non veſcatur : in plumis non jaceat, niſi fortè ſtramen vel aliud tale quid ſuper quod jaceat ſine magno labore aut ſumptu habere non poſſit. Et ſciendum quòd tam Abbates quàm Monachi ſagum, quod vulgò dicitur ſtratum, ſecum *poſſunt def.rre* & cervical. Qui autem pro ſtrato ſagum portare voluerit, liceat ei : tantùm obſervet ne ſint pretioſa vel curioſa. Porrò rediens domum, niſi eadem qua exiit die redierit, mox ad orationem eat. Ingreſſurus Oratorium aquâ ſe benedictâ aſpergat : Orationem in Choro (ſi Conventum non invenerit) pronus vel proſtratus ſecundùm tempus faciat; quòd ſi invenerit, non tamen canonicam horam dicentem, oret extra Chorum : nam ad horam regularem mox ut venerit intrare debet, vel ſociandus pſallentibus, ſi ante *Gloria* venerit : vel ſi poſt, ad gradum ſatisfacturus, niſi jam *Kyrie eleiſon* dici invenerit. Si oſtium Oratorii obſeratum invenerit, ibidem oret. Si intra curiam Monaſterii fuerit dum ſignum pulſatur in Eccleſia ad refectionem, verſum perdet ſi non occurrerit. Si menſæ campanam pulſari invenerit, divertat in Refectorium, ut cum aliis verſum incipiat : quem ſi jam inceptum invenerit, oratum vadat. Poſt orationem facto ſigno Coco vel Cellerario an intrare debeat, ſi annuerit, intret & verſum dicat ſub ſilentio, ſtans & inclinans ſicut in Conventu fieri ſolet, benedictionem dicat, nec tamen ſignum crucis faciat. Hoc autem ad utrumque prandium & ad utramque cœnam æquè ſemper cuſtodiat, excepto quòd ad Servitorum refectionem intrandi ſignum non faciat. Quòd ſi ad refectionem ipſorum Servitorum tardiùs venerit, non eum expectent, nec eis diſcedentibus ipſe ſe moveat. Similiter propter Conventum ſi ad *Biberes* venerit, vel propter ſignum collationis, non ſe moveat : ſic tamen ut ad collationem ante finem veniat. Quòd ſi ad ſignum collationis vel ad ipſam collationem venerit, ſtatim Conventui ſe jungat, cum eis compleat, & poſt Completorium comedat. Si ad Completorium venerit, ſimiliter faciat : ſi poſt Completorium, ſimiliter comedat, & ſic ibi in Capitulo compleat. Quod verò de refectione diximus, etiam ipſi teneant qui ea die re-

Poſſunt deferre. Hoc eis conceſſum ut ſecundùm Reg. etiam in via conſtituti ſuper *Mattam* & *ſagum* dormirent. Vide c. *ejuſdem Reg* 55.

deunt quâ egressi sunt: qui tamen sollicitè provideant ut ad primam semper refectionem veniant.

Et sciendum quòd in quacunque Abbatiarum nostri Ordinis Monachus vel Conversus nostri Ordinis venerit, per omnia sicut in Monasterio suo ordinem tenebit. In Ecclesia tamen Psalmum aut Antiphonam non imponat, lectionem vel Responsorium non dicat, nec quicquam de officio Sacerdotis Hebdomadarii, Invitatorii, seu Hebdomadarii, quousque Abbas jubeat. Quòd si Prioratum vel aliam obedientiam habuerit, pro obedientia sua nihil faciet. Prior tamen post Priorem illius loci primum locum tenebit.



QVARTA PARS.

DE CVRA INFIRMORVM ET SVFFRAGIIS MORTVORVM.

CAPVT LXXXIX.

De vomentibus & sanguinem fluentibus, & servitoribus eorum.

CAP. I. I Sacerdoti ad missam sanguis de naribus fluxerit, afferatur ei aqua in Presbyterium à Servitoribus ad sanguinem recipiendum & ad se lavandum: quòd si ministris contigerit, extra Chorum eis similiter serviatur. Aliàs autem quoties alicui hoc vel etiam vomitus contigerit, Frater, cui hoc opus injunctum est, sequatur eum euntem in Claustrum: & si nox fuerit, cum lumine assistat ei & serviat: donec ablutus in Chorum revertatur. Quòd si *Venite exultemus* vel primus Psalmus alterius horæ tunc in Ecclesia canitur: ad *gloria* revertatur in Chorum. Quâ dictâ citiùs ad

eum redeat. Ille verò si ad *gloria* non fuerit, & in Conventu hoc ei contigerit, non satisfaciens eat in stallum suum. Quòd si extra Conventum ei contigerit, non quidem ad gradum satisfaciat: sed veniens per medium Chorum ante Abbatem facto signo necessitatis suæ, in stallum suum redeat. Quòd si in Refectorio contigerit, Servitor ejus non inde redeat: sed Coco vel Cellerario ut eum adjuvent significet. Ille verò, si antequàm Conventus exeat, ad mensam redierit: quod comesturus erat comedat; quem nec Conventus expectet, nec ipse si surrexerit propter hoc comedere desinat. Quòd si postquàm Conventus exierit, revertitur: non Servitores expectet, sed statim comedat & dicto versu sub silentio, discedat. Si contigerit ut aliquem vomentem, aut sanguinem fluentem Servitor eorum non viderit: significet ei quicunque viderit.

CAPUT XC.

De Minutione.

FRATRES tempore messionis & in Adventu & in Quadragesima & per tres primos dies Nativitatis Domini, Paschæ & Pentecostes, & quando secundâ vel tertiâ die præcipuum jejunium evenerit, minui non debent: similiter qui extra Chorum pro infirmitate est, donec Chorum intraverit. Hebdomadarii quoque Missæ aut coquinæ vel lectionis mensæ non se minuunt, nisi pro gravi necessitate misericordiam in Capitulo petentibus concessum fuerit. Reversus verò de via eadem die non se minuat, nisi de consilio Abbatis. Et notandum quia quater in anno minui possunt, & si fieri convenienter potest, his minuantur mensibus: Februario, Aprili, Septembri. Quarta verò minutio circa festivitatem sancti *Ioannis Baptistæ* fiat. Cùm autem pars Conventus minui debuerit, dicat Prior in Capitulo: illi qui sedent ad illam vel ad illam tabulam, minuantur: Caveatur ne secundâ vel tertiâ, seu etiam quartâ die duodecim Lectionum veniat dies. Erit tamen in Abbatis arbitrio propter hoc non dimittere quin illi de quibus judicaverit, minuantur. Observet tamen ut ii minuantur, sine quibus possunt vigiliæ competenter celebrari.

CAP. II.

Minutio, vel à sanguine minuendo vel à minuendis viribus dicitur.

Si tempus prandii fuerit inter Tertiam & Sextam, scilicet post Evangelium vel ante si necesse fuerit: Si dies jejunii, inter Sextam & Nonam, utroque etiam tempore post Nonam, si necessitas exegerit: accenso igne in Calefactorio ab eo cui Prior jusserit, præparent se ad minuendum: interim veniat minutor jussu Prioris. Qui minuti fuerint pergant prægustare in Refectorium, si voluerint & spatium habuerint. Ex hinc omni tempore lectionis vel laboris potest minutus aut jacêre in lecto suo, aut sedere in Capitulo & in Claustro donec ingrediatur Chorum: similiter dum extra Chorum fuerit non legat nec cantet. Et notandum quòd minuti & infirmi qui extra Chorum sunt, privatas venias non petunt in Ecclesia donec Chorum intraverint: excepta oratione quadragesimæ. Minuti autem in æstate, quando Conventus jejunat post Evangelium comedant. Similiter in hyeme festis quibus Conventus vacat lectioni, Claustrum non egrediatur, nec aliud quid faciat aliquis de obedientia sua: nisi Prior, aut Sacrista, aut Cellerarius, vel Magister Novitiorum: sed si Cocus fuerit, Priori de coquina suggerat: si obedientiam habuerit, solatium ejus vicem ejus suppleat. Quòd si cantare aut in Ecclesia aut extra Ecclesiam legere, vel mandatum pauperum, vel aliud quid facere debet, significet de eo alicui, & ille faciat quandiu extra Chorum fuerit. Hebdomadarium tamen invitatorii de officio suo nullum signum facere oportebit, nec Hebdomadarium Missæ de suo, nisi de Missa tantùm.

De cætero minutus quandiu extra Chorum fuerit: & quando lectioni vacat die tertiâ tempore laboris non significet: nisi de confessione: de Missa auscultanda, vel etiam de *bibere*. Ad horas ingrediatur Ecclesiam assidens statim ut venerit in primo ingressu, & post orationem signet se sedens. Deinde non prosternat se nec inclinet ad *Gloria*, nec stet nisi ad *Magnificat*, & ad *Te Deum laudamus*, ad *Evangelium*, ad *Benedictus*. Ad privatas tamen Missas si necesse fuerit potest rogatus adjuvare, & ad hoc in aliam partem per ante Chorum transire. Ad Missas etiam communes, quando Conventus deerit, potest adjuvare. Post horam verò ante alios egrediatur. Primâ & secundâ die absente Conventu, si necesse fuerit, Chorum ingrediatur: & se-

deat ad Pſalmos tantùm. De cætero ſicut ſanus ibidem ſe habeat. Hoc etiam infirmus de infirmitorio: & qui extra Chorum eſt tempore ſecationis & meſſionis faciat, excepto quòd nec Antiphonam incipiat, nec Pſalmum imponat: nec officium Hebdomadarii Miſſæ vel Invitatorii agat: ſi adſit alius qui hoc facere poſſit & debeat. In Refectorio verò ſicut cæteri ſe agat minutus: de *cibo ſuo* nihil diſtribuat. Nam in hyeme primâ die dabitur ei dimidia libra panis albi præter communem panem cum una pitantia. Si autem Dominica fuerit detur ei ſicut in æſtate. In ſecunda & tertia die ad *mixtum* poſt tertiam dabitur ei una *pitantia* cum integra libra panis albi & pane communi. In quarta autem die tam hyeme quàm æſtate unà cum pulmentis detur ei pitantia. In æſtate verò per tres dies dabuntur ei ad prandium pulmenta communia & libra panis albi, præter communem panem cum una pitantia. Ad cœnam verò per tres dies qualiſcunque dabitur ei pitantia. Cui *panem incidere* & alia miniſtrare Servitor vel qui juxta eum ſedet poteſt ſi neceſſe fuerit, & hoc tantùm prima die. Poſt refectionem verò cum cæteris pergat ad Eccleſiam: & divertens (ſicut diximus) in primo membro ſtet, donec Conventus ingrediatur Chorum, & tunc reſidens perſolvat quod reſtat de gratiarum actione: quòd ſi Eccleſia unius Altaris tantùm fuerit, & tunc & ad horas diei divertat in Capitulum. Si æſtas fuerit, poſt Nonam præcedat Fratres euntes in Refectorium ad *biberes*, & intrante Priore ſtet, donec ille reſideat.

De *Cibo ſuo*, id eſt, de Pitantia ſua quæ illi ultra pulmenta regularia concedebatur.

Pitantia, à pietate dicitur, eſt autem ferculum melius quam pulmentum regulare.

Panem incidere, &c. quia nempe tunc têporis uſque ad deliquium ferè minuebantur. Hinc tot illis indulgentiæ quę hoc capite leguntur.

Poſt collationem verò intrantibus Fratribus in Chorum in loco ſolito, divertens ſtatim ſedeat, & ſignans ſe poſt orationem egrediatur ſi voluerit in Capitulum cantare Completorium: quo cantato & oratione finitâ, ſignans ſe & aſpergens aquâ benedictâ, revertatur ad lectum vel ad oratorium ſi voluerit: ante eos tamen ingrediatur Dormitorium. Pulſato verò ſigno ad vigilias ingrediens Eccleſiam reſideat, & factâ oratione ſignans ſe eat in Infirmitorium ſive in Capitulum cantare vigilias. In his vigiliis poſſunt breviores quam in Conventu lectiones fieri, & ſub una benedictione tres, ſi tres tantùm dicendæ ſunt, vel quatuor in duodecim Lectionum legi. Qui prior Sacerdotum ordine converſionis ibi fuerit, totum officium ſi complere poteſt compleat, excepto quòd ad miniſterium Abbatis vel

Prioris attinet, si quis horum affuerit: lectiones tamen alii, si fuerit qui legere possit, injungat. Totum etiam officium si complere non potuerit, compleat cui ipse innuerit. Absentibus Sacerdotibus, aliorum graduum Clerici idem inter se observent.

Et sciendum quòd Officium Defunctorum, vel aliud quid cantari hìc non permittitur, nisi sint præcipua Officia Defunctorum, & pro præsenti Defuncto diebus quibus Conventus celebrat. Si verò solus sive in Capitulo sive in Infirmitorio fuerit, si fieri potest, solatium quod eum adjuvare ad officium complendum possit, provideatur: quo completo eat dormitum. Nam cæteras horas diei non extra cantare, sed intus ex integro auscultare debet. Ad Primam minuti revertantur in Ecclesiam. Diebus verò festis dum signum Capituli pulsatur, ingrediantur Capitulum sicut cæteri: aliis verò diebus intrent per retrò Chorum inter sedem Abbatis & Prioris ordinantes se ordine suo ubi non petant veniam nisi quis fuerit clamatus. Si dies jejunii fuerit, secundo & tertio die accipiant post Tertiam *mixtum* in Refectorio.

Tertiâ die ingrediuntur in Chorum omnibus diebus ad Primam tam in æstate quam in hyeme. Ipso die possunt sedere in Choro duos Psalmos, primum scilicet & secundum ad omnes horas diei: ad Vesperas tamen & ad Primam non sedeant, nisi quomodo Conventus. Tempore etiam laboris in Claustro cantare aut legere, nec tamen in oratorio ire ad orationem. Tempore etiam laboris & lectionis calciati, & super cotos in lecto quiescere: quod semper facere possunt, nisi quando Conventus in Dormitorio dormierit. Tertiâ nocte remanebunt à vigiliis, nisi præcipuum festum scilicet cùm fit sermo in Capitulo. Quarto die sicut cæteri ad laborem se præparent; quibus tamen Prior pro minutione sua, aliquem minorem laborem debet injungere, vel laborem omninò remittere.

CAPUT

CAPVT XCI.

De infirmis extra Chorum.

QVOTIES aliquis exierit de Choro pro infirmitate, in ſubſequenti Capitulo petat inde veniam, etiam ſi juſſus fuerit remanere, & dicat cauſam exitus ſui. Quòd ſi Septimanarius coquinæ fuerit, Dominicâ die benedictionem egreſſionis cum ſocio ſuo recipiat: ad horas diei privatis diebus ſicut cæteri proſternatur. In Chorum redeat ad quamlibet horam noctis vel diei ſi voluerit, ſive etiam ad Miſſam. Cætera verò per omnia ſicut minutus dum extra Chorum eſt agat, excepto quòd *mixtum* non ſumat, & in Capitulo ſpontè veniam petat: quòd ſi aliquis talem & tam apertam infirmitatem habuerit, ut videri vel intelligi evidenter poſſit, quod nec Conventum tenere, nec in Infirmitorio valeat proficere, ejus infirmitas in Capitulo manifeſtetur, & exhinc in Eccleſia ubi & quomodo Abbas providerit, cantet, legat & operetur, prout infirmitas ejus permiſerit, & Abbas conſtituerit. Cæterùm qui certam non habet infirmitatem, ſi poſt unum aut duos dies non convaluerit, ad arbitrium Abbatis ingrediatur Infirmitorium. Et ſciendum quòd qui de via redierit, ſi coram omnibus ejiciatur: in Capitulo inde veniam petere non debet. Qui autem de via veniunt, inde benedictionem accipere non tenentur, veniam tamen petant. Cap. III.

CAPVT XCII.

De infirmis qui ſunt in Infirmitorio.

INFIRMI de Infirmitorio poſſunt loqui cum Infirmario: ſed non niſi in certo loco ad hoc determinato: & hoc ſilenter & tantùm de neceſſariis. In quem qui ingredi voluerit, ſigno ab Infirmario licentiâ poſtulatâ & acceptâ ingrediatur. Ubi quandiu unus aliquis cum Infirmario fuerit, alius ingrediendi non habeat licentiam. Qui autem ita infirmus fuerit ut continuè jaceat, aut ſubitâ infirmitate gravatus, utpote febrium aut aliquâ aliâ gravi lecto jacêre Cap. IV.

compellitur: interim ibi cum Infirmario, & Infirmarius cum eo, si opus fuerit, loqui poterunt: & hoc ipsum silenter. At ubi melioratus huc & illuc deambulare poterit: silentium more solito teneat, nisi fortè alicui magna adhuc infirmitate detento Abbas loqui ad lectum amplius judicaverit expedire.

Ad mensam non loquantur, neque ex quo signum canonicæ horæ dimissum fuerit donec ipsum opus perficiatur, præter eos qui per se nequeunt de lecto surgere. Vigilias sicut supra diximus, cum in Ecclesia incipiuntur, in Infirmitorio cantent: & præcipua Defunctorum Officia tantùm ibi dicantur. Horas diei simul congregati cantent. Dehinc qui voluerit eat in Ecclesiam ad horas: ad Missam verò quotidie, nisi multum graventur. Notandum tamen quòd illi quos gravat infirmitas, neque in Ecclesia, neque in Infirmitorio, neque ad horas, sive ad Missam, nisi ad *Agnus Dei* genua flectant: ad benedictionem verò Novitii in ordine suo in Choro sint, & sedeant qui voluerint. Qui communicare voluerit extra Chorum, pacem accipiat ab aliquo de Conventu communicaturo. Quòd si fortè defuerit ille qui hospitibus pacem dare debet, infirmis primùm deferat, & sic ad communionem ordine suo accedant, & hoc tantùm ad Missam matutinalem. Ad Missas non auxilientur nec serviant, nisi tempore messionis. Non licet ingredi Ecclesiam, nisi quando in ea opus Dei celebratur, nec in Claustro demorari; nec cum Monachis qui Conventum tenent significare, sed quantùm possunt, ne ab ipsis vel ab aliis hominibus videantur, observent. Si quis tamen habet infirmitatem, quæ nec multùm eum debilitet, nec comedendi turbet appetitum, ut putâ inflatura vel incisio membrorum, aut aliquid hujusmodi, hic talis nec super culcitram jaceat nec jejunia consueta solvat, nec cibos Refectorii mutet. Non apparentem quis habens infirmitatem, *nec legat* nec operetur. Nam cujus infirmitas evidens fuerit, legat & operetur, non ad suum tamen arbitrium, sed horis quibus ei constituetur.

Nec legat, scilicet in Refectorio vel in Ecclesia, nam privatim legere poterat.

Quòd si quis talis fuerit, qui cæteros inquietare, aut de ista infirmorum institutione murmurare, aut in aliquo transgredi præsumat, corripiatur: quòd si sæpè correptus non emendaverit, si ita videtur Abbati, indicetur ejus per-

verſitas in Capitulo, ubi vocatus coram omnibus arguatur: quòd ſi nec ſic ſe correxerit, ſi ejus permittit infirmitas, regulari etiam diſciplinæ ſubjaceat. Non redeant in Conventum, niſi priùs indicaverint Abbati, cujus acceptâ licentiâ, quâ voluerint horâ Chorum ingrediantur, jejuni tamen, niſi in via dirigendi ſint. Quòd ſi Abbas hoſpes noſtri Ordinis in Infirmitorio fuerit, vel cum duobus tantùm, vel cum ſingulis loqui poterit, exceptis ſervitoribus qui ei deputantur. Abbas verò quicunque in Infirmitorio fuerit, poſtquàm tantùm convaluerit ut jam non decumbat lectulo ſed egrediatur & ingrediatur, à *Gloria* primi Pſalmi regularis Completorii, Monachorum regulam debet obſervare ſilentii. Si autem gravi infirmitate tenetur, liceat ei ſecundùm neceſſitatem ſuam agere, ſervatâ tamen in omnibus honeſtate & gravitate: quòd ſi Epiſcopus noſtri Ordinis in Infirmitorio fuerit, cum eo poſt Completorium loqui poterit.

CAPVT XCIII.

Quo ordine inungantur infirmi.

AD inungendum infirmum pulſetur ſignum tandiu donec unum *Pater noſter* dici poſſit. Et facto parvo intervallo iterùm pulſetur ſignum eâdem morâ: & tunc induatur Abbas albâ, ſtolâ & manipulo, Virgam ſumens paſtoralem. Qui ſi defuerit: aut Cantor faciat, aut cui innuerit. Quo induto & ſigno ſemel pulſato, veniat Conventus in Chorum: & ſic incipientes Pſalmum *Beatus qui intelligit*, Deinde *Iudica me Deus*, & poſt *Voce mea* 2. unicuique Pſalmo adjungentes *Gloria Patri*, procedant eo ordine quo ſtant in Choro, Sacerdotibus ſequentibus Abbatem poſt crucem, & lumen in abſconſa & aquam benedictam. Si autem neceſſe fuerit Pſalmus ultimus repetatur. Sacriſta verò pergens in ordine ſuo, ferat oleum & ſtupas vel pannum ad detergendum uncturam. Quoties dicitur *Per iſtam ſanctam unctionem*, ſtupæ mittentur vel pannus, quas poſteà in piſcinam ad hoc deputatam comburat. Et cum pervenerint ad infirmum finitis Pſalmis, qui unctionis agit officium dicat *Pax huic domui:* & Conven- CAP. V.

tus reſpondeat, *Amen*. Et ſtatim Sacerdos ſubſequatur *Dominus vobiſcum*, & dicat hanc orationem, *Omnipotens ſempiterne Deus, qui per beatum Iacobum*. Quâ finitâ & reſponſo *Amen*, dicat infirmus ſuum *Confiteor*: & ſi illud dicere neſcierit vel non quiverit, tundens pectus dicat *Mea culpa, de omnibus peccatis meis precor vos orate pro me*: tunc dicatur ei ab omni Conventu, *Miſereatur tui, &c.* Et poſt Abbas ſi affuerit dicat hanc abſolutionem. *Dominus Ieſus Chriſtus, &c.* Si verò Abbas defuerit, dicat ipſe qui inungit *Indulgentiam & remiſſionem*: quo dicto qui inunxerit offerat ei crucem ad oſculandum. Quo facto & cruce redditâ, dicat *Per iſtam ſanctam unctionem*, &c. Et ſic inunctionis impleat officium: & inuncto infirmo, dicat Conventus Pſalmum *Benedic* primum: deinde dicantur *Pater noſter* & preces, ut in *Collectaneo* ſcriptæ ſunt, & poſteà orationes; prima quidem *Oremus Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Fratres*: ſecunda, *Propitietur Dominus*: tertia, *Da veniam Domine famulo tuo*: quarta, *Benedicat te Deus Pater ſanctus*: quinta, *Benedicat te Deus cæli*: ſexta, *Benedicat te Deus Pater qui in principio, &c.*

Quibus expletis omnes exeant: quòd ſi ſtatim communicari debuerit, eat cum miniſtris ad Eccleſiam qui eum perunxit, aut alius pro eo, ſi neceſſe fuerit. Et ablutis manibus in piſcina, deferat ſanctam communionem cum calice offertorio cooperto, præeunte cruce, lumine, aquâ benedictâ. Alius etiam inter lumen & aquam deferat ampullam vinariam ad conſpergendos digitos in calice. Cùm ad infirmum veniunt, qui fert aquam aſpergat eum. Sacerdos verò dicat ei: *Ecce Frater, Corpus Domini noſtri Ieſu Chriſti quod tibi deferimus; credis hoc illud eſſe, in quo eſt ſalus, vita & reſurrectio noſtra?* quo reſpondente, *Credo*, moneat dicere *Confiteor*, ſi Monachus eſt. Quo dicto, Sacerdos cum his qui aderunt, dicat: *Miſereatur tui*, & poſteà ſolus ſubjungat *Indulgentiam*: deinde communicet eum dicens, *Corpus Domini noſtri Ieſu Chriſti cuſtodiat te in vitam æternam*. Si Converſus eſt vel Monachus qui non intelligit literas idem illi romanè exponat Sacerdos: & Converſus romanè confiteatur ſe peccaſſe cogitatione, locutione & opere. Similiter Monachus romanè confiteatur, ſi ſuum neſcierit *Confiteor*. Idem quoque fiat, quoties

gravi neceſſitate quis tenetur. Quod enim de fide ſua infirmus interrogari præcipitur, non de omnibus infirmis: ſed tantùm de inunctis & de his qui in extremis videntur agere, intelligimus. Similiter etiam aliis vicibus quando communicant infirmi Monachi vel Converſi, non permittat Sacerdos aliquam evenire negligentiam, ſed de his quæ ad hoc neceſſaria ſunt loquatur: quo communicato, diſcedant.

CAPVT XCIV.

Quomodo agatur circa Defunctum.

CVM aliquis morti penitùs appropinquaverit, ponatur ad terram ſuper ſagum, ſuppoſito priùs cinere in modum crucis, & aliquâ mattâ, vel ſtraminis aliquanto. Dehinc percuſſâ crebris ictibus tabulâ in Clauſtro, & pulſato ſigno in Eccleſia ubicunque Conventus fuerit quater, quomodo bis fieri ad inungendum infirmum determinatum eſt: ſi Conventus intra Clauſtrum fuerit, occurrant omnes velociter ad morientem, *Credo in Deum* dicentes bis vel ter, tam altè ut poſſint audiri. Si verò extra, quàm citiùs poterit, cum gravitate tamen occurrat: niſi fortè tempore ſecationis vel meſſionis tantùm, pro aliqua gravi neceſſitate Abbati vel Priori aliter viſum fuerit. Cantor verò Abbati deferat *Collectaneum*: & Sacriſta Stolam & Baculum ducens ſecum qui deferat crucem, lumen, thuribulum & aquam benedictam. CAP. VI.

Si ad collationem ſederint, auditâ tabulâ dicat Lector, *Tu autem Domine*, & Abbas, *Adjutorium noſtrum.* Qui tunc fortè præſens non fuerit, non ſatisfaciat ad gradum, ſed in craſtino veniam petat in Capitulo: ſi in Oratorio ad Miſſas vel ad canonicas horas vel Sabbato ad *Mandatum* fuerint, Abbas aut Prior & quos Abbas juſſerit, eant. Si autem viderit Cantor quòd pro feſtinatione poſſint cæteri ad Defunctum convenienter occurrere, ſolito citiùs impleant opus inceptum & alios ſubſequantur. Quòd ſi præcipua fuerit ſolemnitas, propter hoc Veſperæ vel Nocturni celeriùs non dicantur. Quod maximè in præcipuis ſolemnitatibus obſervetur. Et ſciendum quia Dominicis &

festis diebus Laudes sive Matutini, qui secundùm Regulam post Nocturnos statim debent subsequi, licet eâ horâ tabula pulsaverit, non intermittentur: similiter nec Prima privatis diebus post Laudes in hyeme. Officium quoque Defunctorum ubicunque sequi debuerit, quamvis pulset tabula, non intermittetur. Dictâ itaque *Litaniâ*, si adhuc vixerit, dicantur septem *Psalmi Pœnitentiales*: quòd si nondum obierit, discedant, relinquentes ibi crucem & aquam benedictam.

Egressâ animâ incipiat Cantor, *Subvenite*, cæteris eundem cantum subsequentibus, & deinde *Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison.* Dehinc *Oremus*, *Tibi Domine commendamus.* Post illam Collectam deferatur mortuus ad lavandum: provideat autem Prior à quibus & quomodo abluatur & involvatur. Interim Fratribus seorsùm à Defuncto ordinatis circa Abbatem sicut in Choro prout locus permiserit & quisque Abbas in suo dictaverit Monasterio, Conversis Laïcis seorsùm existentibus, Abbas cæteras quæ sequuntur subsequatur Collectas: scilicet, *Deus pietatis*, & *Diri vulneris*, *Viam tuam*, *Omnipotens sempiterne Deus, qui humanæ*: *Suscipe Domine animam servi tui*, adjunctâ ei illâ, *Partem beatæ Resurrectionis*, & post hanc responso à Conventu *Amen*, incipiatur mox Psalterium *Beatus vir.*

Post lavationem corporis allato corpore, Abbas aspergens illud aquâ benedictâ & thurificans, dicat omnibus audientibus *Pater noster.* Dicto igitur ab Abbate, *Et ne nos inducas*, & responso à cæteris, *Sed libera nos à malo*: dicat Abbas, *A porta inferi*: deinde, *Nihil proficiat inimicus in eo*: & post *Dominus vobiscum*, *Oremus*, *Deus cui soli competit*: quam cùm inceperit, procedant ad caput processionis Ministri cum cruce, absconsâ, thuribulo & aquâ benedictâ. Dictâ itaque Collectâ, & responso à Conventu *Amen*, imponat Cantor Responsorium *Libera me Domine de morte*: & sic efferant corpus in Ecclesiam sequentes crucem eo ordine quo stant in Choro, ita ut Laïci Monachi præcedant Clericos, post quos incedat Abbas cum Stola & Baculo, vel quicunque officium fecerit: posteà Novitii, deinde Defunctus à quatuor vel pluribus quibus Prior jusserit, sublatus, quos & Conversi subsequantur. Dum verò

Defunctus effertur ad Eccleſiam, ſi cantatur hora canonica, videat Cantor quid canitur. Si dicitur *Evangelium*, vel *Te Deum laudamus*, vel aliquod Reſponſorium, ſubſiſtant parumper in Clauſtro donec finitum ſit, & tunc intrent cantantes. Si verò aliud Chorus cantaverit, non differant intrare: & Chorus intermiſſo quod cantabat, cantet cum eis donec poſt collectam reſumant quod fuerat intermiſſum. Qui venientes ad Eccleſiam deponant corpus in Choro, niſi ita ſit fœtidum, ut in Eccleſia poni non poſſit. Abbas autem provideat ubi corpus ponatur. Finito cantu & Fratribus ordinatis ad caput Defuncti cum cruce, & thuribulo, & aquâ benedictâ eo ordine quo in Eccleſia venerunt, & lumine ſuper candelabrum poſito ad caput Defuncti, Abbas ſtans poſt eos faciat commendationem. Interim Fratres habeant vultus ad alterutrum, facta commendatione, deponant ibi aquam benedictam & crucem. Quo facto qui ab hora exierant eant in Capitulum, & reincipiant horam & compleant. Vigilias, Laudes & Veſperas non incipiant à capite, ſed ubi dimiſerunt. Et quod omiſſum erat implentes uſque ad id quod cantatur in Choro, redeant in Conventum, ſine ſatisfactione tamen, quandocunque exierint.

Porrò ſi tabula pulſatur quando dicitur Officium pro Defunctis, relictis paucis in Choro quibus Cantor innuerit, Conventus exiet ad Defunctum, niſi fortè officium præcipuum fuerit, quod intermitti non licet: dè quo faciendum eſt ſicut diximus de horis canonicis. Si Capitulum intermiſerant, revertantur illuc complentes quod remanſerat, & ibi præſens Defunctus abſolvatur: quòd ſi Abbas tunc defuerit, in primo Capitulo cui affuerit abſolvat eum. Si Refectorium intermiſerant, revertantur ad refectionem, etiam in Quadrageſima, ita ut nec ſignum in Eccleſia, campana in Refectorio pulſetur, nec verſus repetatur, nec Lector benedictionem petat, ſed incipiat ubi finierat: qui verò nondum inceperant comedere, manentes ad corpus, poſteà comedant. Porrò omnimodis Abbas provideat, ut corpus nunquam ſolum remaneat. Statim autem finita commendatione reſidentes in Choro eo ordine quo intraverunt, & quo ad omnia intervalla æqualiter ſe debent habere, ibi incipiant pſalterium ubi in Infirmito-

rio dimiserant, si tamen inceptum fuit: quòd si inceptum non fuit, incipiant à capite semper dicentes, *Requiem æternam* totum versum, dum signum pulsatur ad horam. Quòd si psalterium finierint antequàm corpus sepeliatur, dicant plenarium Officium Defunctorum ab hora prandii usque ad noctem, *Placebo* & *Verba*: post secundum psalterium *Placebo & Dominus regit*: post tertium *Placebo & Expectans*. Ex quo nox fuerit usque post Sextam sequentis diei, *Verba mea*, & *Exultabunt*, *Dominus regit me*, *& Exultabunt*, *Expectans*, & *Exultabunt*, Hebdomadario lectiones legente (si dies fuerit) legat eas cui Cantor injunxerit: quo percantato iterùm incipiant psalterium: quòd si & ipsum finierint, eodem modo secundum Officium, id est, *Dominus regit me*, persolvant: quòd si adhuc Defunctus superierit, iterùm incipiant psalterium, quo finito eodem modo tertium Officium compleant. Hæc autem officia omnia cantando dicantur voce mediocri, & Responsorium *Libera me Domine* non dicatur, nisi in tertio Officio, & cum primo tantùm Versu & una Collecta singulariter dicatur scilicet *Inclina Domine*, & Psalteria cum *Requiem æternam* singulariter dicto terminentur. Et quicquid pro eo dicetur, quandiu insepultum fuerit, singulariter dicatur.

Cùm præsens Defunctus est in Ecclesia, si Conventus Officium Defunctorum post Laudes & Vesperas celebrat, similiter celebrent qui sunt in Infirmitorio: & qui in Capitulo vigilias dixerint, dicant Officium Defunctorum quale est dicendum in Choro. Qui vigilant circa Defunctum, nisi priùs finito psalterio dixerint Officium Defunctorum post vigilias & Laudes regulares, quas ibidem dixerint, idem Officium non omittant. In consuetudinario verò Officio quod agitur post Vesperas sive post Nocturnos, dicatur prima Collecta pro eo: deindè consuetæ, nisi fuerit solenne Officium Defunctorum, in quo solenni Officio post primam Collectam hæc tantùm debet sequi tam ad Vesperas & ad Laudes, quàm ad Missam. Si verò Missa fuerit pro eo, in Conventu dicatur ejus Collecta prima id est *Inclina*, & *Omnipotens sempiterne Deus qui vivorum* quod si fuerit solenne Tricenarium, interponatur *Deus veniæ*.

CAPVT XCV.

Item de Defunctis poſtquàm ſunt in Eccleſia.

OMNI die quo jejunamus tam æſtate quam hyeme ſi ab initio Nonæ uſque ad principium Laudum obierit aliquis: dictâ Miſsâ poſt Primam ſepeliatur. Si ab initio Laudum uſque ad finem Primæ tranſierit: poſt Tertiam tumuletur. Si inde uſque ad Tertiam mortuus fuerit: poſt Sextam ſepeliatur. Si ab initio Tertiæ uſque ad Sextam, ita ut ante Sextam Miſſam habere poſſit: ante Nonam ſepeliatur. Si ante Sextam Miſſam habere non poteſt: poſt Sextam eam habeat, & inter Nonam & Veſperas ſepeliatur. Si inter Sextam & Nonam: dicatur Miſſa ante Nonam, & Nona ſi neceſſe eſt, differatur: & poſt ſecundam refectionem ſepeliatur. Tempore quadrageſimæ poſt Nonam poterit dici Miſſa pro Defuncto, & poſt primam refectionem ſepelietur. Tempore autem quo non jejunamus, ſi à prandio uſque ad Laudes ſequentis diei obierit: poſt Primam dictâ Miſsâ ſepulturæ mandetur. Si à Laudibus uſque ad finem Primæ: dictâ Miſsâ poſt Tertiam tumuletur. Si inde uſque ad Tertiam: ante Sextam ſepeliatur. Si à Tertia uſque ad Sextam: dictâ Miſsâ poſt Nonam ſepeliatur. Si verò à ſigno Sextæ horæ uſque ad refectionem: hora & Miſſa celeriùs dicantur, & poſt Miſſam reficiant Fratres: poſt Nonam verò mortuus ſepeliatur. Si duo mortui diverſis horis ſepeliendi ſupervenerint, & Miſſam ſimul habere potuerint: horâ quâ ſecundus ſepeliendus eſt, ſimul ſepeliantur, ſi convenienter fieri poteſt. CAP. VII.

CAPVT XCVI.

De vigiliis circa Defunctum.

CVM agendæ ſunt vigiliæ circa Defunctum, ſi ſpatium ſuppetit, Cantor deſignet in tabula qui vigilaturi ſunt. Quibus in duas partes diviſis, pars prima vigilet dimidium ſpatium quod eſt à Completorio uſque ad Nocturnos, aliis interim dormientibus: & ſecundùm quod C. VIII.

opportunum viderit agat sibi matutinas. Circa primi spatii finem eat cui à Priore injunctum est: & inspectâ horâ in horologio secundùm quod Sacrista indicaverit, si tempus est, eat ad lecta singulorum qui vigilare debent & excitet eos. Quibus Chorum ingressis primi recedant: & ipsi matutinas agant sibi, & sic vigilent usque ad Nocturnos. Et veniente Conventu, designato Cantori Psalmo ubi dimiserant, ad lecta redeant dormituri.

Si verò ad conscribendum vigilaturos Cantori spatium defuerit: manu designet in Choro qui primi vigilare debent: secundos conscribat, & conscriptos alicui de primis ostendat qui eos excitet: & ab utrisque sic agatur ut dictum est. Si propè vigilias Conventus ad Defunctum surrexerit: vigilet usque ad vigilias. Horâ verò prandii qui ad corpus remanserant, Conventu veniente ad gratias, denuncient intrantibus Psalmum ubi dimiserant, & exeuntes per retro-Chorum eant in Refectorium cum Servitoribus reficiendi. Si autem in æstate post prandium vigilandum est, qui ante Nonam vigilaverint post Nonam dormiant. Nullus dirigatur in via ex quo Frater mortuus fuerit usque post reconditum corpus, nisi gravis necessitas urgeat, quod & ipsum sine Abbatis licentia non fiat. Qui Officiis deputati sunt, assistant Defuncto quantùm ratio dictaverit. In Conventu, si fieri potest, Missa pro eo solenniter dicatur cum Responsorio *Si ambulem*, & Tractu *Absolve Domine.*

CAPUT XCVII.

Quo ordine Missæ vel Collectæ pro præsenti Defuncto dicantur.

CAP. IX. OMNIBUS diebus quibus duæ Missæ in Conventu canuntur, si præsens Defunctus fuerit, prima dicatur pro eo solenniter cum duabus Collectis, scilicet *Inclina Domine*, & *Omnipotens sempiterne Deus qui vivorum:* secunda verò cum Collectis, quæ ad primam Missam dici debuerunt. In Quadragesima tamen & jejuniis quatuor Temporum: & Dominicis in quibus de aliqua vigilia manè dicenda est Missa: & Dominicis diebus: & à Septuagesi-

ma uſque ad Paſcha : & in octavo die Paſchæ : & in Adventu Domini cum ſolennitas duodecim Lectionum, in qua laborare ſolemus, in Dominica evenerit : & cum vigilia Nativitatis Domini die Dominica fuerit : & Dominicâ quando dicitur *Dum medium ſilentium* : & tribus Dominicis diebus ante Quadrageſimam : & Dominicâ ante Aſcenſionem cùm ſolennitas ferianda ſupervenerit : & Dominicâ quando aliqua hiſtoria incipitur : & ſexta die à Nativitate Domini : & illis tribus diebus in quibus laboramus in hebdomada Paſchæ & Pentecoſtes : & Dominicalibus Officiis, quæ differri non poſſunt : in jejuniis etiam præcipuis : & præcipuis Defunctorum Officiis : & octavis Sanctorum, & proprietatibus eorum, qui in Graduali deſignatum habent Officium, præter *Alexandri*, *Eventii* & *Theoduli*, cùm in Dominica ante Aſcenſionem evenerint : & in octava ſancti *Laurentii* cùm in ea dies Dominica fuerit : In omnibus, inquam, his diebus Miſſa de die & Collecta propria pro præſenti Defuncto dicatur, & nihilominùs pro præſenti Defuncto in Conventu dicatur. Tribus tamen diebus ante Paſcha, nec privatim nec in Conventu Miſſa pro præſenti Defuncto celebretur. In Cœna tamen Domini & Sabbato, ſi præſens Defunctus fuerit, Collecta pro eo ad Miſſam dicatur. In die verò Nativitatis Domini, Paſchæ & Pentecoſtes omnes Miſſæ in Conventu de feſto fiant, & Collecta dicetur pro præſenti Defuncto : privatim autem qui ex devotione voluerit cantare, licebit pro eo. Qui de feſto cantaverint, Collectam dicant pro Defuncto, tam poſt ſepulturam quàm ante.

Quia verò cavendum eſt omnimodè, ne ſine propria Miſſa quiſquam Fratrum ſepulturæ mandetur, ſi convenienter fieri poteſt, præſens Defunctus Miſſam habeat in Conventu, etiamſi eadem die una vel duæ Miſſæ cantatæ fuerint aut cantandæ. Quòd ſi neceſſitas temporis aut ſolennitatis præcipuæ non permiſerit : ſaltem privata Miſſa pro eo dicatur, ſi hora non impedierit, & ſecundum diſtinctiones horarum, quas diximus, ſepeliatur. Sciendum autem quòd pro hac neceſſitate omnibus diebus jejuniorum extra Quadrageſimam uſque ad Nonam : in quadrageſima uſque ad Veſperas : tempore quo non jejunamus uſque ad prandium, poterit Miſſa dici pro Defuncto.

Si defuerit in Conventu qui hanc more solito cantare valeat: Frater de via veniens (si est) hoc adimpleat. Si ille defuerit, aliquis de Infirmitorio. Si & iste non aderit, frater quamvis *illusionem* passus hoc faciat. Si verò & iste defuerit, liceat Abbati vel uni de Fratribus Sacerdotibus Monasterii secundam Missam cantare. Præsente nihilominùs Defuncto vel ante sepulturam vel post, eadem die, exceptis supradictis tribus diebus, nullus nisi pro eo Missam cantare præsumat: nisi secundùm dispositionem Abbatis, quando Fratres communicare debent: aut Officiales audire convenit Missam in aliqua præcipua festivitate.

Illusionem, ergo excepta hujusmodi necessitate non solebant illusionem passi Missam celebrare.

CAPUT XCVIII.

Quo ordine efferatur ad tumulum.

CAP. X.

DUM efferendus fuerit ad tumulum, induatur Abbas albâ, stolâ, manipulo cum Baculo: & pulsato signo sicut ad Missam, qui Psalmos cantant, finito Psalmo vertant se ad Altare. Abbas verò & qui crucem, lumen, incensum, cum thuribulo & aquam benedictam ferunt: ordinentur ad caput Defuncti hoc modo. Priùs aqua, posteà lumen: deinde crux, ultimus Abbas. Thuriferarius verò juxta Abbatem: ut quoties Abbas corpus thurificaverit ad finem uniuscujusque Collectæ, paratum tribuat ei thuribulum. Cantor verò vel cui ipse injunxerit, teneat ei *Collectaneum*. Interim Fratres vertant se ad alterutrum. Expleto itaque Officio, eat thuriferarius in ordinem suum, scilicet inter lumen & aquam. Et tunc impositâ Antiphonâ à Cantore, exeant cantando Psalmos, scilicet *In exitu Israël: Confitemini* 4. *Quemadmodum: Memento Domine David: Domine probasti: Domine clamavi: Voce mea* 2. Et post Psalmos dicatur Versus *Requiem æternam*, & Antiphona *Chorus Angelorum*, & statim *Clementissime Domine* cantando, & dum dicitur, *Domine miserere super peccatore*, omnes petant veniam. Incedant autem eo ordine quo stant in Choro Sacerdotibus præeuntibus: ita ut Abbas eat primus scilicet post crucem, Novitii verò post Monachos. Sed & quatuor Fratres vel plures à Priore provisi, induti scapularia subtus cucullas sustollant corpus. Aliquis autem

remaneat qui & Eccleſiam & Clauſtrum cuſtodiat. Dum ad tumulum pervenerint, Abbas & miniſtri ordinentur ad caput foſſæ. Qui verò corpus deferunt ponentes illud à parte meridiana: exuant cucullas & ſint parati ad corpus ſepeliendum. Quo tumulato reinduti cucullas, revertantur ad Chorum in ordine ſuo. Fratres verò vertentes facies ad alterutrum ſeorſum ab Abbate poſt eos cantantes ita ordinentur, ut priores ſint à parte Defuncti.

Interim Abbas officium peragens, ſolis miniſtris ſibi reſpondentibus, ſi tumulus nondum paratus eſt cum ad *Temeritatis quidem* venerit, dicat de ſequentibus Collectis, hac reſervatâ. Quo præparato antequàm inchoet ipſam Collectam, aſpergat corpus, poſteà foſſam. Deinde thurificato corpore, tradat thuribulum illi qui eſt in foſſa, ut eam thurificet. Moxque deponatur corpus, & iterùm aſpergatur ab Abbate, & ab illo qui in foſſa eſt thurificetur. Quo operto, Abbas ſuper eum terram ſemel projiciat. Quo facto, retrahat ſe contra ſepulchrum, incipiens *Temeritatis quidem* ordinatis ante eum cruce, lumine, thuribulo, aquâ benedictâ, & ſic conſummet cætera quæ reſtant. Quibus conſummatis, incipientes *ſeptem Pſalmos Pœnitentiales*, revertantur ad Eccleſiam verſo ordine, ſcilicet laïcis Monachis præeuntibus, & ſi fuerint Novitii, eant primi: & ingreſſi medium Chorum, ſtent eo ordine quo venerunt, donec Sacerdotes à ſuperiori parte proſternantur. Interim Abbas exutus veſte Sacerdotali proſternat ſe in Preſbyterio ante Altare, & Priores poſt eum. Quòd ſi alius fecerit obſequium, exutus veſte Sacerdotali proſternatur in primo ordine inter Priores. Poſt Pſalmos dicto *Requiem æternam* & quod in *Collectaneo* habetur, diſcedant.

Fratres qui extra Chorum ſunt pro infirmitate, & minuti ad exitum morientis & ad ſepulturam, & ad ſeptem Pſalmos poſt ſepulturam, ſi poſſint, ordine ſuo conſiſtant. Sin autem, impoſſibilitatem ſuam Abbati ſuggerant: ab his verò quæ in Eccleſia pro eo aguntur, permittantur abeſſe. Qui in Infirmitorio ſunt, ſi potuerint, ſimiliter ordine ſuo exeant ad tumulum. Reverſi verò in Eccleſiam extra Chorum, ſe proſternant ſicut & Novitii. Converſi autem in ſuo Choro vel in retrochoro. Dehinc fiant plura *brevia*, quæ dentur Portario diſtribuenda peregrinis. Quicquid

Brevia, id eſt ſchedulæ, orationes & ſuffragia pro Defuncto ab aliis Monaſteriis poſtulantes.

verò pro eo fit antequàm terræ tradatur, erit extra debitum quod ei debetur. Hoc est autem debitum, ut Collecta pro eo dicatur in Conventu ad Officium Defunctorum, in Vesperis & Laudibus usque ad trigesimum diem: scilicet *Deus cui proprium est*, & hæc eadem in Missa quotidiana diebus totidem repetatur. Quibus finitis, trigesima die commemorante Cantore absolvatur in Capitulo, & tunc conjungatur in Collectam, scilicet *Omnipotens sempiterne Deus cui nunquam*. Et ab unoquoque Sacerdote *tres Missæ* privatim, & ab unoquoque Clerico *Psalterium*, & qui ipsum ignorant, centies quinquagies *Miserere mei Deus*. Qui etiam ipsum ignorant, toties *Pater noster* dicant. Si qui nostri Ordinis ad quamlibet Abbatiam nostri Ordinis supervenerit & ibi obierit: tantum pro eo agatur, ac si illius domûs professus fuisset; nihilominùs tamen pro eo in propria domo agatur.

Tempore Cisterciensis Capituli sequenti die post Exaltationem sanctæ *Crucis*, post sermonem habitum in Capitulo, cum devotione stantibus omnibus, ab eo qui Capitulum tenet, absolvantur Defuncti nostri, ita dicente, *Animæ fratrum & familiarium nostrorum hoc anno defunctorum requiescant in pace*, & respondentes omnes *Amen*, dicant *De profundis*: & post flectentes genua, etiam Dominicis diebus, dicant *Pater noster*: & qui præsidet, dicat *Et ne nos inducas in tentationem: A porta inferi: Dominus vobiscum: Oremus, Deus veniæ largitor, &c.* in fine post *Dominus vobiscum, Requiescant in pace, Amen.* Eodem modo fiat absolutio decimo quinto Kalendis Octobris in unaquaque Abbatia Ordinis nostri commemorante Cantore, & eodem die ad Vesperas incipiatur solenne Tricenarium, nisi fortè in crastino dies præcipui jejunii vel Dominica dies occurrerit. Quòd cùm contigerit, absolutio quidem non differetur, sed in die sancti *Mauricii*, nisi fortè & ipsum dies Dominica sequi debuerit, ad Vesperas incipietur solenne Tricenarium, & sequens dies quæ tunc prima erit Tricenarii, solenniter agetur. Post absolutionem Defunctorum prosequatur qui Capitulum tenet, & dicat quid amplius pro eis fieri debeat, & hoc est debitum. *Tres prebendæ* omni die in unaquaque nostri Ordinis Abbatia: ab unoquoque etiam Sacerdote *viginti Missæ* infra

annum: à cæteris *decem Psalteria*: ab iis qui Psalterium nesciunt, mille quingentis vicibus *Miserere mei Deus*, vel toties *Pater noster*.

In quibus omnibus, si priusquàm persoluta fuerint, de parentibus seu de familiaribus nostris, vel etiam de Fratribus nostri Ordinis aliquis obierit, recipi poterit, nisi fortè ea aliquis per negligentiam suam nondum persolverit. Si quis tamen, quamvis adhuc debito teneatur Capituli: vel etiam aliis temporibus, quandiu debet aliquam Missam pro Defunctis, de præsenti solennitate ex devotione cantare voluerit: non ei reputabitur pro negligentia. Et ex quo hæc absolutio facta est, unusquisque quod Fratribus suis debet, non expectato reditu Abbatum de Capitulo, devotè, ut Dominus cuique dederit, solvere satagat.

Et cùm Abbates de Cisterciensi Capitulo venerint, prima die quâ in suo quisque fuerit Capitulo, ad admonitionem Cantoris iterùm absolvantur cum flexione genuum, etiam Dominicis & festis diebus. Omnibus quoque Tricenarii diebus Collecta Tricenarii pro eis in Conventu (exceptis duodecim lectionum diebus) tam ad Missas quàm ad Officia dicatur. Super hæc omnia, Missa una quotidie, excepto *Natali Domini*, *Parasceve*, Sabbato *Pascha*, & ipso die *Pascha* & *Pentecostes* tam pro eis quàm pro aliis omnibus de Ordine nostro, qui ab hoc sæculo migraverunt vel quotidie migrant, dicatur.

Forma Brevium pro Defuncto scribendorum.

PRIMA *Augusti obiit in Monasterio N. Nonnus N. de N. Sacerdos & Sacrista ejusdem Monasterii: pro cujus anima, vestras precamur orationes ex charitate, & orabimus pro vestris.* Et sic de similibus, mutatis mutandis; die scilicet, loco, nomine, ordine & officio, prout continget.

CAPVT XCIX.

De Parentibus nostris.

PATRES, Matres, Fratres, Sorores & Consanguinei defuncti Fratrum Ordinis nostri, in Cisterciensi Capitulo in Conventu Abbatum extremo die nominatim ab- CAP. XI.

solvi debent. Similiter fiet in omnibus Abbatiis Ordinis nostri decimo-quinto Kalendas Octobris post solennem absolutionem Fratrum nostrorum, & prima die qua quisque Abbas à Cistercio rediens, suum ingreditur Capitulum: in quibus tamen absolutionibus dicetur tantùm *Requiescant in pace.* Participes quoque fiant omnium eorum, quæ in Generali Capitulo statuuntur facienda pro Fratribus. Pro eis quoque semel in anno communiter duodecimo Kalendas Decembris per omnes Abbatias nostras præcipuum Officium fiet solenniter. Quando verò Monachus misericordiam quærit pro Patre, Matre, Fratre & Sorore, quia pro aliis parentibus petere non licet, absolvitur Defunctus, & unusquisque Sacerdos in Missa privata Collectam pro eo dicet: reliqui Fratres septem *Psalmos Pœnitentiales*, vel totidem *Miserere mei Deus*, aut *Pater noster* totidem.

CAPUT C.

Quomodo communicentur hospites infirmi.

Cap. XII. QUANDO Hospitalis viderit hospitem debere communicari, dicat Priori: qui provideat quis Sacerdos hoc faciat, & qui cum eo eant. Sacerdos verò ablutis manibus, indutus albâ, stolâ & manipulo, sumat partem Dominici corporis de vasculo in quo reservatur, quam tenens super Calicem utraque manu offertorio coopertâ, eat ad infirmum, Fratribus præeuntibus hoc modo. Primus cum aqua benedicta & igne in absconsa: Secundus cum vino in ampulla: Tertius verò cum cruce discooperta. Porrò illi ante quos transeunt, prosternantur super genua: redeuntibus verò, inclinent tantùm.

Cùm autem pervenerint ad infirmum, inquirens fidem ejus, communicet eum Sacerdos: posteà aspergat digitos suos vino in Calice, quod ministret ei, tenens sinistram manum sub mento illius, & iterùm liniens Calicem vino, det ei. De sibi autem ad hoc opus necessariis loqui poterit. Quòd si viderint eum nondum propinquare morti, dimittentes ibi crucem & aquam benedictam, redeant eo ordine quo venerunt.

CAPUT

CAPVT CI.

Quomodo hospes sepeliatur.

CVM hospes nunciatus fuerit obiisse, provideat Prior qualiter anima commendetur, Hospitalis qualiter aptè præparetur. Prior verò quando viderit competere, mittat Sacerdotem cum Collectaneo & stolâ, & duos Fratres cum cruce & aquâ benedictâ & lumine in absconsa, & thuribulo, & quod voluerit ad deferendum eum in Ecclesiam, cantando voce mediocri. Prior verò provideat, ne corpus solum vel sine lumine remaneat. Si interim Officium pro Defunctis vel Missa cantatur, pro eo Collecta secundo loco dicatur. Ad aliam verò Missam eo loco dicatur, quo solent dici Collectæ pro Defunctis. Quacumque horâ sepulchrum paratum fuerit, potest sepeliri, etiam post refectionem. Tunc signo pulsato, ordinentur Fratres circa Defunctum. Quando verò Conventus est in labore, ad sepeliendum mortuum non tenetur occurrere; minor campana bis tantùm pulsetur. C. XIII.

Sacerdos verò cui Cantor injunxerit, habens stolam super cucullam, & cæteri quos ipse providerit, cum cruce & aqua benedicta, & igne in absconsa, & thuribulo, ordinati more solito, compleant Officium planè, scilicet non cantando, nisi fortè Abbati visum fuerit pro reverentia personæ debere cantari. Quo expleto, sicut mos est, efferatur ad tumulum. Quo tumulato, si Cantor viderit expedire, interrumpat Psalmodiam & dicat *Requiem æternam*, Deinde *Chorus Angelorum*: posteà *Clementissime*. Quo finito, Sacerdos expletâ Collectâ quam dicit, dicat altè *Pater noster*: Deinde *Et ne nos*: *Requiem æternam*: *A porta inferi*: *Ne tradas Domine bestiis animas*: *Domine exaudi orationem*: *Dominus vobiscum*: Collectam, *Absolve Domine*, & post eam, *Deus cujus miseratione.* Quâ dictâ discedant.

Ab hoc obsequio possunt remanere infirmi & minuti, & qui diversis officiis deputati sunt, cùm necesse fuerit. Et sciendum quòd omnes Presbyteri & omnes Religiosi qui in hospitio moriuntur, deferuntur in Chorum, & nul-

lus alius, nisi Abbati visum fuerit, & eorum exequiæ cantando fiunt: venia tamen ad *Clementissime*, non petitur, nec *septem Psalmi* post sepulturam dicuntur; eò quòd hæc tantùm pro Monacho vel Converso, aut Novitio nostri Ordinis facienda sunt. Fugitivis verò tam Monachis quàm Conversis, in Infirmitorio pauperum decumbentibus, detur habitus cùm in extremis agere videbuntur, & deportentur in Infirmitorium Monachorum, si Monachi fuerint: Si Conversi, in Infirmitorium Conversorum.

Nota, Fugitivos tunc temporis in Infirmitorio dumtaxat pauperum recipi solitos, nisi ante infirmitatem ad Monasteriũ rediissent.

Quanquam hæc fortè de fugitivis plusquàm tertiò à Monasterio profugis intelligi possunt quibus *Nostri* secundùm Regulam S. Benedicti cap. 29. reversionem negabant nisi in extremis agerent. Et hoc est teste *Petro Venerabili* sextum *Nostrorum* à *Cluniacensibus* discrimen. Ep. 17. lib. 4. Epistolarum ejusdem.

CAPUT CII.

De Novitiis.

C. XVI.

Vide *cap.* 58. *Reg. S. Ben.*

MONACHUS quis fieri volens, facta petitione, non nisi post quatuor dies ducatur in Capitulum: qui dum adductus fuerit, prosternat se ante Analogium. Interrogatus ab Abbate, quid quærat, respondeat, *Misericordiam Dei & vestram.* Cui ad jussum Abbatis erecto, exponat Abbas asperitatem Ordinis, voluntatem ejus exquirens: quòd si responderit se velle cuncta servare, dicat Abbas post cætera: *Qui cœpit in te Deus, ipse perficiat*, & responso à Conventu *Amen*, inclinet, recedens ad hospitium. Eodem modo se agat quoties post lectam Regulam venerit in Capitulum. Tertio verò die ducatur in cellam Novitiorum. Et abhinc annus incipiatur probationis.

In Ecclesia, in labore, ad Collationem ordine suo, sicut Monachi, Conventum teneat. Ante Monachos de Choro post horam exeat, post Completorium orationem extra Chorum faciat. Iisdem horis quibus Monachi, laboret, quiescat, legat, dormiat. Iisdem cibis vescatur, iisdem pannis induatur, excepto habitu Monachali, pro quo cappam & mantellum vel pelles habeat: cum Monachis non significet, nec coronam, nec Ordines accipiat. Si contigerit ut aliquis conjugali nexu ligatus, Monachis hoc ignorantibus suscipiatur, dum cognitum fuerit, ejiciatur: quòd si postea sigillum Episcopi sui, vel certum testem adduxerit,

quòd uxor ejus caſtitatem vovens eum abſolverit, recipi poterit, annum integrum in probatione denuò peracturus: quòd ſi habitum Monachi jam accepit, ſimiliter recedat. Si in cella moritur, de eo ſicut de Monacho fiat. Si Novitius laïcus Monachalem habitum non auſus ſuſcipere, Converſum ſe fieri petierit, poteſt recipi.

Qui verò Monachus fieri voluerit, *completo anno probationis*, vocatus in Capitulo coram omnibus, quid de rebus ſuis, ſi quas habet, fieri debeat, diſponat. Poſteà benedicatur ei corona ab Abbate in Eccleſia ſi laïcus fuerit aſſiſtente ei Cantore & Sacriſtâ, compleatque benedictionem ſicut in Collectaneo habetur. Capillos verò comburat Sacriſta in piſcinam ad hoc deputatam. Deinde tondeatur in Monachum: quòd ſi Miſſa ea die poſteà celebranda eſt, ſtatim poſt Evangelium accedens ad gradum Preſbyterii legat profeſſionem, *ſi legere ſcit*; ſin autem, magiſter ſuus pro eo legat: quâ lectâ ipſe Novitius crucem faciat in ipſa, & tunc inclinans accedat ad Altare, petens veniam ad gradum ipſius. Deinde erectus ponat profeſſionem ſuper dextrum cornu Altaris oſculans illud; & iterùm inclinans, revertatur ad gradum.

Completo anno hoc primum *Noſtrorum* à *Cluniacenſibus* diſcrimen teſte *Petro Venerabili* in ſua Epiſt. 17. lib. 4. Epiſt. ejuſdem; quòd *illi* ſuos, ante completum probationis annum, Novitios ad Profeſſionē admitterent.


Si legere ſcit. Ergo & à *Noſtris* tunc illiterati nonnunquàm recipiebantur, idque juxta Regulam S. Benedicti. *Ibid.*

Abbas verò interim ſtans in dextro cornu Altaris, tollat inde Chartulam: interim Novitius ter dicat, *Suſcipe me Domine* totum verſum, petens veniam, manibus & genibus in terra poſitis, tam feſtis diebus quàm cæteris, quoties finierit ipſum. Et Conventus eundem verſum ter reſpondeat adjungens *Gloria Patri* & *Kyrie eleiſon*, & *Pater noſter*. Abbas autem dicat, *Et ne nos*, fratribuſque reſpondentibus *Sed libera nos à malo*, incipiat Cantor Pſalmum *Miſerere mei Deus* decantandum alternatim ab utroque Choro cum *Gloria*, ad quam non eſt inclinandum, ſicut nec ad illam quæ dicitur poſt *Suſcipe me Domine*. Novitius verò ter petitâ veniâ poſt *Suſcipe me Domine*, ſtatim *humiliet ſe ad pedes* Abbatis, & Abbatum, ſi plures fuerint, & miniſtrorum. Poſteà humiliet ſe ante Priorem & percurrat Chorum ipſius, humilians ſe ad pedes ſingulorum: & iterùm rediens per medium Chorum, percurrat dextrum ſicut fecit & ſiniſtrum. Porrò abſente Priore, niſi Abbas in ſiniſtro Choro fuerit, priùs percurrat dextrum Chorum quàm ſiniſtrum: & inde exiens in retrocho-

Humiliet ſe ad pedes ſcilicet ut per hanc cæremoniam ſecundùm Regulam *Congregationi ſociaretur.*

rum, prosternat se ad pedes infirmorum, si affuerint: quo facto, revertens per medium Chorum, prosternatur sub gradu.

Circa finem verò Psalmi, Abbas cum Baculo accedens ad gradum, dicat *Salvum fac servum tuum, &c* & sequantur quatuor Collectæ, quibus expletis, erigatur Novitius. Deinde benedictâ cucullâ & aquâ benedictâ aspersâ, exuens Abbas propriis vestibus Novitium, dicat *Exuat te Dominus, &c.* & Fratribus respondentibus *Amen*, induat eum cucullam, dicens *Induat te Dominus*, &c. Fratribus respondentibus *Amen*, & sic statuatur in Chorum. Post hæc Abbas revertens ad Altare, dicat *Credo in unum Deum*, vel *Dominus vobiscum.* Porro si ad Missam benedicendus non fuerit, statim post Sextam benedicatur. Et *Charta Charitatis cap. 2.* sciendum quòd quilibet Abbas, etiam in præsentia majoris Abbatis proprium Novitium benedicet.



QVINTA PARS. DE HEBDOMADARIORVM, SVPERIORVM ET OFFICIALIVM MVNIIS.

CAPVT CIII.

De Hebdomadario Sacerdote & ministris ejus.

CAP. I. EBDOMADARIVS Sacerdos horas incipit & omnia capitula; ad Laudes, & ad Vesperas *Dominus vobiscum, Oremus* & Collectas: & in commemorationibus, versiculos, *Oremus* & Collectas. Ad nullius autem commemorationis Collectam dicit *Dominus vobiscum*, nec *Per Christum Dominum nostrum*, nisi post ultimam quando

nihil subsequitur. Cùm verò Prima vel *Exultabunt* subsequitur, dicit quotidiè *Per Dominum*, sed non *Dominus vobiscum*, nec *Benedicamus Domino.* Dat autem Cocis & in via euntibus & redeuntibus benedictiones, sicut in libro habentur: hæc omnia dicit stando, nec inclinat nisi post capitula. Ad cæteras verò horas prostratus, vel residens super *misericordias*, dicat *Dominus vobiscum*, *Oremus* & *Benedicamus Domino*; & ad Officium Defunctorum Psalmos, scilicet *De profundis* & *Lauda anima mea Dominum* incipiat: *A porta inferi*, &c. dicat. In Capitulo & in Refectorio versus & benedictiones dicat. Absente etiam Abbate, Priore, Subpriore, per omnia Subprioris Officium in Ecclesia suppleat, excepto quòd nec Fratres excitabit, nec de loco suo se movebit. Quòd si defuerit, Sacerdos qui supra eum stat in Choro, hæc omnia pro eo compleat: si nullus supra eum fuerit, qui subtus juxta eum steterit. Quòd si in illo Choro nullus Sacerdos extiterit, qui prior fuerit in altero Choro hæc eadem faciat. Qui ordo non tenebitur, si in via directus aut in Infirmitorio fuerit.

In labore horas, si affuerit, incipiat. Candela in Purificatione sanctæ *Mariæ*: cineres in capite jejunii: ramos in Palmis: ignem in sancto Sabbato benedicat, & Missas solennes cantet. In sua septimana Missas generales, & in sequenti cùm duæ Missæ fuerint matutinales cantet, & ad generales ad induendum & exuendum & ad cætera ibi necessaria adjuvet. In tertia verò septimana, cùm duæ Missæ fuerint, ad matutinalem similiter faciat. Cùm Diaconus solus sanguinem Fratribus distribuerit, sicut longè superiùs diximus, loco Subdiaconi eum adjuvet: Minister, si Subdiaconus fuerit, Epistolam; si Diaconus, Epistolam & Evangelium in sua septimana ad generalem Missam legat, & in sequenti ad matutinalem. In secunda & tertia Hebdomada ad Missas, sicut diximus de Sacerdote, adjuvet.

CAPUT CIV.

De Hebdomadario Invitatorii.

CAP. II. EO tempore quo privatis diebus *Invitatorium* canitur, debet Hebdomadarius quotidiè in sua Hebdomada, *Venite exultemus Domino* solus privatis diebus cantare, & in eadem atque in sequenti in duodecim Lectionibus cum socio. In sequenti si extra Chorum fuerit, alii commendet officium suum. Versus per omnes horas & Responsoria in Laudibus & in Vesperis in Ecclesia cantet. In secundo Nocturno *Alleluia:* ad Cantica, & ad horas diei Antiphonas & *Alleluia :* ad Vesperas verò primam Antiphonam debet imponere : ad Laudes & ad Vesperas *Benedicamus Domino* dicere : in Capitulo legere. Ad Officium verò Defunctorum primam Antiphonam incipere : versiculos, lectiones, Responsoriorum versus dicere : ad *Benedictus* & ad *Magnificat* Antiphonas imponere.

Qui si defuerit, qui juxta eum superiùs steterit, hæc omnia pro ipso compleat, nisi in via directus aut in Infirmitorio fuerit : si superiorem non habet, inferior faciat. Quòd si fortè ille qui superior Hebdomadario est, Hebdomadarius Missæ fuerit, vel horas pro alio cantare debuerit : innuat alicui qui Responsoria & versus loco Hebdomadarii compleat. Similiter faciat qui inferior illo est, si Hebdomadarius Missæ fuerit, & ad eum aliquo casu officium *invitatorii* venerit.

Semper autem ille qui inferior Hebdomadario *invitatorii* est, Psalmos & Cantica intonet, Hebdomadario incipiente Antiphonam. In æstate ad Nocturnos privatis diebus post lectionem Responsorium cantet, *Domine labia, Deus misereatur nostri, Quicunque vult, Cùm invocarem,* & omnes Hymnos privatis diebus, & in festis ad Sextam & Nonam incipiat. Notandum tamen quia cùm ultimus Clericorum Hebdomadarius *Invitatorii* fuerit : qui supra juxta eum est, hæc omnia complere debet.

CAPVT CV.

De Servitore Eccleſiæ.

SERVITOR Eccleſiæ in Nocturnis ad lectiones & Reſponſoria, & in Laudibus ad *Kyrie eleiſon*, niſi clarus dies fuerit, ad Collectam candelas accendere debet. Similiter ad intervalla in Clauſtro & in Capitulo, & lampadem ad Completorium quando neceſſe eſt accendere. Ad ipſum etiam pertinet lampades in Eccleſia quoties expedierit reficere: lumen ſi deerit: carbones in patella: aquam ad manus abluendas ante Miſſas: ſal & aquam ad benedictionem Dominicâ die ante Tertiam: prunas in thuribulo ante Evangelium vel poſt, ſi *Credo in unum Deum* dicitur, in Eccleſiam deferre. Salinum quoque in Refectorium unde ſumpſerat, poſt Miſſam referre. Et pro his omnibus ſi intra Clauſtrum non invenerit, foras exire poterit. Cap. III.

CAPVT CVI.

De Hebdomadario Lectore.

MENSÆ Lector Dominico die poſt majorem Miſſam provolvens ſe ante gradum Preſbyterii incipiens à dextra parte, dicat ter *Domine labia mea* totum verſum, & acceptâ benedictione inclinet. Qui ſignificet Cantori, quid & ubi legere debeat. *Mixtum*, audito ſigno, ſicut ſuperiùs diximus, ſumat: librum antequàm Prior Refectorium ingrediatur ſuper analogium ponens, proviſo convenienti principio, adveniente Priore apertum habeat. Dum verſus dicitur ibidem ſedeat: quo finito ſurgat, & verſus ad Priorem ſupplex de eodem loco benedictionem petat: quâ perceptâ ſi homiliam lecturus eſt, incipiat *In illo tempore:* & intermiſſo *& reliqua*, ſubſequatur, *homilia lectionis ejuſdem*. Dum legit, aurem accommodet Priori, ut ſi quando eum emendaverit, intelligere poſſit. Si intelligit quid emendet, humiliter dicat: ſi non intelligit, verſum reincipiat; & hoc toties faciat, quoties Priorem propter hoc grunnire cognoverit. Finitâ Cap. IV.

lectione ferens librum non firmatum, sine mora descendat, & posito libro inclinet: quo resumpto, in tali loco discedat ubi à Conventu non videatur. Quando Biblia leguntur in Refectorio, nominetur capitulorum numerus ab eodem. Finitis gratiis in Ecclesiâ pulset nolam, nisi aliquis Abbas aut Prior loci illius, aut Subprior, absente Priore, cum servitoribus comesturus est. In sequenti Hebdomada ad collationem leget: si autem extra Chorum, vel in Infirmitorio, vel in via directus fuerit, ut ad mensam legere non possit: Cantor alii injungat, qui quandiu ille absens est legat & *mixtum* sumat.

CAPUT CVII.

De Hebdomadariis ad MANDATUM hospitum.

CAP. V. In hoc humilitatis & Charitatis officio teste *Petro* Cluniacensi positum fuit nonum discrimen *Nostrorum* à *Cluniacensibus*, quod *Nostri* non illi pedes hospitibus lavarent.

PERCUSSA tabulâ ad *mandatum* post Completorium, Fratres qui die Dominicâ ad hoc pronunciati sunt in Capitulo, induentes scapularia sequantur ordine suo Hospitalem, & venientes ad hospites deponant caputia. Qui prior est, primâ die abluat pedes, junior tergat, sed non osculentur: secundâ die fiat è converso, & sic percurrant cæteros dies alternatim: quo facto abluant manus & tergant. Deinde ordinati, ita ut priores sint in medio, flexis poplitibus, & manibus in terra demissis ante hospites dicant, *Suscepimus Deus misericordiam*, & sic surgentes inclinent & discedant, retractis caputiis in capitibus.

CAPUT CVIII.

De hebdomadariis Coquinæ.

CAP. VI. DOMINICO die post matutinos egressi de Coquina, provolvant se ante gradum Presbyterii incipientes à parte dextra: deinde incurvi ter dicant *Benedictus es Domine:* & acceptâ benedictione erigentes se, iterùm inclinent, & sic revertantur in Chorum. Quos subsequantur ingredientes eo modo se provolventes, & incurvi ter suum versum dicentes. Qui benedictione acceptâ, & sicut anteriores, inclinantes exeant, nisi commemoratio dicenda fuerit.

fuerit. Et ubi Abbati viſum fuerit, in illo intervallo induti diurnalibus & ſcapularibus ſuis, ſi ſpatium habuerint, hauriant aquam ad manus lavandas, ubi neceſſe fuerit: & ingredientes Coquinam agant ſi quid tunc agendum eſt. Cùm duæ Miſſæ canendæ ſunt, ſi ambo Clerici vel Laïci fuerint, qui ipſo die ſerviturus eſt, audiat primam, alter verò ſecundam, & communicet ſi voluerit: ſi Clericus & Laïcus; Laïcus primam, Clericus ſecundam. Quòd ſi quis horum Miſſam aut Evangelium aut Epiſtolam habet dicere, ipſam ad quam pertinet ſuum Officium audiat, & alter alteram: in præcipuis jejuniis ambo Miſſam audiant.

Quòd ſi in præcipuis jejuniis feriandus dies evenerit, ad majorem Miſſam eat in Coquinam qui eadem die eſt ſerviturus. Primâ die illorum prior *mixtum* ſumens ſerviat: ſecundâ, junior: & ſic cæteris diebus viciſſim ſerviant. Tempore lectionis ambo ſimul in Coquina operentur, niſi ille cujus dies eſt, ſcilicet qui primum ſerviturus eſt, alteri ſignum, ut legat, fecerit. In Quadrageſima ante Tertiam non vadunt in Coquinam, exceptâ Dominicâ. Ad ipſos pertinet in Refectorio ad bibendum, ad utramque refectionem, & ad utroſque *biberes*, & in lavatorio ad abluendum manus, aquam præparare. Et cum acre gelu imminet, aquam calidam cum ſcutellis in Clauſtro, juxta lavatorium ubi neceſſe fuerit miniſtrare: aquam ad raſuram Fratrum præparare.

Qui ad refectionem ſervit Novitiis, priuſquàm Monachis pulmenta deferat ſonitu eos advocans, Fratribus qui propter negligentiam verſus extra Refectorium comedunt neceſſaria præparet: & quæ ſupererunt, poſtquàm comederint, iterùm colligat. Si quid ſibi deerit, à Cellerario per ſignum requirat. Alter verò poſt refectionem indutus ſcapulari in Coquinam veniens, ſcutellas Novitiorum, ſi in Clauſtro cum reliquiis eorum invenerit, cum ſcutellis ſervitorum mundet & cuſtodiat: quod tamen in æſtate non faciat uſque poſt Nonam.

Ubi autem quatuor Hebdomadarii Coquinæ fuerint, duo una die, & duo alia viciſſim ſerviant. Die verò quâ in Coquina non laborant, cum Conventu eant in laborem, ubi Abbati viſum fuerit. Sabbato verò terſoria manuum

ac pedum priùs aquâ calidâ, post, frigidâ lavent. Lavatorium quoque & receptaculum aquæ quod est in Coquina debent abluere, necessaria scopare, & quod ibi opus est ponere. Coquinam scopare, & quisquilias in locum designatum deferre. Aquam ad *mandatum*, cùm opus fuerit, calefacere. Ligna incisa ad ignem in crastino accendendum præparare. Statim post Vesperas, si dies jejunii fuerit: aut post refectionem servitorum, si Quadragesima: vel post cœnam eorundem, si dies fuerit prandii: vasa & cætera quæ in Coquina receperunt, Cellerario reddant, & Cellerarius intranti. Quòd si aliqua de his quæ reddenda sunt desunt, in Capitulo satisfaciant, & quæ defuerint notificent.

Quibus redditis, præparent quæ ad *mandatum* necessaria sunt. Mox autem ut signum pulsaverit, induti scapularibus deponant cucullas in Capitulo, & sic veniant in Claustrum. Incipiente ergo Abbate Antiphonam scilicet *Postquàm* vel Cantore, absente Abbate: prior intrantium in Coquinam abluat pedes Abbatis, & junior tergat, hoc modo percurrentes cæteros in sinistra parte: junior verò exeuntium pedes lavet, & prior tergat, similiter percurrentes cæteros in dextra parte. Et ne hic ordo perturbetur, si duo Abbates fuerint, minor Abbas in dextra parte sedeat. Qui citiùs percurrerint, in alteram partem transeuntes, alios adjuvent. Qui quoties ante eum qui collationem tenet, transeunt: reverenter inclinent. Qui pedes lavat, & cui lavantur, post ablutionem invicem sibi inclinent. Similiter qui tergit, & cui terguntur. Porrò nemo se discalciet, donec Abbas se discalciet. Discalciati verò observent quantùm possunt, ne pedes nudi appareant: sed sub cuculla recondantur. Nec sedentibus manicæ defluant, sed aptè eas ante se componant. Ante lectionem, omnes sint recalciati.

Expleto itaque *mandato* & ablutis manibus & vasis, reponant vasa & tersoria ubi poni solent; & sic in Capitulo cucullas resumentes, & scapularia in Claustro super sedes deponentes: tali ordine venient ante Abbatem, ut qui ultra Abbatem ultimus sessurus est, sit primus in eundo: & sic succedant cæteri eo ordine quo sessuri sunt: ita ut qui ultimus sessurus est in ea parte qua venerunt, incedat

& tunc insimul ante Abbatem inclinantes veniant ad sedes suas non inclinantes, sed postquam resederint, caput humilient. Quòd si alter eorum aliqua necessitate coactus, officium suum complere non poterit, quandiu necessitas durat, aliquis alius pro eo serviat, & *mixtum* sumat. Ipse tamen, etiamsi extra Chorum fuerit, Dominicâ benedictionem accipiat: quòd si Infirmitorium introierit, ille accipiat qui pro eo complevit.

CAPUT CIX.
De Cocis Abbatis.

COCI Abbatis Coquinam per septimanas vicissim faciant. Si quando verò solus implere nequiverit, socium suum in auxilium vocare poterit: sed ad refectionem ambo non serviant, silentium more solito teneant. In Coquinam nullum intromittant, cujus clavem custodiant. Necnon & Laïcus Hospitalis alteram habeat, qui ipsos in omnibus debet adjuvare, & utensilia illius Coquinæ sicut & Monachi custodire. Coquinam Monachorum & Refectorium pro officio suo licet eis intrare. Missas, sicut superiùs de Cocis ordinavimus, audiant. Qui septimanarius est, manè post Primam, scapulari & diurnalibus indutus, *tantùm leguminis* accipiat ut Abbati & supervenientibus sufficere possit. CAP. VII.

Tantum leguminis quia nempe iisdem Pulmentis utebantur Abbates quibus & Monachi.

Ante horam refectionis mensam Abbatis præparet; si hospites defuerint, duos quos Abbas secum comedere voluerit Monachos, per signum advocet, eorumque scyphos & justitias deferat: quòd si fortè pro aliqua causa redire contigerit, non eis imputabitur quod versum perdiderint. Qui Monachi mox ut versum post refectionem compleverint, inclinantes & licentiam non expectantes discedant, nisi Abbas eos retinuerit. Quòd si refectio Abbatis ultra Fratrum refectionem producta fuerit, cognito quod Conventus ad Ecclesiam ierit, acceptâ ab Abbate licentiâ revertantur in Claustrum.

Porrò socius ejus mox ut à Conventu ordinatè divertere potuerit, ad ostium Refectorii veniens socio suo se præsentet, & nutu ejus remaneat ad serviendum Abbati, si

necesse fuerit; exiens postquàm perfecerit mappulas & vasa recolligat, scyphos & justitias Monachorum, si affuerint, in Refectorium referat, & cætera quæ socius ejus faceret, omnia compleat. Ante collationem verò vel refectionem potum Abbati Hebdomadarius in Refectorio præparet, aut si jusserit Abbas, in hospitio. Sabbato eâdem horâ quâ generales Coci, clavem & utensilia Coquinæ intranti socio reddat. Et sciendum quòd ad lectionem mensæ tam absente quàm præsente Abbate scribantur.

CAPVT XCX

De Abbate.

C. VIII. ABBAS debet primum & proprium locum in Choro dextro habere: orationes terminare: primam Antiphonam ad Nocturnos imponere: benedictiones legentibus dare: duodecimum Responsorium cantare: *Te Deum laudamus* incipere: Evangelium legere: per totam septimanam Nativitatis Domini, Paschæ & Pentecostes, & in duodecim lectionibus ad *Benedictus* & ad *Magnificat* Antiphonam imponere: ad processiones in Purificatione sanctæ Mariæ, *Hodie beata Virgo*: in Palmis, *Ingrediente Domino*: & in Ascensione Domini, *O Rex gloriæ* incipere: *Pater noster* ad Matutinas & ad Vesperas cunctis audientibus dicere: de Missis sicut alii Hebdomadam facere, & etiam in Vigilia Nativitatis Domini, & ipso die: in Epiphania: Dominicâ in Palmis: tribus diebus ante Pascha, & in ipsa die: In Ascensione: in vigilia Pentecostes, & ipso die: in omnibus solennitatibus sanctæ Mariæ, & in Vigilia Assumptionis ejus: in die sancti Benedicti: in Nativitate sancti Ioannis Baptistæ: & Apostolorum Petri & Pauli: & *Beati Bernardi*: in Dedicatione Ecclesiæ: in festivitate omnium Sanctorum: & in omnibus præcipuis Officiis Defunctorum, & pro præsenti Defuncto, Missas solennes debet cantare, etiamsi nocturno somnio illusus fuerit.

In Purificatione sanctæ Mariæ candelas: in capite jejunii cineres: Dominicâ in palmis ramos: in Sabbato Paschæ ignem: coronas Novitiorum, & ipsos Novitios benedicere: Capitulum & Collationem tenere. Prioris & Subprioris &

Cantoris officia : & pœnitentias levis & gravioris culpæ debet in Capitulo Fratribus injungere, & ab eis abſolvere : ſimiliter & quem voluerit promovere & degradare. Cætera poteſt intus & foris injungere & abſolvere : Confeſſiones recipere : aquam benedictã poſt Completorium de Eccleſia exeuntibus dare : in dormitorio jacêre : in *hoſpitio comedere.* Si jejunium propter hoſpitem fregerit, nihilominùs horâ ſolitâ, ſcilicet poſt Nonam comedat. Cùm hoſpites defuerint, duos ad minus Monachos ad menſam debet habere, ſilentium ad menſam teneat in quantum rationabiliter poterit. Cùm poſt Completorium deforis venerit in Refectorio comedat, niſi hoſpites adſint. Similiter & poſt Tertiam cùm minutus fuerit : in ipſo etiam poteſt bibere quoties voluerit.

In hoſpitio comedere hoc fuit duodecimum diſcrimen Ciſtercienſium à Cluniacẽſibus : quod Abbates Ciſtercienſis Ordinis cum hoſpitibus comederent juxta Cap. Reg. S. Ben. 56. non autem Cluniacenſes.

Et ſciendum quia cùm Abbas alicui aliquid negaverit, ab alio id petere vel recipere non præſumat. Si quis verò à Cellerario aliquid petierit quod ei dare noluerit, ſi illud idem poſteà à Priore poſtulaverit, videat ne illi celaverit Cellerarium id ſibi negaſſe. Similiter qui Abbatem ſuper aliqua re convenerit, quam ei Prior dare noluerit : nullatenùs omittat quin in ipſa petitione Abbati dicat Priorem id ſibi denegaſſe. Qui aliter præſumpſerit, doli reum ſe eſſe noverit.

Et notandum quia quando Monachi oſculantur Abbatem, coram eo genua flectent, & poſt oſculum profundè inclinent. Hujuſmodi pacis oſculum intra Abbatias noſtri Ordinis venienti de via non porrigimus, niſi priùs oraverit. Qui cùm in Infirmitorio fuerit, non cantet Miſſas nec privatim nec in Conventu, niſi fortè pro devotione, cùm præſens Defunctus fuerit : & hoc qui poterit & voluerit. Qui verò aſſiduè in Infirmitorio fuerit, per Capitulum Ciſtercienſe cantare poterit, tam privatim quàm in Conventu. Et ſciendum quòd Abbas in levi culpa conſtitutus, totum officium ſuum implere poterit, tantùm ne impediatur ſatisfactio ejus.

CAPVT CXI.

De Priore.

Cap. IX. PRIOR in Ecclesia in primo loco sinistri Chori debet stare: in Capitulo verò & ad collationem juxta Abbatem in dextra parte sedere: hebdomadam invitatorii facere, nec tamen in Capitulo legere: duodecimam Lectionem legere: Tabulam ad laborem pulsare, & Fratres illuc si Abbas non ierit ducere, nec quando non ierit, nisi Subpriori, si Subprior ad laborem ierit, committere: ad convocandos in Capitulo Fratres, cùm necessitas exegerit, tabulam percutere, & signum ad lavandum pulsare: Nolam Refectorii in Conventu & ad servitores cùm affuerit, pulsare. Si verò contigerit ut deforis veniens nolam pulsari vel versum dici invenerit, ingrediatur, Subpriore nolâ sufficienter pulsatâ in locum suum revertente. Quòd si Subprior jam resederit, ingrediatur ut cæteri Monachi, & retrahente paulułum se Subpriore, ad nolam sedeat, & suum officium deinceps exequatur: quod etiam ad Capitulum & ad Collationem faciat. Septimanam de Coquina faciat, si major utilitas non impedit, & suo die serviat. Si in Infirmitorio jacuerit, restrictius se agat, nec loquatur cum pluribus simul quàm cum duobus, & hoc in loco determinato, nisi fortè absente Abbate necesse fuerit aliquando pro aliquo consilio pluribus loqui, aut pro tenendo Capitulo infirmis. Nam & ad tenendum commune Capitulum, Conventus poterit ire, si magna necessitas emerserit, absente Abbate. Confessiones in Capitulo etiam, si Abbati visum fuerit, recipiat.

De cætero præsente & absente Abbate intus & foris de omnibus & in omnibus pro voluntate Abbatis se agat, excepto quod locum ejus in Ecclesia non occupabit: nec Missas solennes pro eo cantabit: nec candelas, cineres, ramos, ignem, coronam & Novitium benedicet: nec ad Evangelium benedictionem dabit. Infirmum non unget: mortuum non sepeliet: nullum promovebit vel degradabit, nec ordinare faciet: nullum in gravi culpa mittet aut inde absolvet: Monachum de Monasterio non ejiciet, nec No-

vitium recipiet, niſi juſſerit Abbas: nec confeſſionem de criminalibus, niſi in extremis poſiti, recipiet. Non ei committetur cura operum vel gregum aut grangiarum, ſufficit enim ei officium ſuum. Quòd ſi Sacerdos non fuerit ſed tantùm Diaconus, liceat ei benedictionem dare Lectori in Capitulo, in Refectorio, ad Collationem; quod in Eccleſia facere non debet. Liceat etiam ei in Eccleſia *Pater noſter* dicere, *Te Deum laudamus* incipere, & lectionem de Evangelio dicere.

CAPVT CXII.

De Subpriore.

AD Subpriorem pertinet Fratres in Choro excitare præſente etiam Priore, & cætera quæ ad Cantorem & Sacriſtam pertinent, cùm neceſſe fuerit, emendare. In Clauſtro tempore lectionis, & in Capitulo ad intervalla, ut Fratres ſe ordinatè habeant, ſollicitè procurare. Confeſſiones, ſi ei juſſum fuerit, tempore lectionis recipere, Monachorum ſcilicet in Capitulo, Novitiorum verò & Laïcorum Fratrum & infirmorum de Infirmitorio, ubi ei conſtitutum fuerit. Quando Prior ad refectionem ſervierit, ad nolam ſedere: ad gratias ſolus poſterior ire: in Choro ſuperior ſtare, & abſente Abbate etiam ad *mandatum* ſedere. Sed poſt *mandatum* inclinante ante eum cum ſociis ſuis Priore, pauliſper cedat. CAP. X.

Egreſſo Priore de Monaſterio, Subprior nec loquatur, nec quicquam faciat de officio ejus, niſi ad mandatum ipſius, donec aliquid eorum quæ nominatim pertinent ad officium Prioris occurrat: ut eſt tenere Capitulum, ſi defuerit Abbas: pulſare tabulam ad laborem: pulſare ſignum ad refectionem, vel nolam ad *biberes*. In abſentia verò ejus nihil det vel diſponat, niſi in quo Prior convenienter expectari non poteſt, vel caſu aliquid acciderit quod differri non debeat, nec poſſit. Quòd ſi fortè Prior in Infirmitorio fuerit, pro arbitrio Abbatis vel conſilio Prioris, ſi Abbas defuerit, intus & foris ſe agat.

In Eccleſia locum ſuum mutare, duodecimam lectionem legere, ad ejus non pertinet officium. Similiter nec

in Capitulo, nec ad Collationem locum mutabit, si Abbas præsens fuerit. Si quando Prior de via regressus cum servitoribus comederit, interim intus & foris loqui poterit. Si in Infirmitorio fuerit, nihil plus cæteris præsumat. Si Prior extra Monasterium vel in Infirmitorio fuerit, Subprior ad vigilias & in Capitulo vicem Prioris agat, & cum servitoribus comedens, vel cum minutis in hyeme *mixtum* sumens, ad nolam sedeat.

CAPUT CXIII.

De Magistro Novitiorum.

Cap. XI. MAGISTER Novitiorum debet Novitios suos ordinem suum docere: in Ecclesia excitare: & ubicunque se negligenter habuerint, verbo vel signo quantùm potuerit, emendare. In labore tamen nisi tunc prior Conventûs fuerit, non loquatur cum eis, nisi priùs acceptâ licentiâ: nec in cella ipsorum cantet aut legat. Necessaria eis, quantùm potuerit, debet procurare. In Capitulum ad audiendum sermones adducere. De apertis negligentiis, cùm ante eum veniam petierint, pœnitentiam dare. Diem primum ingressionis in cella scriptum habere: & quando eis legenda sit Regula Abbati pronunciare, quam quisquis legerit, tempore lectionis & laboris seorsum ab aliis legat. Et cùm lecta fuerit, Abbati in Capitulo debet dicere, & ad jussum ejus vocare. Et anno evoluto ad benedictionem adducere, etiam ipsa die qua intravit: si tamen ante Capitulum Regulam audierit. Quòd si in audienda Regula Capitulum prævenire non potuerit, in crastino vel deinceps ex quo Regulam audierit, benedicatur. Pro ipsis Novitiis qui legere nesciunt professiones in Ecclesia legere: ad crucem apponendam, *incaustum* præparatum habere, sicut & peregrinis Monachis: ad pedes Monachorum, si necesse fuerit, eum ducere & reducere: aquam benedictam & cucullam præparare: & ad eum ibi exuendum & induendum adjuvare. Post hæc scyphum ejus & justitiam in Refectorium deferre, & lectum ei quem Prior jusserit ostendere, & ipsa die ibi cum eo de necessariis significare. Deinde

inde per duos menſes in Auditorio juxta Capitulum, ſicut & cum peregrinis Monachis, cum eo loqui.

CAPVT CXIV.

De Sacriſta & ſolatio ejus.

SACRISTA debet horologium temperare, & ipſum in hyeme ante Laudes privatis diebus (niſi dies fuerit) facere ſonare, & ante vigilias ad ſe excitandum quotidie. Qui poſtquàm ſurrexerit, lumen Dormitorii & Eccleſiæ clareſcere faciat, & in Clauſtro ſi neceſſe fuerit ponat: oſtia Eccleſiæ reſeret; ad ipſum enim pertinet omnia ipſius Eccleſiæ oſtia quoties neceſſe fuerit, firmare, claudere & aperire: Capitulum, *Mixtum, Biberes,* Collationem & omnes horas ſonare, nec niſi ad ſonitum Prioris dimittere, præter *Mixtum* & *Biberes* & excepto ad vigilias, & ad Primam omni tempore, & ad Tertiam in hyeme quando jejunamus & laboramus. Capitulum tamen & Collationem non intermittere ſonare, niſi poſt datam benedictionem. Quæ ſi citiùs vel tardiùs quàm debent, ſonuerit, vel ad Collationem lumen fuerit: in ſequenti Capitulo ſatisfaciat. Quòd ſi in vigiliis duodecim lectionum tantùm tardaverit, ut citiùs cantare & lectiones abbreviare neceſſe ſit, ante gradum Preſbyterii ſatisfaciat ſtans incurvus à *Kyrie eleiſon*, uſque poſt *Deo gratias*. Ipſe etiam debet duodecimam lectionem, ſi ultrà quam in Breviario terminata eſt, prolongata fuerit, ſigno vel horologio terminare. CAP. XII.

Quando Vigiliæ vel horæ citiùs canendæ fuerint, Cantori ſignificare: candelas & cereos facere, & in diverſis locis Eccleſiæ ſufficienter ponere. Ad menſas, ad Collationem, cùm negligentia evenerit, portare. Cellerario & Infirmario, & quibus opus fuerit diſtribuere, necnon & candelas de ſepo habere & diſtribuere. Stolam & Baculum Abbati quoties neceſſe fuerit, præparare. Candelas, cineres, ramos, ignem ad benedicendum ſuper gradum Preſbyterii convenienter aptare. Candelas & ramos poſt benedictionem cum ſolatio ſuo, & cum quibus juſſum fuerit, omnibus diſtribuere. Ramos poſt proceſſionem tollere: candelas poſt offerendam de manu Abbatis ſuſcipere.

Ad inungendum infirmum oleum sacratum, ad tergendum stupas vel pannum lineum portare, & post tersionem in piscina comburere. Ad benedictionem coronæ Abbati adesse, & capillos in aliquo loco secreto Ecclesiæ comburere. Textum, Missale, vasa, vestimenta, linteamina, & cætera utensilia in Ecclesia & ad Altare necessaria servare, parare, & quoties expedit, mutare. Corporalia, offertoria, tersoria, quibus digiti Sacerdotis post communionem terguntur, & pallam Altaris super quam extenditur corporale, in vase ad hoc deputato separatim lavans, singulas lavaturas in piscinam projiciat. Pallam quidem cum cæteris linteis lavandam Cellerario reddat, cætera verò in olla ad hoc deputata, aquâ cinericiâ calefactâ, ipsemet abluat. Quibus lotis & diligenter exsiccatis, indutus alba cum petra, quæ vulgò *lisca* vocatur, corporalia poliat: quæ complicans, latitudinem in tres partes dividat, & sinistram partem mediæ superducens dextram superponat, cætera plicata recondat.

Similiter albâ indutus, hostias faciat in loco mundis linteis cooperto, etiam extra terminos, si necesse fuerit, in silentio tamen. Cui duo Fratres scapularibus induti ita subministrent, ne aliud quàm ipsas hostias manibus tractare cogatur. Quorum unus ignem sollicitè faciat: alter verò instrumentum ferreum ad coquendas hostias teneat, & cùm eas faciunt, non loquantur. Quæ cùm peractæ fuerint, Sacrista convenientes ab inconvenientibus studiosè secernens, in repositorio mundissimo conservet. Quæ si fortè aliquando humectatæ fuerint, in Claustro convenienter exsiccentur.

Semel in hebdomada Calices, si Sacerdos fuerit vel Diaconus, digitis suis intus & foris cum solatio suo, priùs tamen manibus ablutis, honestè lavare studeat, & lavaturas in piscinam projiciat. Posteà digitos suos super piscinam abluens, ipsos & Calices ad Tersorium quod inter duo lintea desuper pendet, tergat: & hoc tempore lectionis. Quòd si Sacerdos vel Diaconus non fuerit: Priorem moneat, ut hæc alii facere jubeat. Similiter semel in Hebdomada ampullas & justitias ministerii sui debet abluere. Pavimentum Presbyterii, quoties expedit, scopare: Ecclesiæ negligentias extinguere.

CAPVT CXV.

De Cantore, & ſolatio ejus.

CANTOR debet ſtare in dextro Choro, & Succentor in ſiniſtro. Et unuſquiſque in Choro ſuo, Fratres ad vigilandum & cantandum excitare. Negligentias de Antiphonis, Pſalmis, Reſponſoriis parvis, Hymnis, atque verſiculis imponendis, unuſquiſque in Choro ſuo & in altero, ſi alter non emendaverit, corrigere: ut Fratres ordinatè ſtent vel ſedeant, providere: Ad Miſſas *Kyrie eleïſon* & feſtis diebus, excepto ad Sextam & Nonam incipere. Porrò Cantor pro qualibet negligentia, Succentor verò pro intolerabili, in alterũ Chorum poſſunt tranſire, & etiam de ſuo in altero negligentias, ſi neceſſe fuerit, emendare. Cætera ad Cantorem pertinentia, Cantore præſente & exoccupato facere Succentor non præſumat. Qui ſi defuerit vel occupatus fuerit, cuncta pro illo compleat. C. XIII.

Cantoris enim eſt, libros in Eccleſiam ferre & referre: infirmis & quibus neceſſe fuerit præparare: Operi Dei in oratorio ante omnes providere: ad nutum Sacriſtæ citiùs cantare & lectiones abbreviare: quod utrumque tamen cùm opportunum fuerit, ſine ſigno Sacriſtæ facere poterit. *Alleluia* & Antiphonas poſt Pſalmos: ad commorationes & repetitiones invitatorii & Reſponſoriorum: & Reſponſoria mortuorum, & repetitiones eorum: & poſt Pſalmos Antiphonas, incipere. Libros in Eccleſia, prout oportuerit, diſtribuere: legenti duodecimam lectionem, quod dici conveniat ad legendum, præparare: Antiphonam ad *Benedictus* & ad *Magnificat* imponere & Abbati quam incepturus eſt, cantando pronunciare: & tunc canticum incipere. Ad Miſſas, Introitum, Reſponſoria, Alleluia, Tractus, Offertorium, Sanctus, ter Agnus Dei, & communionem incipere. Ad *Gloria in excelſis Deo,* & ad *Credo in unum Deum* poſt Sacerdotem: *Et in terra pax hominibus* & *Patrem omnipotentem* ſubjungat. Omnes qui in Eccleſia falluntur, exceptis illis qui lectiones ſuper analogium ad nocturnos legunt, per omnia emendare. Extra verò nuſquam præſumat, niſi in Capitulo lunam & breve

pronunciantes, nisi jussus. Lectiones ad Missas in jejuniis: *Gloria, laus & honor* & *Popule meus*, & *agyos:* & quando bini & bini cantant *litanias* illos, qui dicturi sunt, in tabula scribere. Cùm verò una tantùm ad Missam legenda est lectio, signo præmonere.

Ad cætera verò officia id est ad Missam de sancta Maria: ad Missam pro Defunctis: ad Missam in Conventu: ad Evangelium: ad Epistolam: ad Invitatorium: ad servitium Ecclesiæ: ad lectionem Mensæ: ad faciendam coquinam: ad faciendum *mandatum* hospitum, Fratres in tabula designabit. Qui si per quatuor dies fecerint officia sua, pro Hebdomada reputabitur: si minus, iterùm faciant Hebdomadam. In Cœna quoque Domini ad *mandatum* Monachorum: ad lectiones legendas in Ecclesia & Responsoria canenda: ad Missas in die Natalis Domini: in Vigilia Paschæ & Pentecostes: & ad illa quæ ad ipsas Missas dicuntur, in tabula scribere debet. Quòd si quid horum, postquàm in Capitulo recitatum breve fuerit, mutare opus sit: & illi quem delet, & illi quem scribit debet indicare. *Horum negligentias* (excepto de coquina) vel per se vel per alium debet *extinguere*. Officia verò illorum qui in via directi vel in Infirmitorio fuerint, ex toto providere, præter coquinam. Qui antequàm in viam dirigantur vel in Infirmitorium ingrediantur: si quid habent officii, Priori debent suggerere, & ille Cantori.

Horum negligentias extinguere. Per *negligentias* hoc in loco aliqui Candelas intelligi volunt sic dictas à negligentia significandæ horæ divini Officii. Sed qui attentè legerit prima hujus Cap. verba quibus Cantori injungitur *negligentias de Psalmis, Antiphonis, Responsoriis parvis, Hymnis atque versiculis imponendis emendare*: per has *negligentias* nihil aliud quàm *defectus* occurrentes in hujusmodi rebus, intelligendas esse judicabit.

Lectiones in Claustro terminare: legentibus monstrare, & per se aut per alium auscultare. Professiones de manu Abbatis recipere & servare. De cartis & libris faciendis & custodiendis provideat Abbas, cui hanc curam injungat. Pro libris dandis & accipiendis usque ad ostia scriptorum ire, sed non introire. Similiter pro communibus libris, scilicet Antiphonariis, Hymnariis, Gradualibus, Lectionario, Collectaneo, Kalendario, & illis qui in Refectorio & ad Collationem leguntur, potest usque ad ostium Novitiorum & infirmorum & scriptorum ire, & illic signo quærere, sed non ultra procedere, nisi ei ab Abbate jussum fuerit. Post Collationem armarium debet firmare, & tempore laboris, dormitionis & refectionis, & dum Vesperæ cantantur obseratum tenere. Ad aquam benedictam: ad *mandatum*: in capite jejunii: ad omnes processiones:

omnes verſus & Antiphonas incipere, excepto quòd ſi Abbas affuerit. *Poſtquàm ſurrexit* incipiat ipſe Abbas, & etiam *Hodie beata Virgo*, & Reſponſorium *Ingrediente*, & Antiphonam *O Rex gloriæ*, quæ tria ipſe Cantor ei pronunciet.

In prima Dominica Quadrageſimæ dum Miſſa matutinalis canitur, libros in Capitulo ponere, & ad nutum Abbatis Fratribus cum ſolatio ſuo poſteà diſtribuere. In vigilia Paſchæ Annos Domini, Epactas concurrentes, indictiones in cartula ſcripta, & quinque grana incenſi cereo affigere. Ad communicandum vel inungendum infirmum, quis aquam, quis ignem, quis crucem ferre debet, providere. Si Abbas defuerit, infirmum inungat, mortuum ſepeliat, aut cui injunxerit. Ad Officium Defunctorum *Kyrie eleiſon* quoties ibi dicitur debet incipere. Cùm Abbas Hebdomadam de Miſſis fecerit, in Refectorio verſus & benedictiones pro eo dicere. Ad benedictiones & infirmorum inunctionem Collectaneum ei præparare, & ante eum apertum tenere. *Kyrie eleiſon* quoties ibi dicitur incipere. Trigeſimum diem Defunctorum à ſequenti die poſt ſepulturam eorum computare, & in Capitulo dicere, *Brevia* pro ipſis mittenda ſcribere, & in Capitulo etiam *Brevia* legere. Et ſciendum quòd ſi ante finem Completorii Defunctus abierit, in *Brevibus* pro eo mittendis præſens deſignanda eſt dies. Si verò à fine Completorii tranſierit, in *Brevibus* ſequens dies deſignabitur. Si quando Abbas, Monacho vel Converſo moriente, Monaſterio defuerit: in primo Capitulo quo affuerit eum commonere faciat, ut Defunctum abſolvat.

CAPUT CXVI.

De Infirmario.

SERVITOR infirmorum ſolet matutinalem Miſſam audire, & ad eam communicare. Et quando infirmus vadit in Infirmitorium debet afferre ſcyphum, *juſtitiam*, ſtramenta lecti ejus in Infirmitorium. Exinde loqui cum eo de neceſſariis ejus poteſt in loco determinato, ſicut ſupra dictum eſt. Ad matutinas candelam accendere, libros ad hoc neceſſarios ferre, & in Eccleſiam debet referre. Diebus C. XIV.

Juſtitiam id eſt vas in quo potus regularis infundatur.

Dominicis dictâ Tertiâ in Infirmitorio, debet illuc aquam benedictam afferre. Qui expeditiùs ibi horas cantare & lectiones legere possit, debet providere & illi injungere. Libros qui in Infirmitorio fuerint ante Completorium in armarium referre.

Orationes quæ in Capitulo pro vivis & mortuis generaliter cunctis injunctæ fuerint, vel si quid statutum vel mutatum in communi fuerit, vel in ipsos clamatum fuerit, hæc primâ horâ ad quam post Capitulum cantatum convenerint percantatâ, eis recitare: illis tamen silentium tenentibus. Cætera verò quæ ibi dicta vel acta fuerint, omninò tacere. Legere ibi non debet, nec laborare, nisi apparatu vel gravi infirmitate eorum detentus fuerit. Necessaria à Cellerario signo requirere, vel etiam verbo, ubi & quandiu Abbati visum fuerit.

Si plures fuerint comedentes & omnia parata ante se habentes ministrare sibi mutuò potuerint, pergat ad horam vel ad refectionem: quòd si unus tantùm, si ipse infirmus voluerit, cum eo remaneat, non solùm quando reficitur, sed etiam ad Collationem & Completorium, si propè noctem peracta fuerint: & ad vigilias, nisi Prior ipso annuente, alium miserit. Post *Gloria* primi Psalmi ad horas, nisi pro omninò infirmis, silentium teneat. Coquinam & Refectorium pro servitio eorum ingredi potest. Sabbato pedes illorum qui voluerint lavet & indumenta excutiat. Cùm in Chorum redierint, quæ detulerat in Refectorium & in Dormitorium referat.

Cùm verò morti penitùs propinquaverit, ad terram super sagum ponat, & mox tabulam crebris ictibus ante ostium in Claustro feriat. Aquam ad lavandum corpus calefaciat, feretrum præparet, de fossa reportet & custodiat. Ad ipsum etiam pertinet, nisi alii injunctum fuerit, minutorum sanguinem condere: vasa ab ipso sanguine mundare: ignem in Calefactorio per hyemem post vigilias vel post matutinas vel Primam facere. Et sciendum quòd Infirmarius ex quo ire cœperit ad refectionem non revertetur, quamvis ante versum non possit occurrere, sed versum perdet, nisi fortè causa supervenientium hospitum redire cogatur. Qui verò serviunt Abbatibus vel Episcopis nostri Ordinis, extra Conventum post Completorium

in Conventu cantatum, possunt bibere aquam in Refectorio vel ante Refectorium.

CAPUT CXVII.

De Cellerario & solatio ejus.

CAP. IX.

CELLERARIUS potest loqui omnibus præter Monachos & Novitios nostri Ordinis. Ad ipsum etiam pertinet, præparare pulmenta Cocis utriusque Coquinæ, & mittere sal in pulmentis generalibus, & hæc per scutellas dividere, nisi ubi Abbati aliquando visum fuerit, quod non possit fieri. Nulli, nisi minutis communem cibum vel potum mutare, vel ei aliquid addere debet, nisi jussu Prioris. Qui tamen Prior in hoc ipso, sicut & in omnibus pro voluntate Abbatis (ut supra dictum est) se agat. Excipiuntur etiam hospites *Ordinis nostri*, quibus prima die tantùm potest pitantiam facere Cellerarius. Et quando fecerit, ipsemet debet portare.

Ordinis nostri. Quia nempe nõ licebat tunc alios, maximè Laïcos in Refectoria nostra introducere. Processu tamen têporis id Monachis quorundam Monasteriorum nigri Ordinis & Carthusianis concessum fuisse legitur in lib. antiquar. Institutionum & in libello deffin. ut infra videbitur.

Panem & vinum vel siceram horâ competenti in Refectorio ad distribuendum præparare. Illis qui ad prandium usque ad tertiam partem panis comedunt, ad cœnam de grossiori pane ubi habetur superaddere. Comedentes Fratres tam ad prandium quàm ad cœnam, semel ad minus invisere. De Dormitorio quoties voluerit, & cum servitoribus comedens, de Refectorio potest exire. De reliquiis ciborum, si necesse habuerit, accipere potest: cætera verò Portario relinquat. Quando Fratres post Sextam dormiunt, servitorum scutellas de Refectorio auferat. Sabbato vasa & utensilia Coquinæ ab exeuntibus de Coquina numerando recipiat, & ingredientibus reddat. Nec quicquam horum absque nutu Cocorum de Coquina transferat.

Si aliquis eorum qui officium Coquinæ compleverunt, ad benedictionem post matutinas deerit, benedictionem pro eo debet suscipere. Diebus quibus Fratres lectioni vacant, in Coquina duos Conversos qui eos adjuvent, tam in scutellis lavandis quàm in cæteris necessariis, & in nocte Nativitatis Domini in Calefactorium ad faciendum ignem, duos similiter mittat. In Parasceve post Vesperas

Ecclesiam, & post Completorium Claustrum & Capitulum Conversos mundare faciat. In Capitulum Novitios Conversos ad petitionem, & post annum ad professionem faciendam adducat; & hoc ipsum tenenti Capitulum denunciet priùs. Ad Missam matutinalem communicet. In Cœna Domini Conversos ad calefaciendum aquam, vasa, & lintea ad *mandatum* pauperum necessaria præparet, & ad *mandatum* Monachorum, Conversos in Claustrum deducat. In Parasceve post officium aquam calidam in Claustro ponat.

Hæc omnia faciat ille qui assiduè servit ad primam refectionem: Nam ubi Cellerarius majoribus utilitatibus occupatus est, quantùm Abbas utile judicaverit, poterit Subcellerarius, præsente etiam Cellerario servire, & tunc Laïcis Fratribus & familiæ loqui. Ipsi etiam Cellerario tantùm in Auditorio juxta Coquinam, & in Cellario hospitibus, si Cellerarius in Monasterio fuerit, non loquatur. Infirmario ille tantùm qui servit loquatur, ubi & quandiu Abbati visum fuerit. Quod si Cellerarius defuerit, officium illius per omnia peragat. Caveat autem omninò ne quicquam contra voluntatem Cellerarii faciat, sed de omnibus eum consulat, & ad consilium ejus cuncta distribuat. Et notandum quia cum Cellerario vel ejus solatio non loquantur intra Abbatiam Conversi amplius quàm duo simul, nisi fortè ab ipso, aliqua necessitate cogente, vocati.

CAPUT CXVIII.

De Refectorario.

C. XIV. REFECTORARIUS potest ad matutinalem Missam communicare. Ad cujus officium pertinet quando Fratres bis comedunt ante Sextam; & quando semel comedunt ante Nonam vel ante Vesperas, Novitiis panem & vinum vel siceram in loco designato præparare. In Refectorio mapulas, coclearia, panem & vinum vel siceram per mensas distribuere. Ad quod faciendum Cocum poterit vocare. Reliquias panis Novitiorum & potûs cùm in Claustro reperit, reservet. Quando Fratres semel comedunt, ante *biberes* mapulas, & post *biberes* potum recolligat.

gat. Si tempus fuerit cœnæ, poſt cœnam ſervitorum hæc faciat. Clauſtrum non exeat, niſi Cellerarius fuerit.

CAPVT CXIX.

De Hoſpitali Monacho.

MONACHVS Hoſpitalis poteſt loqui cum Hoſpitali Converſo & omnibus hoſpitibus, & qui manducant, vel dormiunt in hoſpitio: extra portam verò neque cum Hoſpitali Converſo neque cum hoſpitibus loquatur. Ad ipſum pertinet quid vel quando comedant hoſpites, quomodo vel ubi jaceant providere. Ad refectionem ſervire: ſed dum Conventus comedit, non poterit, niſi juſſus. *Mandatum* autem per ſe aut per alium debet præparare. Et cùm paratum fuerit, tabulam in Clauſtro tribus ictibus tractim percutere, & Monachos vel etiam Abbatem eundo & redeundo præire, & ſi nox fuerit cum lumine ad *mandatum* faciendum, ſi neceſſe fuerit, adjuvare. Hoſpitum infirmorum tam pauperum quàm aliorum ſollicitudinem debet gerere. Si poſtquàm Monachi in lectis pauſaverint *mandatum* oportuerit fieri, cum Cellerario faciat ut poterit. In Cœna Domini, ut pauperes ad *mandatum* in Clauſtro benè ſe præparent, provideat. C. XVII.

CAPVT CXX.

De Portario & ſolatio ejus.

PORTARIVS poſt Laudes eat ad portam. Quòd ſi quando fit ut per negligentiam Prima dicatur antequàm lux diei clareſcat, poſt Primam eat. Cùm hoſpes pulſaverit, reſponſo *Deo gratias* januam aperiat. Et poſtquàm *Benedicite* dixerit, humiliter quis ſit vel quid velit, ab eo requirat. Et cùm recipiendum intellexerit, genua flectens intra januam recipiat. Deinde faciens eum juxta cellam ſedere, dicat ei: *Expectate me paululum hìc, donec vos Abbati nunciem, & poſteà revertar ad vos.* Pergens igitur ad Abbatem ſi eum non invenerit, poteſt per omnes officinas Monaſterii quærere, excepto quòd in Infirmito- C.XVIII.

In hac Benedictione & ſalutatione poſitum fuit duodecimũ diſcrimen *Noſtrorum* à Cluniacenſibus teſte *Petro* Cluniacenſi *Ep.* 17. *lib.* 4.

Hh

rium non intrabit, sed ad ostium sonitu vel signo quærat. Qui hospite nunciato, tam Abbati quàm ei qui recepturus est, ad hospitem citiùs redeat: & qualiter se agat, cùm ei Fratres obviam venerint, doceat. Cui ulteriùs non loquatur, nisi discedenti.

Cùm autem hospes discedens januam egredi voluerit, humiliet se ad eum, eo modo quo ad ingressum diximus. Quòd si de vicinis vel Notis aliquis ad portam venerit, postquàm quid velit cognoverit, extra portam eum demorari faciat, donec ab Abbate quid de eo agatur agnoscat. Si autem talis fuerit quem nec nunciare nec ibi remanere deceat: intrare & quo voluerit ire permittat. Cum Monachis & Conversis nostri Ordinis postquàm cognoverit, non loquatur. Quòd si dum hora in Ecclesia celebratur hospes ad portam pulsaverit, more solito *Deo gratias* & *Benedicite* dicat: & postquàm receperit, si necesse fuerit, dicat non esse ei consuetudinis dum hora celebratur loqui, rogans eum ut expectet donec ei post horam respondeat. Hospites possunt usque ad secundum signum nunciari.

Pueri parvuli non solent duci ad orationem. Sed nec qui cum mulieribus veniunt intra Claustrum recipi, sed foris cum mulieribus victus datur eis. Vicinis verò mulieribus nihil ibi datur, nisi tempore famis, si Abbas hoc præceperit. Portarius verò debet habere panes in cella sua ad distribuendum transeuntibus. Qui etiam operetur ad portam scapulari indutus, & mox ut ad horam signum audierit, induat se cucullam, manens ibi cum reverentia dum hora celebratur, agens se, ut potuerit, sicut Fratres in Ecclesia. Qua die duæ Missæ habentur, eat Subportarius ad portam ante Primam, & Portarius audiat primam Missam & communicet, si voluerit & talis dies fuerit, & tunc sit in Capitulo. Interim verò Subportarius sit ad portam: diebus tamen quibus habetur sermo in Capitulo, vicissim eant ad sermones. In Parasceve cum cæteris Portarius adoret Crucem in Ecclesia.

Cum servitoribus solet comedere, & solatium ejus interim portam servare, & eleemosynam transeuntibus dare, qui solet etiam vasa sua ad colligendas reliquias ciborum in coquinam deferre, & pulmenta Defunctorum & cæ-

tera quæ Cellerarius dederit in ipsis recipere. Qui postquàm à refectione surrexerit, debet ad portam pauperibus distribuere. Quam distributionem non debet propter subsequens opus Dei dimittere, sed paucis utens verbis & moderatis citiùs quod inceperat perficere: Et postquàm perfecerit, Opus Dei quod distulerat, prout poterit persolvere. In æstate post Primam vel Nonam, si voluerit, in Dormitorio dormiat, & solatium ejus interim portam custodiat. Usque post Completorium ad portam maneat, & tunc in Claustrum veniens si ostium Ecclesiæ obseratum invenerit, deforis orationem faciat, quam Fratres finito Completorio fecerunt in Choro: deinde aspergens se aquâ benedictâ intret Dormitorium. Qui si quando minutus vel infirmus vel ad officium Coquinæ, sive alio aliquo negotio detentus fuerit, hæc omnia, quæ supra diximus, solatium ejus pro eo compleat. Cui etiam Subportarius cùm Missam audierit vel in Refectorio comederit, Prior provideat qui pro eo portam custodiat. Subportarius præsente Portario cum hospite non loquatur.

CAPVT CXXI.

De Versu Refectionis:

QVANDO Fratres bis comedunt, dicitur ad prandium post *Benedicite, Oculi omnium* totus versus. *Gloria Patri, Kyrie eleison, Pater noster,* & posteà à Sacerdote dicto, *Et ne nos*, & responso ab omnibus, *Sed libera nos à malo* subsequatur sine *Dominus vobiscum, Oremus Benedic Domine dona tua, quæ de tua largitate sumus sumpturi: Per Dominum.* &c. Posteà Lectori det Prior benedictionem, scilicet *Mensæ cælestis participes faciat nos Rex æternæ gloriæ.* Post prandium dicatur *Confiteantur* totus versus, *Gloria Patri & Filio*, & tunc Sacerdos dicat, *Agimus tibi gratias omnipotens Deus pro universis beneficiis tuis, qui vivis*, &c. Deinde cantato Psalmo *Miserere mei Deus*, dicatur *Gloria*, *Kyrie eleison, Pater noster.* Et dicto à Sacerdote, *Et ne nos inducas*, responsoque *Sed libera nos à malo*, subsequantur ij quinque versus, Sacerdote primam partem dicente, & Conuentu C. XIX.

ultimam respondente, scilicet *Dispersit dedit pauperibus*, *Benedicam Dominum*, *In Domino*, *Magnificate*, *sit nomen Domini benedictum*. Et tunc Sacerdos absque *Dominus vobiscum* & *Oremus* dicat, *Retribuere dignare Domine omnibus nobis bona facientibus propter nomen tuum vitam æternam*, & *Benedicamus Domino*, Conventu respondente *Amen* & *Deo gratias*.

Ante cœnam verò dicatur, *Edent pauperes* totus versus, & Benedictio super Lectorem, *Ad cœnam perpetuam perducat nos Rex æternæ gloriæ*. Post cœnam versus *Memoriam* totus, & posteà *Benedictus Deus in donis suis*, & *sanctus in omnibus operibus suis*, *qui vivit*, &c. sicut superiùs diximus. Quando verò semel reficimur, dicitur ante refectionem *Edent pauperes*, & post *Memoriam*. Cætera sicut ad prandium diximus.

Hæc benedictio in Capitulo Lectori datur, *Divinum auxilium maneat semper nobiscum*. Hæc ad Collationem, *Noctem quietam tribuat nobis omnipotens & misericors Dominus*. Hæc ad biberes, *Largitor omnium bonorum benedicat potum servorum suorum*, *Amen*.





ADMONITIO
IN
INSTITVTA CAPITVLI GENERALIS
ORDINIS CISTERCIENSIS.


ÆC Prima est Definitionum Capituli Generalis Ordinis Cisterciensis Collectio, à tempore *Chartæ Charitatis*; cujus Author creditur Sanctus *Raynardus*, filius *Milonis* Comitis Barri super Sequanam, primùm quidem Monachus Claræuallis ac subinde quartus Abbas Cistercii, quem inter Angelorum Choros *S. Christianus* vidit, cujus mortem S. *Bernardus* veluti *magnam* ut ipse ait *Ordinis Plagam* lacrymis prosecutus est. Hæc autem Collectio octoginta & septem distincta capitibus, complectitur varias Definitiones ab initio Ordinis in Capitulis Generalibus editas, usque ad annum M. C. XXXIV. quo ipsa prodiit in lucem.

Ordericus Vitalis lib 8. Hist. Anglorum. Exord. mag. Cisterc. lib 1. cap. 28. *S. Bernardus Epist.* 270.



SANCTI RAYNARDI
ABBATIS CISTERCII
IN INSTITVTA
CAPITVLI GENERALIS
ORDINIS CISTERCIENSIS
PROLOGVS.

IN CHARTA CHARITATIS *inter cætera continetur, quòd singulis annis conveniant omnes Abbates Cœnobiorum, quæ Dei gratiâ in diversis sunt ordinata provinciis ad Cistercienſem Ecclesiam, & quòd ibi de Ob-*

servatione sanctæ Regulæ & ordine totius vitæ suæ ac indissolubili inter se pace custodienda, diligentissimé tractent: ut tenor vivendi sæpiùs replicatus ac divinarum scripturarum auctoritate corroboratus, non facilè tepere, sed per diuturna plurimorum annorum spatia possit vigere. Hac ergò ratione in loco prædicto congregati, hæc Capitula instituerunt: & per universam Congregationum nostrarum fraternitatem tenenda decreverunt.



INSTITVTA

CAPITVLI GENERALIS ORDINIS CISTERCIENSIS.

CAPVT PRIMVM.

Quo in loco sint construenda Cœnobia.

Anno Dom. 1134. Cistercii 36.

IN Civitatibus, in Castellis, aut Villis nulla nostra construenda sunt Cœnobia; sed in locis à conversatione hominum semotis.

CAPVT II.

De Vnitate conversationis in divinis & humanis.

VT autem inter Abbatias, unitas indissolubilis perpetuò perseveret; stabilitum est, primò quidem, ut ab omnibus Regula Beati Benedicti uno modo intelligatur, uno modo teneatur; dehinc ut iidem libri quantum duntaxat ad divinum officium pertinet; idem victus, idem vestitus, iidem denique per omnia mores inveniantur.

CAPVT III.

Quos libros non licet habere diversos.

MISSALE, Epistolare, Textus, Collectaneum, Graduale, Antiphonarium, Regula, Hymnarium, Psalterium, Lectionarium, Calendarium, ubique uniformiter habeantur.

CAPVT IV.

De Vestitu.

VESTITVS simplex & vilis absque pelliciis, camisiis, staminiis: qualem denique Regula describit.

CAPVT V.

Vnde Monachis debeat provenire victus.

MONACHIS nostri Ordinis debet provenire victus de labore manuum, de cultu terrarum, de nutrimento pecorum: unde & licet nobis possidere ad proprios usus aquas, sylvas, vineas, prata, terras à sæcularium hominum habitatione semotas, & animalia, præter illa quæ magis solent provocare curiositatem & ostentare in se vanitatem, quam aliquam afferre utilitatem; sicut sunt Cervi, Grues & cætera hujusmodi. Ad hæc exercenda, nutrienda, conservanda, seu propè seu longè non tamen ultrà diætam grangias possumus habere per Conversos custodiendas.

CAPVT VI.

Quòd non debeat Monachus extra Claustrum habitare.

MONACHO cui ex Regulâ Claustrum propria debet esse habitatio, licet quidem ad grangias *Reg. S. Ben. c. 4. cap. 66. & cap. 67.*

quoties mittitur ire : sed nequaquam diutiùs habitare.

CAPVT VII.

Quòd in Ordine nostro fæminarum cohabitatio interdicta sit & ingressus portæ Monasterii sit eis negatus.

REMOTA omni occasione sive nutrimentorum augendorum vel conservandorum, sive rerum Monasterii quarumlibet, ut quandoque necesse est, lavandarum, sive denique cujuscumque alterius necessitatis : fœminarum cohabitatio nobis & Conversis nostris omninò interdicta est. Ideo nec intùs curtes grangiarum hospitari, nec Monasterii portam ingredi permittantur.

CAPVT VIII.

De Conversis.

PER Conversos agenda sunt exercitia apud grangias & per mercenarios, quos utique Conversos Episcoporum licentiâ tanquam necessarios & coadjutores nostros, sub cura nostra sicut & Monachos suscipimus : Fratresque & participes nostrorum tam spiritualium quam temporalium bonorum æquè ut Monachos habemus.

CAPVT IX.

Quòd redditus non habeamus de alienis.

ECCLESIAS, Altaria, sepulturas, decimas alieni laboris vel nutrimenti : villas, villanos, terrarum census, furnorum, molendinorum redditus, & cætera his similia Monasticæ puritati adversantia : nostri & nominis & Ordinis excludit institutio.

CAPVT

CAPVT X.

Quid liceat vel non liceat habere de auro, argento, gemmis & ſerico.

ALTARIVM linteamina, miniſtrorum indumenta, ſine ſerico ſint, præter Stolam & Manipulum. Caſula verò non niſi unicolor habeatur. Omnia Monaſterii ornamenta, vaſa utenſilia, ſine auro & argento, præter calicem & fiſtulam: quæ quidem duo ſola argentea & deaurata, ſed aurea nequaquam habere permittimus.

CAPVT XI.

Vt nullus recipiat aliquem ad aliam Eccleſiam ire volentem.

SI quis Monachus, Clericus, aut Laïcus ad aliquam Eccleſiarum noſtrarum cauſâ remanendi venire voluerit, non ei diſſuadeat alia Eccleſia, nec eum retineat, etiam ſi remanere voluerit, quia ſcriptum eſt, quod tibi non vis fieri, alii ne feceris. Qui poſtquam ad illum locum in quo converſari diſponit, venerit, ibique voluntate mutata remanere noluerit, liber diſcedat. Si in cella Novitiorum converſatus fuerit, & proprio vitio vel expulſus, vel per ſe exierit: ab aliqua noſtræ fraternitatis Eccleſia, ſine commendatitiis litteris non recipiatur, quia diſcordiæ inter Eccleſias fomes de tali cauſa oriri poteſt. Quod idem de Monacho peregrino in aliquo loco noſtro ſuſcepto & quoquo modo egreſſo, decernimus.

CAPVT XII.

Quomodò novella Eccleſia Abbate & Monachis & cæteris neceſſariis ordinetur.

DVODECIM Monachi cum Abbate tertio decimo ad Cœnobia nova tranſmittantur, nec tamen

Nota hic mentionē fieri libri Vsuum, ut jam conscripti & ubique ab omnibus habendi & observandi.

ibi destinentur, donec locus, libris, domibus & aliis necessariis aptetur, libris dumtaxat, Missali, Epistolari, Textu, Regulâ, libro Vsuum, Psalterio, Hymnario, Collectaneo, Antiphonario, Lectionario, Graduali: domibusque Oratorio, Refectorio, Cellâ hospitum & portarii: necessariis etiam temporalibus, ut & vivere, & Regulam ibidem statim valeant observare.

CAPVT XIII.

De firmaculis librorum.

INTERDICIMVS ne in Ecclesiarum libris aurea, vel argentea sive deargentata, vel deaurata habeantur retinacula, quæ Vsu firmacula vocantur, & ne aliquis codex pallio tegatur.

CAPVT XIV.

De pane quotidiano.

SICVT in Ecclesiasticis aliisque observationibus cavemus ne inveniamur discordes, sic etiam in victu quotidiano diversitas est cavenda, ne Fratres carnis vel spiritus fragilitate victi grossiorem panem abhorrere & lautiorem incipiant desiderare. Ideo stabilimus, ne in Cœnobiis nostris fiat panis candidus, nequidem in præcipuis festivitatibus, sed grossus, id est cum cribro factus. Ubi autem frumentum defuerit, cum scatio liceat fieri, quæ lex infirmis non tenebitur, sed & hospitibus quibus visum fuerit album panem apponimus: & minutis in minutione sua, sicut in sententia eorum descriptum est. Cujus panis, albi videlicet qui minutis apponitur, sicut & quotidiani pasta in statera posita, nequaquàm plus ponderare debet, sed æqua lance appendi.

Vide *lib. Vsuum cap.* 70. *de minutione.*

CAPVT XV.

De Cucullis & subtalaribus.

IN Ecclesiis nostris non sint Cucullæ deforis *floccatæ*: & subtalares diurni non sint caprini vel corduani, sed vaccini.

Per Cucullas *floccatas* eas prohibet quas & S. *Bernardus* in Cluniacensibus reprehendit in Apologia sua & in Epistola ad *Robertum*, nempe Cucullas amplas & superfluitate panni redundantes, non autem eas in quibus essent, flocci seu particulæ laneæ eminentiores, ut *vult Angel. Manriq.* in suis ann. ad an. 1134. c. 6 Hoc enim sensu contrarii essent SS. Patres nostri S. *Benedicto* qui in sua Regula Cucullas villosas suis Monachis in hyeme concessit. Non admittebant igitur nostri Cucullas aut floccos nisi simplices & angustiores ut fatetur *Petrus Venerabilis in Epistola* 28. *&* *in Epist.* 17. *lib.* 4.

CAPVT XVI.

De Monachis vel Conversis fugitivis.

SI quis Monachus vel Conversus vitio suo de Ecclesia aliqua exierit, & ad alienam venerit, suadeatur ei ut revertatur. Quòd si Abbas vel Prior illius loci intellexerit eum ad locum suum nolle redire, non eum sinat ampliùs una nocte illic manere: habitumque ei Religionis jubeat aufferri, nisi priusquàm ad nostrum Ordinem venerit Monachum fuisse constiterit. Converso verò de rebus Monasterii nihil dimittatur, præter indumentum simplex & vile.

CAPVT XVII.

Quòd Monachus peregrinus infra breve tempus recipiatur aut recedat.

MONACHVS peregrinus si ad aliquod Cœnobium ad habitandum venerit, nec ibi propter vicinitatem aut notitiam Ecclesiæ suæ recipi potuerit: non diutiùs teneatur in domo hospitum; ob hoc ne inter hanc moram, aut aliquo ingenio, aut aliquarum Ecclesiasticarum seu sæcularium personarum petitione, quæ sine dubio violenta constat esse, ab Abbate suo extorqueatur.

CAPVT XVIII.

Quòd omnia Monaſteria in honorem Beatæ Mariæ dedicentur.

QVIA Anteceſſores noſtri & Patres de Eccleſia Moliſmenſi, quæ in honorē B. *Mariæ* conſtructa eſt, ad Ciſtercienſem locum, unde & nos exorti ſumus, primitùs venerunt: idcircò decernimus, ut omnes Eccleſiæ noſtræ ac ſucceſſorum noſtrorum, in memoriam ejuſdem cœli & terræ Reginæ Sanctæ *Mariæ* fundentur ac dedicentur.

CAPVT XIX.

Vt pitantiæ non adminiſtrentur in Refectorio apud Ciſtercium tempore Generalis Capituli.

NOS Abbates illo tempore decem ſicuti ſolemus Ciſtercium poſt annum venientes, rogabamus Domnum Abbatem *Stephanum* & Fratres, ne nobis in Refectorio ſolitæ pitantiæ, poſt duo pulmentaria regularia præſentarentur: quia & in Refectorio in diſtributione harum rerum videbatur eſſe quædam inquietudo Fratrum, & in mora illa diminutio dormitionis eorum; tuncque Abbate illo & Fratribus conſentientibus, ſtabilivimus ne iſta illo tempore ampliùs fierent.

Pitantiarum nomine, quarũ hìc & alibi ſæpiùs mentionem fieri invenies, intelligenda ſunt quædam fercula Pulmentis regularibus lautiora, ut jã in ſuperioribus diximus. Itaque ſecundũ *Iacobum* de Vitriaco & *Stephanũ* à Sancta Genovefa, *pulmenta* noſtrorũ Monachorũ erant ex oleribus & leguminibus confecta. *Pitantiæ* ex ovis & Piſcibus. *Vide quæ de his diximus in lib. de Prima vivendi ratione Ciſtercienſium*, & ſuprà in *Cap* 17. *lib. Vſuũ.*

CAPVT XX.

De ſculpturis & picturis, & cruce lignea.

SCVLPTVRÆ vel picturæ in Eccleſiis noſtris ſeu in officinis aliquibus Monaſterii, ne fiant interdicimus: quia dum talibus intenditur, utilitas bonæ meditationis vel diſciplina religioſæ gravitatis ſæpe negligitur; cruces tamen pictas, quæ ſint ligneæ, habemus.

CAPUT XXI.

Quòd extra portam domus non habeatur.

NON est congruum ut extra portam Monasterii domus aliqua ad habitandum construatur, nisi animalium; quia periculum animarum inde potest nasci.

CAPUT XXII.

Quòd animalia vitium levitatis habentia non nutriantur.

CERTUM est nos, qui Monachalem militiam arripuimus, debere in Cœnobiis nostris honestæ gravitati ac regularibus disciplinis, non levitatibus aut jocis vacare: & ob hoc fomenta vitiorum à sanctis locis elongari oportet, scilicet cervos, & ursos ac grues, cæteraque talia levitatis irritamenta.

CAPUT XXIII.

De Clericis & Laïcis Cœnobia construentibus, & quòd nullus sine probatione Monachus efficiatur.

SI Clerici vel Laïci locum aliquem ad honorem Dei construxerint, illumque locum alicui Cœnobiorum nostrorum quatenùs ad Abbatiam proficiat concedere voluerint, Abbasque illius loci à quo consilium flagitant, locum habilem perspexerit, suscipiat illum si voluerit. Ipsi verò Clerici vel Laïci si sanctæ Regulæ jugo se subdere voluerint, aut in loco illo Abbatiam faciendam præstolentur, aut Cellam Novitiorum intrent in Cœnobio prænotati Abbatis ut regulariter probentur. Quòd si ad aliquam aliam Ecclesiarum nostrarum secedere elegerint, vel aliud quid pro arbitrio facere, licenter agant: illud tamen magnoperè nobis est cavendum, ne isti aut alii aliqui sine regulari probatione aliquo modo nostro Collegio socientur, exceptis Monachis quos B. suscipit *Benedictus.*

CAPVT XXIV.

Quòd intra Monasterium nullus carne vescatur aut sagimine.

INTRA Monasterium nullus carne vescatur aut sagimine nisi omninò infirmi & artifices conducti. Similiter nec intra curtes grangiarum, nisi propter easdem causas & etiam propter mercenarios.

CAPVT XXV.

Quibus diebus vescimur tantùm quadragesimali cibo.

IN toto Adventu, exceptâ primâ Dominicâ, in secunda & tertia feria ante caput jejunii, in vigilia Pentecostes, & in jejunio quatuor temporum in Septembri, in vigiliis sanctorum Ioannis Baptistæ, Petri & Pauli, Laurentii, Assumptionis Beatæ Mariæ, Matthæi Apostoli, Simonis & Iudæ, Omnium Sanctorum, Andreæ Apostoli, quadragesimali tantùm vescimur cibo.

CAPVT XXVI.

Ne Monachi dent vel accipiant medietatem vel Cressementum.

NVLLAM cum sæcularibus societatem in pecoribus nutriendis, seu terris excolendis habere permittimur: videlicet dando vel accipiendo medietariam vel Cressementum.

CAPVT XXVII.

Quos suscipiamus ad Confessionem, ad Communionem & sepulturam.

AD Confessionem, ad sacram Communionem, ad sepulturam neminem extraneum, præter hospites

& mercenarios nostros; in Monasterio videlicet morientes recipimus: sed nec ad oblationem in Conventu ad Missam, nisi in Purificatione Sanctæ Mariæ: ad sepulturam autem duos tantummodò quos voluerimus de amicis vel familiaribus nostris cùm uxoribus suis.

CAPUT XXVIII.

Quid fiat de his qui se reddunt alicui Ecclesiæ nostræ ad Monachatum, & antequam in Capitulum venerint, morte præventi fuerint.

SI quis mundum respuens Monachatum desideraverit, & veniens ad aliquem de Abbatibus nostris desiderium suum ei intimaverit, ac se etiam ei vel alicui illius Ecclesiæ Monacho reddiderit: hic talis si ante petitionem suam in Capitulo regulariter factam obierit, non pro Novitio habeatur, sed pro familiari.

CAPUT XXIX.

Quòd nullus nostri Ordinis Abbas Monacham benedicat.

PROHIBITUM est ne quis Abbatum nostrorum *Monacham benedicere*, Infantulum baptisare, vel etiam in baptismo tenere præsumat: nisi fortè in articulo mortis, vel si Presbyter defuerit.

In Cap Gen. an. 1241. determinatum est hanc Monialium Benedictionem nõ de illa quam in sua professione recipiunt, sed de illa quæ consecratio est, & ad Episcopos pertinet intelligendam esse.

CAPUT XXX.

Quomodò causæ in Capitulo Generali exortæ definiantur.

SI quælibet causa spontè confessa vel clamore exorta in Generali Capitulo Cistercii nascatur, communi assensu omnium Abbatum, si possit concorditer fieri, definiatur; si autem pro capacitate sensus uniuscujusque

ultimam respondente, scilicet *Dispersit dedit pauperibus*; *Benedicam Dominum*, *In Domino*, *Magnificate*, *sit nomen Domini benedictum*. Et tunc Sacerdos absque *Dominus vobiscum* & *Oremus* dicat, *Retribuere dignare Domine omnibus nobis bona facientibus propter nomen tuum vitam æternam*, & *Benedicamus Domino*, Conventu respondente *Amen* & *Deo gratias*.

Ante cœnam verò dicatur, *Edent pauperes* totus versus, & Benedictio super Lectorem, *Ad cœnam perpetuam perducat nos Rex æternæ gloriæ*. Post cœnam versus *Memoriam* totus, & posteà *Benedictus Deus in donis suis, & sanctus in omnibus operibus suis, qui vivit*, &c. sicut superiùs diximus. Quando verò semel reficimur, dicitur ante refectionem, *Edent pauperes*, & post *Memoriam*. Cætera sicut ad prandium diximus.

Hæc benedictio in Capitulo Lectori datur, *Divinum auxilium maneat semper nobiscum*. Hæc ad Collationem, *Noctem quietam tribuat nobis omnipotens & misericors Dominus*. Hæc ad biberes, *Largitor omnium bonorum benedicat potum servorum suorum*, *Amen*.





ADMONITIO
IN
INSTITVTA CAPITVLI GENERALIS
ORDINIS CISTERCIENSIS.

HÆc Prima est Definitionum Capituli Generalis Ordinis Cisterciensis Collectio, à tempore *Chartæ Charitatis*; cujus Author creditur Sanctus *Raynardus*, filius *Milonis* Comitis Barri super Sequanam, primùm quidem Monachus Clarævallis ac subinde quartus Abbas Cistercii, quem inter Angelorum Choros *S. Christianus* vidit, cujus mortem S. *Bernardus* veluti *magnam* ut ipse ait *Ordinis Plagam* lacrymis prosecutus est. Hæc autem Collectio octoginta & septem distincta capitibus, complectitur varias Definitiones ab initio Ordinis in Capitulis Generalibus editas, usque ad annum M. C. XXXIV. quo ipsa prodiit in lucem.

Ordericus Vitalis lib 8. Hist. Anglorum. Exord. mag. Cisterc. lib 1. cap. 28. *S. Bernardus* *Epist.* 270.



SANCTI RAYNARDI
ABBATIS CISTERCII
IN INSTITVTA
CAPITVLI GENERALIS
ORDINIS CISTERCIENSIS

PROLOGVS.

IN CHARTA CHARITATIS *inter cætera continetur, quòd singulis annis conveniant omnes Abbates Cœnobiorum, quæ Dei gratiâ in diversis sunt ordinata provinciis ad Cisterciensem Ecclesiam, & quòd ibi de Ob-*

servatione sanctæ Regulæ & ordine totius vitæ suæ ac indissolubili inter se pace custodienda, diligentissimé tractent: ut tenor vivendi sæpiùs replicatus ac divinarum scripturarum auctoritate corroboratus, non facilè tepere, sed per diuturna plurimorum annorum spatia possit vigere. Hac ergò ratione in loco prædicto congregati, hæc Capitula instituerunt: & per universam Congregationum nostrarum fraternitatem tenenda decreverunt.



INSTITVTA
CAPITVLI GENERALIS
ORDINIS CISTERCIENSIS.

CAPVT PRIMVM.

Quo in loco sint construenda Cœnobia.

Anno Dom. 1134. Cistercii 36.

IN Civitatibus, in Castellis, aut Villis nulla nostra construenda sunt Cœnobia; sed in locis à conversatione hominum semotis.

CAPVT II.

De Vnitate conversationis in divinis & humanis.

VT autem inter Abbatias, unitas indissolubilis perpetuò perseveret; stabilitum est, primò quidem, ut ab omnibus Regula Beati Benedicti uno modo intelligatur, uno modo teneatur; dehinc ut iidem libri quantum duntaxat ad divinum officium pertinet; idem victus, idem vestitus, iidem denique per omnia mores inveniantur.

CAPUT III.

Quos libros non licet habere diversos.

MISSALE, Epistolare, Textus, Collectaneum, Graduale, Antiphonarium, Regula, Hymnarium, Psalterium, Lectionarium, Calendarium, ubique uniformiter habeantur.

CAPUT IV.

De Vestitu.

VESTITUS simplex & vilis absque pelliciis, camisiis, staminiis: qualem denique Regula describit.

CAPUT V.

Unde Monachis debeat provenire victus.

MONACHIS nostri Ordinis debet provenire victus de labore manuum, de cultu terrarum, de nutrimento pecorum: unde & licet nobis possidere ad proprios usus aquas, sylvas, vineas, prata, terras à sæcularium hominum habitatione semotas, & animalia, præter illa quæ magis solent provocare curiositatem & ostentare in se vanitatem, quam aliquam afferre utilitatem; sicut sunt Cervi, Grues & cætera hujusmodi. Ad hæc exercenda, nutrienda, conservanda, seu propè seu longè non tamen ultrà diætam grangias possumus habere per Conversos custodiendas.

CAPUT VI.

Quòd non debeat Monachus extra Claustrum habitare.

MONACHO cui ex Regulâ Claustrum propria debet esse habitatio, licet quidem ad grangias

Reg. S. Ben. c. 4. cap. 66. & cap. 67.

quoties mittitur ire : sed nequaquam diutiùs habitare.

CAPUT VII.

Quòd in Ordine nostro fœminarum cohabitatio interdicta sit & ingressus portæ Monasterii sit eis negatus.

REMOTA omni occasione sive nutrimentorum augendorum vel conservandorum, sive rerum Monasterii quarumlibet, ut quandoque necesse est, lavandarum, sive denique cujuscumque alterius necessitatis : fœminarum cohabitatio nobis & Conversis nostris omninò interdicta est. Ideo nec intùs curtes grangiarum hospitari; nec Monasterii portam ingredi permittantur.

CAPUT VIII.

De Conversis.

PER Conversos agenda sunt exercitia apud grangias & per mercenarios, quos utique Conversos Episcoporum licentiâ tanquam necessarios & coadjutores nostros, sub cura nostra sicut & Monachos suscipimus: Fratresque & participes nostrorum tam spiritualium quam temporalium bonorum æquè ut Monachos habemus.

CAPUT IX.

Quòd redditus non habeamus de alienis.

ECCLESIAS, Altaria, sepulturas, decimas alieni laboris vel nutrimenti : villas, villanos, terrarum census, furnorum, molendinorum redditus, & cætera his similia Monasticæ puritati adversantia : nostri & nominis & Ordinis excludit institutio.

CAPUT

CAPVT X.

Quid liceat vel non liceat habere de auro, argento, gemmis & ſerico.

ALTARIVM linteamina, miniſtrorum indumenta, ſine ſerico ſint, præter Stolam & Manipulum. Caſula verò non niſi unicolor habeatur. Omnia Monaſterii ornamenta, vaſa utenſilia, ſine auro & argento, præter calicem & fiſtulam: quæ quidem duo ſola argentea & deaurata, ſed aurea nequaquam habere permittimus.

CAPVT XI.

Vt nullus recipiat aliquem ad aliam Eccleſiam ire volentem.

SI quis Monachus, Clericus, aut Laïcus ad aliquam Eccleſiarum noſtrarum cauſa remanendi venire voluerit, non ei diſſuadeat alia Eccleſia, nec eum retineat, etiam ſi remanere voluerit, quia ſcriptum eſt, quod tibi non vis fieri, alii ne feceris. Qui poſtquam ad illum locum in quo converſari diſponit, venerit, ibique voluntate mutata remanere noluerit, liber diſcedat. Si in cella Novitiorum converſatus fuerit, & proprio vitio vel expulſus, vel per ſe exierit: ab aliqua noſtræ fraternitatis Eccleſia, ſine commendatitiis litteris non recipiatur, quia diſcordiæ inter Eccleſias fomes de tali cauſa oriri poteſt. Quod idem de Monacho peregrino in aliquo loco noſtro ſuſcepto & quoquo modo egreſſo, decernimus.

CAPVT XII.

Quomodò novella Eccleſia Abbate & Monachis & cæteris neceſſariis ordinetur.

DVODECIM Monachi cum Abbate tertio decimo ad Cœnobia nova tranſmittantur, nec tamen

Nota hic mentionē fieri libri Vsuum, ut jam conscripti & ubique ab omnibus habendi & observandi.

ibi destinentur, donec locus, libris, domibus & aliis necessariis aptetur, libris dumtaxat, Missali, Epistolari, Textu, Regulâ, libro Vsuum, Psalterio, Hymnario, Collectaneo, Antiphonario, Lectionario, Graduali: domibusque Oratorio, Refectorio, Cellâ hospitum & portarii: necessariis etiam temporalibus, ut & vivere, & Regulam ibidem statim valeant observare.

CAPVT XIII.

De firmaculis librorum.

INTERDICIMVS ne in Ecclesiarum libris aurea, vel argentea sive deargentata, vel deaurata habeantur retinacula, quæ Vsu firmacula vocantur, & ne aliquis codex pallio tegatur.

CAPVT XIV.

De pane quotidiano.

SICVT in Ecclesiasticis aliisque observationibus cavemus ne inveniamur discordes, sic etiam in victu quotidiano diversitas est cavenda, ne Fratres carnis vel spiritus fragilitate victi grossiorem panem abhorrere & lautiorem incipiant desiderare. Ideo stabilimus, ne in Cœnobiis nostris fiat panis candidus, nequidem in præcipuis festivitatibus, sed grossus, id est cum cribro factus. Ubi autem frumentum defuerit, cum scatio liceat fieri, quæ lex infirmis non tenebitur, sed & hospitibus quibus visum fuerit album panem apponimus: & minutis in minutione sua, sicut in sententia eorum descriptum est. Cujus panis, albi videlicet qui minutis apponitur, sicut & quotidiani pasta in statera posita, nequaquàm plus ponderare debet, sed æqua lance appendi.

Vide *lib. Vsuum cap.*70. *de minutione.*

CAPVT XV.

De Cucullis & subtalaribus.

IN Ecclesiis nostris non sint Cucullæ deforis *floccatæ*: & subtalares diurni non sint caprini vel corduani, sed vaccini.

Per Cucullas *floccatas* eas prohibet quas & S. *Bernardus* in Cluniacensibus reprehendit in Apologia sua & in Epistola ad *Robertum*, nempe Cucullas amplas & superfluitate panni redundantes, non autem eas in quibus essent, flocci seu particulæ laneæ eminentiores, ut *vult Angel. Manriq.* in suis ann. ad an. 1134. c. 6 Hoc enim sensu contrarii essent SS. Patres nostri S. *Benedicto* qui in sua Regula cucullas villosas suis Monachis in hyeme concessit. Non admittebant igitur nostri Cucullas aut floccos nisi simplices & angustiores ut fatetur *Petrus Venerabilis in Epistola* 28. *&* *in Epist.* 17. *lib.* 4.

CAPVT XVI.

De Monachis vel Conversis fugitivis.

SI quis Monachus vel Conversus vitio suo de Ecclesia aliqua exierit, & ad alienam venerit, suadeatur ei ut revertatur. Quòd si Abbas vel Prior illius loci intellexerit eum ad locum suum nolle redire, non eum sinat ampliùs una nocte illic manere: habitumque ei Religionis jubeat aufferri, nisi priusquàm ad nostrum Ordinem venerit Monachum fuisse constiterit. Converso verò de rebus Monasterii nihil dimittatur, præter indumentum simplex & vile.

CAPVT XVII.

Quòd Monachus peregrinus infra breve tempus recipiatur aut recedat.

MONACHVS peregrinus si ad aliquod Cœnobium ad habitandum venerit, nec ibi propter vicinitatem aut notitiam Ecclesiæ suæ recipi potuerit: non diutiùs teneatur in domo hospitum; ob hoc ne inter hanc moram, aut aliquo ingenio, aut aliquarum Ecclesiasticarum seu sæcularium personarum petitione, quæ sine dubio violenta constat esse, ab Abbate suo extorqueatur.

CAPUT XVIII.

Quòd omnia Monasteria in honorem Beatæ Mariæ dedicentur.

QUIA Antecessores nostri & Patres de Ecclesia Molismensi, quæ in honorē B. *Mariæ* constructa est, ad Cisterciensem locum, unde & nos exorti sumus, primitùs venerunt: idcircò decernimus, ut omnes Ecclesiæ nostræ ac successorum nostrorum, in memoriam ejusdem cœli & terræ Reginæ Sanctæ *Mariæ* fundentur ac dedicentur.

CAPUT XIX.

Ut pitantiæ non administrentur in Refectorio apud Cistercium tempore Generalis Capituli.

NOS Abbates illo tempore decem sicuti solemus Cistercium post annum venientes, rogabamus Domnum Abbatem *Stephanum* & Fratres, ne nobis in Refectorio solitæ pitantiæ, post duo pulmentaria regularia præsentarentur: quia & in Refectorio in distributione harum rerum videbatur esse quædam inquietudo Fratrum, & in mora illa diminutio dormitionis eorum; tuncque Abbate illo & Fratribus consentientibus, stabilivimus ne ista illo tempore ampliùs fierent.

Pitantiarum nomine, quarū hîc & alibi sæpiùs mentionem fieri invenies, intelligenda sunt quædam fercula Pulmentis regularibus lautiora, ut jā in superioribus diximus. Itaque secundū *Jacobum* de Vitriaco & *Stephanū* à Sancta Genovefa, *pulmenta* nostrorū Monachorū erant ex oleribus & leguminibus confecta. *Pitantiæ* ex ovis & Piscibus. *Vide quæ de his diximus in lib. de Prima vivendi ratione Cisterciensium*, & suprà in *Cap* 17. *lib. Usuū.*

CAPUT XX.

De sculpturis & picturis, & cruce lignea.

SCULPTURÆ vel picturæ in Ecclesiis nostris seu in officinis aliquibus Monasterii, ne fiant interdicimus: quia dum talibus intenditur, utilitas bonæ meditationis vel disciplina religiosæ gravitatis sæpe negligitur; cruces tamen pictas, quæ sint ligneæ, habemus.

CAPVT XXI.

Quòd extra portam domus non habeatur.

NON est congruum ut extra portam Monasterii domus aliqua ad habitandum construatur, nisi animalium; quia periculum animarum inde potest nasci.

CAPVT XXII.

Quòd animalia vitium levitatis habentia non nutriantur.

CERTVM est nos, qui Monachalem militiam arripuimus, debere in Cœnobiis nostris honestæ gravitati ac regularibus disciplinis, non levitatibus aut jocis vacare: & ob hoc fomenta vitiorum à sanctis locis elongari oportet, scilicet cervos, & ursos ac grues, cæteraque talia levitatis irritamenta.

CAPVT XXIII.

De Clericis & Laïcis Cœnobia construentibus, & quòd nullus sine probatione Monachus efficiatur.

SI Clerici vel Laïci locum aliquem ad honorem Dei construxerint, illumque locum alicui Cœnobiorum nostrorum quatenùs ad Abbatiam proficiat concedere voluerint, Abbasque illius loci à quo consilium flagitant, locum habilem perspexerit, suscipiat illum si voluerit. Ipsi verò Clerici vel Laïci si sanctæ Regulæ jugo se subdere voluerint, aut in loco illo Abbatiam faciendam præstolentur, aut Cellam Novitiorum intrent in Cœnobio prænotati Abbatis ut regulariter probentur. Quòd si ad aliquam aliam Ecclesiarum nostrarum secedere elegerint, vel aliud quid pro arbitrio facere, licenter agant: illud tamen magnoperè nobis est cavendum, ne isti aut alii aliqui sine regulari probatione aliquo modo nostro Collegio socientur, exceptis Monachis quos B. suscipit *Benedictus.*

& mercenarios nostros, in Monasterio videlicet morientes recipimus : sed nec ad oblationem in Conventu ad Missam, nisi in Purificatione Sanctæ Mariæ : ad sepulturam autem duos tantummodò quos voluerimus de amicis vel familiaribus nostris cùm uxoribus suis.

CAPVT XXVIII.

Quid fiat de his qui se reddunt alicui Ecclesiæ nostræ ad Monachatum, & antequam in Capitulum venerint, morte præventi fuerint.

SI quis mundum respuens Monachatum desideraverit, & veniens ad aliquem de Abbatibus nostris desiderium suum ei intimaverit, ac se etiam ei vel alicui illius Ecclesiæ Monacho reddiderit : hic talis si ante petitionem suam in Capitulo regulariter factam obierit, non pro Novitio habeatur, sed pro familiari.

CAPVT XXIX.

Quòd nullus nostri Ordinis Abbas Monacham benedicat.

PROHIBITVM est ne quis Abbatum nostrorum *Monacham benedicere*, Infantulum baptisare, vel etiam in baptismo tenere præsumat : nisi fortè in articulo mortis, vel si Presbyter defuerit.

In Cap Gen. an. 1241. determinatum est hanc Monialium Benedictionem nō de illa quam in sua professione recipiunt, sed de illa quæ consecratio est, & ad Episcopos pertinet intelligendam esse.

CAPVT XXX.

Quomodò causæ in Capitulo Generali exortæ definiantur.

SI quælibet causa spontè confessa vel clamore exorta in Generali Capitulo Cistercii nascatur, communi assensu omnium Abbatum, si possit concorditer fieri, definiatur ; si autem pro capacitate sensus uniuscujusque

quod sæpè accidit, inter se dissenserint, Pater Cisterciensis Monasterii quatuor Abbatibus ad hoc idoneis hanc definire præcipiat: & quòd illi utiliùs judicaverint, omnis sanctæ multitudinis conventus sine retractatione teneat.

CAPUT XXXI.

De Privilegiis.

CONSTITUIMUS ne quis contra instituta Ordinis nostri privilegium facere præsumat: sed quod disposuerunt antecessores nostri sancti viri & adhuc disponunt sano consilio moderni ratum & stabile permaneat: quod si quis contra statuta Capituli accipere aliquid vel emere vel ædificare præsumpserit, remotâ omni dispensatione ædificia cadant, expensæ & opera pereant.

CAPUT XXXII.

Quod filia per annum semel visitet Matrem Ecclesiam.

STATUIT causa humilitatis Cisterciensis Conventus solerti providentia, quatenùs saltem semel in anno matrem Ecclesiam per Abbatem suum, si sanus fuerit, visitet filia.

CAPUT XXXIII.

Quæ pœna injungatur negligentibus instituta.

SI quis Abbatum Capituli nostri Generalis neglexerit instituta publicè clametur, & ad emendationem admoneatur. Quòd si ipso anno non correxerit, & in sequenti Capitulo notum fuerit leviori culpæ subjaceat, ubi & quandiù decreverit Cisterciense Capitulum,

CAPUT

CAPVT XXXIV.

De Archiepiscopo vel Episcopo.

NVLLVS propter jussionem Archiepiscopi vel Episcopi Generale Capitulum dimittere præsumat, sed si sanus est, cæteris occasionibus postpositis, venire contendat. Non quòd debitam obedientiam Prælatis nostris denegemus, sed quod in Ordine nostro tenere statuimus, observare debemus. Et ideò sicut aliàs scripsimus cum quis Abbatum Abbatiam construere voluerit, primo hoc Capitulum & cætera Archiepiscopo vel Episcopo sunt ostendenda diligenter.

CAPVT XXXV.

De Pulvinaribus.

PVLVINARIA ex nulla parte excedant pedem & dimidium.

CAPVT XXXVI.

De Electione Abbatis aut Monachi in Episcopum.

ABBAS vel Monachus nostri Ordinis, si in Episcopum eligatur, nunquam consentiat sine assensu Abbatis sui & Cisterciensis Capituli, nisi fortè à Domino Papa cogatur.

CAPVT XXXVII.

Quòd Monachi vel Conversi in alia Abbatia nihil quærant.

MONACHI & Conversi nostri Ordinis à propriis Abbatibus ad aliquod negotium directi in alia nostri Ordinis Abbatia, sine mandato Abbatis sui nihil

quærant præter victum & calceamentorum reparationem & equorum ferrationem, nisi eis aliquod infortunium in via contigerit.

CAPVT XXXVIII.

Quo Ordine benedicatur Monachus peregrinus.

MONACHVS peregrinus in aliquo Ordinis nostri Monasterio receptus, eo ordine in quo Novitius benedicatur, si priùs benedictus non fuerit.

CAPVT XXXIX.

Cui liceat ferre punctam culcitram.

NVLLVS ferat secum in via punctam culcitram ad jacendum, nisi is cui in Capitulo concessum fuerit.

Et hic errat prædictus *Ang. Manriq.* dum per punctam culcitram intelligit Pulvinum equestri sellæ impositum. Hîc enim ut patet ex textu capitis, per *culcitram* intelligi debet stragulum tomento & floccis fultum quod dormituris substernatur.

CAPVT XL.

Quot sociis Abbas veniens ad Capitulum contentus esse debeat.

ABBAS veniens ad Capitulum Generale intra Abbatiam Monachum non adducat, nec plusquàm duos equos, sed contentus sit uno Converso vel uno serviente.

CAPVT XLI.

Vbi Monachi vel Conversi minui debeant.

MONACHVS vel Conversus non debet minui nisi ad Abbatias nostri Ordinis, neque ad grangias nisi gravis necessitas incubuerit.

CAPUT XLII.

De communicaturis.

ILLIS diebus quibus Monachi communicaturi sunt, possunt ad privatas Missas Ministri communicare. Licet etiam Abbati Monachos, Novitios & Conversos prout expedire judicaverit, dividere per Altaria ad communicandum.

CAPUT XLIII.

Quòd nullus Abbas in Generali Capitulo loquatur nisi stando.

NULLI Abbatum, præter Cisterciensem, liceat clamare, vel in audientia omnium loqui nisi stando: aliis omnibus sedendo auscultantibus. Si quis autem aliorum vel contradicere, vel aliud dicere voluerit, illo sedente surgat.

CAPUT XLIV.

Quòd nullus præsumat terram alterius vel usuaria in ea quærere.

SI quis Abbatum terram habuerit vel usuaria vel inde aliquam conventionem habuerit, nullus Abbatum quærat eam, vel in ea usuaria sine assensu illius Abbatis.

CAPUT XLV.

Quomodo satisfaciat Abbas si ad Gloriam primi Psalmi non occurrerit.

ABBAS si ad Gloriam primi Psalmi non occurrerit, satisfaciat ad gradum ut Monachus: excepto quòd sine licentia alicujus post satisfactionem recedat ad sedem suam, nisi alius Abbas in Choro fuerit.

CAPUT XLVI.

Quando exire debent à Generali Capitulo Monachi Cistercienses.

IN prima die Capituli post absolutionem Defunctorum dicatur *adjutorium nostrum* & exeant omnes Monachi, præter Priores qui in loco Abbatum affuerint: idem fiat aliis diebus post expositionem Regulæ.

Ex hoc cap. perspicuum est, omnes Abbates interfuisse tunc temporis Definitionibus edendis aliisque causis in Capitulo Generali ventilandis: etsi nunc juxta præsentem usum, aut abusum potiùs, soli Definitores intersint; quasi verò Abbates nunc deterioris essent conditionis quàm tunc Priores qui vices eorum agerent.

Seditiosa, Schismatica, Superba: Clementi IV. PP et Ordini injuriosa haec nota.

CAPUT XLVII.

De Psalmis & orationibus extraordinariis.

PROHIBITUM est ne in Conventu Psalmi vel aliæ quælibet orationes pro quavis necessitate dicantur: nisi fortè pro Missa de Conventu; alia Missa pro imminenti angustia, vel ad Missam de Conventu Collecta.

CAPUT XLVIII.

De Mixto Adolescentiorum.

ADOLESCENTIORES Fratres quibus diebus jejuniorum *Mixtum* sumere conceditur, semper ante Tertiam illud sumant.

CAPUT XLIX.

De Nundinis.

PERICULOSUM quidem est minusque honestum Religiosis frequentare nundinas nominatas; sed quia paupertas nostra hoc exigit, ut de rebus nostris vendamus vel necessaria emamus, quibus talis incumbit necessitas, poterunt ire ad mercatum vel nundinas, non tamen ultra tres dietas, vel ad plus ultra quatuor: nec plus de Mona-

chis vel Conversis, quàm duo de una Abbatia, nec mare Anglicum transeundum censemus propter nundinas. Si qui tamen vicini maris portui fuerint, pro necessariis domus suæ emendis vel commutandis transire poterunt; non tamen ad nundinas, neque à portu cui applicuerint, plusquàm duas dietas. Quicunque ergo Monachus vel Conversus Ordinis nostri ad nundinas nominatus venerit, quandiu in nundinis fuerit, de nulla domo religiosa victum sibi vel equis suis accipiat, sed de suo magis vivat; & eâ mensurâ quâ decet virum Ordinis sui: non enim pro se *pisces emere* debet, aut delitias quærere, sed nec vinum bibere nisi benè aquatum, & duobus pulmentis sit contentus. Ad opus sæcularium nec emant nec vendant aliquid.

Nota hîc *pisces* non censeri inter pulmenta nostris Monachis concessa.

CAPVT L.

De Tabernis.

NEQVE per Monachum, neque per Conversum, neque per aliquem hominum liceat nobis vinum nostrum vendere ad tabernam, sive, ut vulgò dicitur, ad brocam, sive, ut linguâ *teutonicâ*, ad tapam in nostris sive in domibus alienis, nec alicubi omninò.

CAPVT LI.

De Abbatibus dum Capitulum Generale tenetur foris sedentibus.

QVICVNQVE Abbas fuerit foris dum Generale tenetur Capitulum, ea die à vino abstineat.

CAPVT LII.

De Mensura avenæ.

MONACHIS seu aliquibus aliis nostri Ordinis ad Abbatias nostras sive ad earum loca venientibus, ad opus equorum ipsorum mensura avenæ in Cisterciensi Capitulo constituta, sufficiat.

CAPUT LIII.

De hospitibus ad Generale Capitulum venientibus.

EO die quo Abbates Cistercium ad annuum conveniunt Capitulum reliquisque diebus quibus ibidem morantur, certum sit statutum esse in Generali eorundem Abbatum Capitulo; nullum supervenientem debere suscipi hospitem. Quòd si etiam talis aliquis supervenerit cui id omninò negari non possit: equos vel equum ejus nullomodo recipiendum; id enim solerter cavendum judicavere, ne fortè rei pro qua de tam longinquis conveniunt provinciis, scilicet ut suo intendant Ordini, ullum incurrant impedimentum, quod per hujusmodi susceptiones posse fieri arbitrabantur.

CAPUT LIV.

De mensura pulmentorum.

EADEM mensura sicut panis & vini sit per omnes Abbatias, qua æqualiter *pulmenta* dividantur tam in Abbatiis quàm in grangiis.

Pulmenta erant fercula Regularia seu à Regula permissa & præscripta, quę teste *Stephano* Tornaecensi *ager ex leguminibus vel ex oleribus hortus* nostris olim Monachis subministrabat. *Epist. ad Hug. Pontigniacensem.*

CAPUT LV.

Cui liceat ferre Calicem & cætera ad Missam cantandam necessaria.

ABBATES nostri Ordinis quolibet ierint, calicem & cætera ad Missam cantandam necessaria non ferant, nisi ii quibus in annuo Abbatum Capitulo concessum fuerit.

CAPVT LVI.

Si liceat alicui novos libros dictare.

NVLLI quoque liceat Abbati, nec Monacho, nec Novitio libros facere: nisi fortè cuiquam in Generali Capitulo id concessum fuerit.

Nullam fecit hic compilator notam, quippe qui ipse mandatum transgressus est.

CAPVT LVII.

De armentis sive pecudibus.

NVLLVS Abbas Ordinis nostri sive armenta sive pecudes sinat ad pascua longiùs evagari per diem; quin in nocte revertantur infra proprios fines & proprias terras: hac tamen lege non tenebuntur qui in Alpibus vel juxta Alpes habitant, in gregibus dumtaxat ovium. Propter porcos autem liceat habere longè ab Abbatia, sive à grangia duabus leucis sive etiam tribus, si ita necesse fuerit: & circà domum illam, quantùm opus fuerit, longè evagentur; ita tamen ut nocte revertantur. Custodibus autem ovium vel pecorum victus quotidianus aliunde non proveniat, nisi de sua propria Abbatia vel grangia illa. Sed si qui etiam in aliis partibus pro penuria & ariditate locorum hanc fortè legem tenere non potuerint, eâ ipsi non tenebuntur, sed poterit in eis Capitulum dispensare ut vivere possint, si tamen hoc testimonio viciniorum Abbatum ostendere poterunt.

CAPVT LVIII.

De placitis.

NON debent Abbates vel Monachi vel Conversi nostri Ordinis interesse placitis nisi suis aut aliorum de Ordine nostro. Quòd si aliis de causis quemquam eorum adesse contigerit, non sit tamen ibi Iudex vel Prolocutor, nec ad consilium partium nec ad judicium eat.

CAPVT LIX.

De Episcopis Ordinis nostri.

EPISCOPI de Ordine nostro assumpti consuetudinem nostram tenebunt in qualitate ciborum, in forma indumentorum, in observatione jejuniorum, in officio horarum regularium; excepto quòd mantellum de vili panno & pelle ovina; & pileum similem aut simplicem habere poterunt, qui voluerint: cum quibus tamen rebus Claustra nostra minimè intrabunt, nec Conventibus nostris intererunt, propter dissimilitudinem. Solatia poterunt unicuique dari de domibus nostris usque ad duos Monachos & tres Conversos, si tot necessarii fuerint, ita tamen ut nemini illorum sæcularia negotia vel curæ imponantur. Propter Episcopos Ordinis nostri si in Infirmitorio jacent, poterunt Infirmarii sui, si opus fuerit, remanere ab horis Canonicis; similiter & socii eorum qui assidui sunt cum eis. Cæterorum autem nullus pro quolibet Episcopo aliquam horam canonicam dimittat, & nullus Monachorum ejus comedat cum eo: sed in Refectorio, nisi infirmus fuerit.

NOTA primam simplicitatem, modestiam & sanctitatem Ordinis etiam in Episcopis suis.

CAPVT LX.

De Pitantiis.

ABBAS qui in Infirmitorio fuerit, in Conventum pitantiam non mittat, præter Abbatem loci: nullusque Abbatum qui in Refectorio comederint faciat pitantiam, nisi ille qui sedet ad nolam, nisi fortè juxta se sedenti.

CAPVT LXI.

Quibus speciebus non utimur.

IN Conventu generaliter nec pipere, nec cimino, nec hujusmodi speciebus utimur, sed communibus herbis quales terra nostra producit.

CAPVT

CAPUT LXII.

De gravibus culpis.

NOTUM est in Cisterciensi Capitulo annuali ab Archiepiscopis Ordinis nostri, tam fures quàm conspiratores, quàm etiam incendiarios excommunicatos specialiter fuisse. Quicunque ergo Fratrum nostrorum in ejusmodi deprehensi fuerint, graviori culpæ subdantur. Quòd si qui talium exierint pro eo vel projecti fuerint; nullatenùs nisi sub eadem sententia recipiantur. Ipsa etiam in quemque secundùm modum culpæ extendatur vel aggravetur. Hoc etiam attendendum est, ut & hora prandii sit tardior, & mensura cibi minor quàm illius qui in leviori culpa ponitur. Veruntamen Abbas attendat & corporum valetudinem & culparum modos, & cum susceptus fuerit in Capitulo, non eadem die ponatur in ordine suo. Vasa quibus utitur, aut frangantur aut pauperibus erogentur. Ad fores Oratorii prostratus jaceat non habens caputium in capite; quoties autem Missa vel Officium Defunctorum sine intervallo sequitur horam canonicam, non prosternatur, donec Conventus exeat de Ecclesia, non tamen omnes coguntur propter eum exire: qui verò exeunt, per ante eum exeant. Et item cùm in Capitulum receptus fuerit, dum completur Opus Dei prosternat se in terram.

De hac satisfaciendi ratione fusiùs agetur in lib antiq. Definitionum.

CAPUT LXIII.

De levioribus culpis.

FRATRES qui in leviori culpa sunt, extra Refectorium comedant in loco quo Abbati visum fuerit. Qui post refectionem servitorum, neque ad *biberes* eant cum aliis, neque illi qui pro versu tertiò perdito in pœnitentia sunt, sed post alios eant bibere in Refectorium.

CAPVT LXIV.

In quo ordine fugitivus recipi debeat.

FVGITIVVS si infra undecim dies redierit, restitui potest in ordine quem priùs habuerat : si verò ultra undecim dies redierit, recipi quidem potest, ita tamen quòd in eo gradu in quo ultimus recipitur, semper permanebit.

CAPVT LXV.

De vocatione Abbatum ad Electionem novi Abbatis.

DEFVNCTO Abbate Pater Abbas vocetur, & si qui sunt Abbates quos domus illa genuerit. Viciniores quoque ad diem quem ipse Pater Abbas præscripserit pariter convocentur, & ad arbitrium Patris Abbatis præsentes Abbates domûs illius & Monachi simul Abbatem eligant. In domo Cisterciensi, quia mater est omnium nostrûm, præsentes Abbates qui de Cistercio exierunt & Monachi Cistercienses simul eligant.

CAPVT LXVI.

De cura Grangiarum.

PROHIBEMVS ne quis Abbas grangias suas vel aliquam earum alicui Monacho committat, nisi Cellerario qui secundùm Regulæ authoritatem, ad voluntatem Abbatis curam gerat de omnibus, & ei prout necesse fuerit, solatia administrentur, à quibus in his quæ agenda fuerint, adjuvetur.

CAPUT LXVII.

Quid Abbas Cisterciensis in Generali Capitulo inquirere debeat.

SI aliqua Abbatia in anno à patre suo Abbate domûs unde exivit non fuerit visitata vel per se vel per alium: in communi Capitulo Cisterciensi Abbas ejus hoc notificet interrogante id communiter eo qui præsidet in Capitulo. Quæratur etiam si quis deest Abbatum, & auditis excusationibus eorum qui fortè pro infirmitate venire non poterunt, de cæterò nemo celaverit, si quem eorum qui eo anno venire debuerant abesse cognoverit, nec sine gravi animadversione id prætereatur.

CAPUT LXVIII.

Qualiter terminari debeant controversiæ inter Abbates exortæ.

SI fortè aliqua controversia inter aliquos Abbates Ordinis nostri orta fuerit, convocent vicinos Abbates Ordinis nostri & eorum consilio pacem ineant: si verò nec sic sedari potuerint, reservetur causa eorum ad annuum Capitulum Cistercii, & ibi ad arbitrium & ad nutum Cistercii Capituli terminetur, neque modo ad aliam audientiam appellare liceat.

CAPUT LXIX.

De Domibus quæ in villis sunt.

IN domibus quæ in villis sunt aut castellis aut civitatibus non habitent Monachi vel Conversi.

CAPUT LXX.

De Monachis vel Conversis ad proprias grangias venientibus.

MONACHI vel Conversi cùm ad proprias grangias venerint, sicut Fratres grangiarum ita vescantur; nec loquantur cum Fratribus, nisi cum Magistro & Hospitali.

CAPUT LXXI.

De falsis vocibus.

VIROS decet virili voce cantare, & non more fœmineo tinnulis vel, ut vulgò dicitur, falsis vocibus histrionicam imitari lasciviam: & ideò constituimus mediocritatem servari in cantu, ut & gravitatem redoleat & devotio conservetur.

CAPUT LXXII.

Si liceat alicui Romam ire.

NEMO Ordinis nostri Romam eat, nisi cum Episcopo sui Ordinis.

CAPUT LXXIII.

De Abbatibus qui Abbatias suas relinquunt.

ABBATES qui Abbatias suas relinquunt, in ordinem conversionis suæ redeant.

In subsequentibus Capitulis Generalibus concessum est hujusmodi Abbatibus ut post alios Abbates locum obtineant. *Novellarum Def. dist.* 8. *c.* 2.

CAPVT LXXIV.

Quòd Monachi vel Conversi ad Generale Capitulum venientes verberentur.

AB hora nona diei præcedentis Exaltationem sanctæ *Crucis* usque ad horam nonam diei quo Abbates à Generali Capitulo discedunt, quicunque hospes Monachus vel Conversus inventus fuerit in Monasterio vel in grangiis Cisterciensibus: ducatur in Generale Capitulum, & ibi coram omnibus Abbatibus verberetur. Excusationem verò aliquam eis prætendere qui verberantur, nec Abbas Cisterciensis potest.

CAPVT LXXV.

Quòd infirmarius potest loqui cum solatio suo.

QVI Magister erit de Infirmitorio loqui poterit cum solatio suo, si tamen ita viderit Abbas oportere: & hoc ipsum loco & modo quo ipse providerit. Conversum etiam pro solatio Infirmarii liceat haberi in Infirmitorio.

CAPVT LXXVI.

De Pueris literas discentibus.

NVLLVS puerorum doceatur literas intra Monasterium vel in locis Monasterii, nisi sit Monachus vel receptus in probatione Novitius, quibus tempore lectionis discere liceat. Et notandum quia nullum nisi post quintum decimum ætatis suæ annum in probatione ponere licet.

CAPVT LXXVII.

De pœna Abbatis contemnentis patrem Abbatem.

ABBAS filius qui Abbatem suum eum corripientem de ordine suo contempserit, clamatus in Cisterciensi

Capitulo levi culpæ subjaceat, aut in propria Abbatia aut in loco in quo Abbas Cisterciensis constituerit.

CAPVT LXXVIII.

Quando vel quibus major Cellerarius computare debet.

MAIOR Cellerarius semel in mense vel sæpiùs, si Abbas voluerit, de omnibus quæ accipit, Abbati vel quibus jusserit computet. Alii autem sive grangiarii, sivè qui aliquibus præsunt operariis, in præsentia Cellerarii, vel quibus cum eo Abbas jusserit, similiter faciant. Substantiam autem Monasterii in nummis vel in alia pecunia, is cui jusserit Abbas custodiat: ipse verò Abbas aliquos de suis Monachis pecuniæ conscios secum habeat.

CAPVT LXXIX.

De pœna loquentium ad mensam.

OMNI tempore secundùm Regulæ præceptum debet Monachus studere silentio, sed maximè nocturnis horis & ad mensam. Eapropter ordinamus ne Monachus sive Conversus ad mensam loquatur, nisi fortè in via constitutus si non habuerit qui signa sua intelligat, singula verba dicendo, ut aquam, panem, & vinum & cætera comestioni tantùm necessaria breviter & silenter requirat. Qui verò aliter fecerit, in ipsa refectione à vino abstineat: quòd si vinum non habuerit, uno pulmento, si duo habuerit, careat.

CAPVT LXXX.

Cum quot Monachis liceat Abbati hospiti simul loqui.

CONSTITVIMVS ut nullus Abbas ad aliam domum veniens, Monachum de labore sine licentia retineat,

nec cum pluribus quàm cum duobus simul loquatur: præter Abbates Visitatores, quos ei in Auditoria vel in locum proximum Auditorio Monachorum evocare liceat. Cæterùm per curiam vel Infirmitorium aut extra terminos sine Abbatis licentia vel Prioris, si Abbas defuerit, Monachum ducere, exceptis, ut diximus, Visitatoribus, nulli liceat. Dum autem Abbas cum duobus loquitur, si tertius supervenerit, stando breviter, si necesse sit, loqui poterit: sed consedere etiam rogatus non præsumat.

CAPUT LXXXI.
De Literis & vitreis.

LITERÆ unius coloris fiant & non depictæ. Vitreæ albæ fiant, sine crucibus & picturis.

CAPUT LXXXII.
De lampade Ecclesiæ.

LAMPADEM tam die quàm nocte ardentem in Oratorio, qui voluerit & potest, habeat.

CAPUT LXXXIII.
De generibus vestimentorum.

QVI mollibus vestiuntur in domibus Regum sunt: Monasterium ista non decent. Ponamus delicatas vestes, & nullus deinceps Isembruno, Saiâ, Valembruno vel ejusmodi aut etiam subtilioribus pannis utatur, neque novis neque veteribus.

CAPUT LXXXIV.
Pro quibus liceat nobis scribere D. Papæ.

NVLLUS scribat domino Papæ nisi pro propriis causis & Coabbatum suorum, & Episcoporum, Ar-

chiepiscoporum, Regum & Principum suorum.

CAPVT LXXXV.

De Wandagiis.

Vandengiæ seu *Vendagiæ* sunt perones seu indumenti genus tibias & pedes operiens.

DIRECTI in viam si voluerint *Wandengias* ad devitandum lutum, sive ad expellendum frigus habere licet eis.

CAPVT LXXXVI.

Quòd Monachus prostratus non oret.

NON est nostræ consuetudinis Monachum vel Conversum prostratum toto corpore jacere in Oratorio, sed super genua & stando.

CAPVT LXXXVII.

De Scriptoriis.

Scriptoria erant Cellæ in quibus Monachi libris describendis vacabant.

IN omnibus *scriptoriis* ubicunque ex consuetudine Monachi scribunt, silentium teneatur sicut in Claustro.



ADMONITIO



ADMONITIO
IN
INSTITVTIONES CAPITVLI GENERALIS
ORDINIS CISTERCIENSIS.



CVM hanc Definitionum Capituli Generalis Ordinis Cisterciensis secundam collectionem, circa annum Domini millesimum ducentesimum tertium, primùm tentasset *Arnaldus* Abbas Cistercii hujus nominis primus, eandem Capitulum Generale anni subsequentis approbavit ac singulis personis Ordinis imperavit. Sed cum in ea nonnulla à nonnullis desiderarentur, illius correctio & ordinatio per Capitulum Generale annorum 1214. 1215. 1216. & 1217. *Arnaldo II.* Cistercii Abbati & aliis quatuor primis Abbatibus delegata fuit, ac nihilominùs postea semel & iterùm Abbatibus de *Pruliaco*, de *Savigniaco*, de *Cadunio*, de *Maceriis*, de *Quinciaco* & aliis per Capitulum Generale annorum 1234. & 1235. præceptum, ut his denuò corrigendis & ordinandis convenirent, communibus Ordinis impensis, ac opere consummato, illud Abbati Cistercii & prædictis quatuor primis Abbatibus deferrent: hi verò ad Definitores Capituli Generalis subsequentis, & isti ad ipsum Capitulum Generale, ut tandem aliquando earumdem Definitionum Collectio sanciretur, earumque lectio & praxis singulis Monasteriis imponeretur. Quod & factum est in Capitulo Generali anni D. 1240. à quo constitutum legitur, ut harum Definitionum libellus tanto studio ac diligentia concinnatus, in singulis Capitulis Ordinis consummatis omnibus, antequàm diceretur *adjutorium nostrum*, à festo omnium Sanctorum usque ad Pascha, ad pedes & ad arbitrium præsidentis, saltem semel ex integro singulis annis legeretur. Verùm cum idem Capitulum Generale novas unoquoque anno conderet sanctiones, inde factum est ut anno 1256. rursus ad examen & censuram prædicta Collectio jussa sit revocari. Quod cum factum fuisset, in ea, quam tunc accepit, dispositione & forma, usque ad annum millesimum ducentesimum octuagesimum nonum vel ut habetur in Prologo *Novellarum* usque ad annum 1316. quo quidem anno alius earumdem Definitionum libellus conscriptus est, perduravit.

Cæterùm hæc Collectio quindecim complectitur Distinctiones, quarum

I. *Agit de Fundatione & Institutione Abbatiarum.*

II. *De Benedictione Novitiorum & Abbatum: de Professione & Ordinatione Monachorum.*
III. *De Officio Divino & pertinentibus ad ipsum.*
IV. *De Privilegiis & Immunitatibus Ordinis.*
V. *De Capitulo Generali.*
VI. *De Capitulo quotidiano & emendatione culparum.*
VII. *De Authoritate Patrum Abbatum & de Electionibus.*
VIII. *De Officialibus Monasteriorum.*
IX. *De dirigendis in viam.*
X. *De Personis in Ordine recipiendis.*
XI. *De Societate sæcularium fugienda.*
XII. *De Venditione rerum mobilium & locatione immobilium.*
XIII. *De Victu & vestitu Monachorum.*
XIV. *De Conversis.*
XV. *De Monialibus.*



INSTITUTIONES

CAPITULI GENERALIS

ORDINIS CISTERCIENSIS.

DISTINCTIO I.

De Fundatione & Institutione Abbatiarum prædicti Ordinis.

CAPUT PRIMUM.

Quibus in locis construi & in cujus honorem dedicari debeant ejusdem Ordinis Cœnobia.

Anno Domini 1256. Cistercii 158.

IN Civitatibus, in Castellis aut villis, nulla nostra construenda sunt Cœnobia, sed in locis à conversatione hominum semotis; omnesque Ecclesiæ Ordinis nostri in honorem Beatæ *Mariæ* fundentur & dedicentur.

CAPUT II.

De Turribus ad Campanas.

TURRES lapideæ ad campanas non fiant nec ligneæ altitudinis inmoderatæ quæ Ordinis dedeceant simplicitatem.

CAPUT III.

De vitreis.

VITREÆ albæ tantùm fiant, exceptis Abbatiis quæ alterius Ordinis fuerint, quæ aliter factas tempore suæ conversionis habuerint, poterunt retinere.

CAPUT IV.

De superfluitatibus & curiositatibus cavendis.

SUPERFLUITATES & curiositates notabiles in sculpturis, ædificiis, pavimentis & aliis similibus, quæ deformant antiquam Ordinis honestatem & paupertati nostræ non congruunt, in Abbatiis, grangiis vel Cellariis nostris ne fiant interdicimus; nec picturæ præter imaginem Salvatoris. Hæc omnia patres Abbates in suis visitationibus diligenter inquirant & faciant observari. *Ita Cap. Gen. an. 1213.*

CAPUT V.

De Abbatiis non fundandis sine consensu Capituli Generalis.

NULLI liceat Abbatiam Ordinis nostri fundare nec fundatam aliàs transferre, vel etiam commutare; seu locum alterius Religionis Ordini nostro per subjectionem incorporare, nisi de licentia Capituli Generalis. Abbas verò qui contra formam præscriptam Abbatiam creare præsumpserit, tam promovens quam promotus deponatur, & Conventus ad domum priorem revocetur.

CAPUT VI.

De numero Monachorum qui ad nova Cœnobia transmittuntur.

Cap. Gen. an. 1204.

DUODECIM Monachi cum Abbate tertio decimo ad nova Cœnobia ad minus transmittantur; nec tamen illuc destinentur, donec locus domibus, libris & aliis necessariis aptetur, ut vivere & Regulam valeant observare: si autem Abbatiæ non habent nec habere possunt quod sufficiat ad numerum prætaxatum, aut expirent penitùs, vel inde faciat Pater Abbas quod viderit expedire, consilio tamen Capituli Generalis.

CAPUT VII.

De vestibus & ornamentis Ecclesiæ: de Hostiis & sacra Eucharistia.

ALTARIUM linteamina & ministrorum indumenta sine serico sint & aurifrigio, præter stolam & manipulum, nisi Legatus vel Episcopus ibi celebraverit: propter hoc tamen Cappas, Tunicas vel Dalmaticas in domibus nostris minimè induant Monachi ministrantes. Casulæ etiam unius coloris & simplices sint; Indulgetur tamen ut qui casulas olosericas unius coloris & sine aurifrigio jam nunc habent vel in posterùm per eleemosinam habuerint, eis utantur. Omnia siquidem ornamenta, vasa, utensilia, librorum firmacula, sint sine auro & argento & gemmis, præter Calicem & fistulam: quæ quidem duo sola argentea & deaurata sint, sed nunquam aurea permittantur haberi ut in eis celebretur. Hostiæ non nisi de puro frumento fiant: & Eucharistia sub clave & bona sera conservetur.

CAPUT VIII.

De Cappis & Tapetibus.

Ita Cap. Gen. ann. 1257. 1258. & 125.

ABBATIBUS dum benedicuntur, nec-non & Abbatibus qui eis in benedictionibus assistunt, albis & cappis uti licet & quotiescunque etiam albis induun-

tur & portant Baculum pastoralem, & in benedictionibus Novitiorum. Diaconis etiam & Subdiaconis dalmaticis & tunicis uti liceat in solennitatibus sive Abbate celebrante, sive etiam absente. Celebrantibus autem Abbatibus in domibus Ordinis nostri nunquam tapetia substernantur.

CAPUT IX.

De Crucibus, Reliquiis & lampade Oratorii.

CRUCES pictas & ligneas habeamus, sed aureæ vel argenteæ notabilis magnitudinis non fiant. In præcipuis festivitatibus cum Reliquiæ apponuntur Altari, (quod ad Missas tantùm fieri debet, videlicet in festivitate *Sanctæ Trinitatis* & in omnibus solennitatibus in quibus fit *sermo* in Capitulo, primâ Dominicâ Adventus,) duo cerei Altari apponantur, præter candelas hinc & inde parietibus affixas. Lampadem tam die quam nocte ardentem in Oratorio omni occasione remota habere debemus.

CAPUT X.

De lumine ante Altare in festis Sanctorum accendendo.

CUM festum alicujus Sancti evenerit, ad Altare in ipsius honorem consecratum, non cereos sed lampadis lumen vel Candelæ licebit accendere.

CAPUT XI.

De libris Iuris & nova librorum expositione.

LIBRI Iuris Civilis vel Canonici in *Armario* communi minimè resideant, nec præsumat aliquis novas librorum expositiones facere *sine consensu* Capituli Generalis.

Armarium. Erat Cella intra Capitulum & Ecclesiam in Claustro libris asservandis disposita.

Sine consensu. Cùm nunc vix aut rarissimè Capitulum Generale celebretur, sufficit facultas superioris majoris cùm Privilegio Regis & approbatione Doctorum.

Falsa hæc Compilatoris nota. non enim quilibet Sup.or major in Ordine potest dare licentiam abbati vel monacho publici juris faciendi librum sed Capitulum Generale, aut eo cessante, ille qui ejus plenariâ fungitur authoritate. id est, solus Abbas Cistercij. Deinde abbas de Præcib.⁹ nunquam fuit superior major in Ordine. quâ ergo potestate fecit facultatem præsentem librum imprimendi?

CAPVT XII.

De campanis quales eſſe debeant & quomodo pulſentur.

CAMPANÆ Ordinis noſtri ita fiant, ut unus tantùm pulſet eas & nunquam duo ſimul. Notandum autem quòd cum ſit intervallum inter Laudes & Primam, modicè debet pulſari major campana. Similiter ad primum ſignum horæ, ad *Mixtum*, ante cibum & poſt, poſt meridianam, ad *biberes* & ad Miſſas. Inſuper autem pulſari debet ad omnia officia & ad omnes horas quibus Converſi intereſſe debent, exceptis Primâ, Tertiâ, Sextâ, Nonâ & Completorio, quæ minori ſemper campana pulſantur, & Capitulum & Collatio. Quando autem intervallum non eſt inter Laudes & Primam, major campana pulſari debet ad Primam.

CAPVT XIII.

De diſtantia grangiarum & Abbatiarum.

GRANGIÆ diverſarum Abbatiarum diſtent ad minus inter ſe duabus leucis Burgundiæ conſuetis. De diſtantia verò Abbatiarum fiat ſecundùm quod viſum fuerit Capitulo Generali.

CAPVT XIV.

De Cimiteriis intra grangias.

PROHIBETVR ne in grangiis noſtris de cætero fiant Cimiteria, & in his quæ facta ſunt nemo ſepeliatur. Si verò contingat aliquos jus ſepulturæ habere ibidem, quibus non poſſit denegari; à ſeptis grangiarum ipſa Cimiteria excludantur, ſi poteſt fieri competenter; ſin autem, ad Abbatiam ſepeliendi deducantur.

CAPVT XV.

De ſtabulis & domibus extra portam.

STABVLA Equorum intra Abbatiarum ambitum collocentur, nec extra portam Monaſterii aliqua domus

ad habitandum construatur, nisi animalium tantùm, propter cavenda pericula animarum. Si quæ constructæ fuerint, cadant. Omnes autem portæ Abbatiarum cum posticis earum sint *extra terminos*.

Extra terminos scilicet Claustri Regularis.

DISTINCTIO II.

De Benedictionibus Novitiorum & Abbatum: de Professione & Ordinatione Monachorum.

CAPUT PRIMUM.

De ingressu mulierum in Abbatias tempore Dedicationis Ecclesiæ.

CUM in Abbatiis nostris Ecclesiæ majores noviter dedicantur, per novem dies fœminæ permittuntur intrare, sed intra septa earumdem minimè pernoctare.

Ex Cap. Gen. ann. 1190.

In Sequanæ portu quia mulieres in anniversario Regis ingressæ sunt Oratorium, tam Abbas quàm Monachi & Conversi uno die sint in pane & aqua: Officiales verò qui hoc scienter fieri permiserunt, tribus diebus sint in levi culpa, uno eorum in pane & aqua.

CAPUT II.

De Benedictionibus Novitiorum.

NOVITII qui in alia domo benedicuntur, secundùm formam Ordinis communem profiteantur: & nihilominùs cum ad proprias domos venerint, proprio Abbati debitam faciant *professionem*, nisi ab ipso fuerint benedicti. Abbas qui Novitium scienter infra annum, vel extra Abbatiam Ordinis nostri, benedixerit, à Patre Abbate deponatur.

Cap. Gen. ann. 1197.

Per hanc *Professionem* Abbati faciendam, intelligenda est ea quæ singulis Abbatibus fit, nihilque aliud est quàm obedientiæ & subjectionis erga eos testificatio. Fit autem in Capitulo à Novitio vel Monacho genibus flexis & manibus junctis inter manus Abbatis, sub hac verborum formula. *Pater, promitto tibi Obedientiam secundùm Regulam S. Benedicti usque ad mortem.*

CAPUT III.

De petentibus ordinari & de alienis Monachis ad Ordines non promovendis sine licentia proprii Abbatis.

QUI Abbates suos per se vel per alios inquietant ut promoveantur ad Ordines, à die qua hoc fecerint

usque ad biennium non ordinentur, nisi promoti fuerint in Abbates. Nec præsumat aliquis alienum Monachum facere ordinari sine licentia proprii Abbatis.

CAPUT IV.

De prima Missa Sacerdotis noviter ordinati, & de Ordinatis ab Episcopo suspenso.

SACERDOTES noviter ordinati primas Missas nonnisi privatim cantent. Ordinati verò ab Episcopo suspenso, & qui scienter à tali fecerint ordinari, ab Ordinum executione suspensi maneant usque ad nutum Capituli Generalis.

CAPUT V.

De probatione & professione Monachi alterius ordinis.

MONACHUS alterius Ordinis professus secundùm Regulam Sancti Benedicti, in aliquo Ordinis nostri Monasterio receptus, si benedictus non est, in Cella Novitiorum sit per annum & eodem ordine quo Novitius benedicatur. Si autem benedictus fuerit, statim detur ei cuculla & completis ad minus antea quatuor mensibus, posteà ad nutum Abbatis in Capitulo petitionem faciat de professione facienda, & in Ecclesia sicut Novitius Monachus professionem suam legens super Altare offerat nihil ampliùs faciens.

CAPUT VI.

De Benedictione, Professione, Installatione & Receptione Abbatum.

PRO Benedictione Abbatum nihil detur, quia simoniacum est. Quòd si aliter benedici non poterunt, benedictiones potiùs omittantur vel differantur. Debemus autem profiteri Episcopis nostris in forma quâ profitetur Domnus Cisterciensis quæ talis est. *Ego frater. N. Abbas Cistercii Subjectionem, Obedientiam & Reverentiam à Sanctis Patribus constitutam, secundùm Regulam Sancti Benedicti, tibi Domine Pater Episcope, tuisque successoribus canonicè*

canonicè instituendis, *& sanctæ Sedi Cabilonensi*, salvo Ordine nostro, *perpetuò me exhibiturum promitto.* Qui aliter profiteri præsumpserit, sciat se deponendum. Pœnam eandem sustineat qui ab aliquo, qui non sit de Ordine nostro, vel etiam à persona nostri Ordinis, nomine alicujus Prælati se permiserit installari. Nec unquam fiat processio Abbati nisi benedicto.

CAPUT VII.

Quod Episcopi Novitios benedicere, Electionibus interesse aut Visitationem in domibus nostris facere minimè permittantur.

NULLUS Episcopus, etsi de Ordine nostro sit, Novitium benedicere vel visitationem facere in domibus nostris, vel se de Electionibus Ordinis intromittere permittatur.

CAPUT VIII.

Abbates & Monachi non baptisent, nec infantem de sacro fonte suscipiant.

ABBAS sive Monachus qui infantem baptisare præsumpserit vel de sacro fonte susceperit, nisi fortè in periculo mortis, dum Presbyter defuerit, omni sextâ feriâ sit in pane & aqua usque ad sequens Capitulum Generale, nisi grandis solennitas aut evidens necessitas aliquam exegerit dispensationem; & in eodem Capitulo Abbas super hoc veniam petat. Abbas etiam qui Monacham vel Campanam seu etiam Sacerdotalia vestimenta *benedixerit*, similem pœnam patiatur.

Benedixerit. Hæc omnia nunc, tum ex usu tum ex Privilegio fiunt.



DISTINCTIO III.

De Officio Divino.

CAPUT PRIMUM.

De mediocritate servanda in Cantu.

MEDIOCRITAS servetur in Cantu, ut & gravitatem redoleat & devotio conservetur.

CAPUT II.

De Commemoratione B. MARIÆ & Missa ejus.

PRIVATIS diebus & festis duodecim Lectionum in quibus laboramus, ad Vesperas dicatur Antiphona *Sancta Dei genitrix*; & ad Laudes Antiphona *Beata mater*. Diebus verò quibus non laboramus, ad utrasque Vesperas dicatur Antiphona *Sancta Maria*, ad Laudes Antiphona *Beata Dei genitrix*, versus *Ave Maria*, ad quem flectimus genua, & ad *Salve Regina*, & ad *Salve Sancta Parens* tantùm; ubi tamen Sacerdotes in Missis privatis Sacerdotalibus induti, genua non flectant. Collecta erit *Concede nos*. Per Adventum autem dicetur Collecta *Deus qui de Beatæ*, versus verò & Antiphona non mutantur. Et sciendum quòd omni die quo fit commemoratio de *Beata Maria* ad Laudes, ad Missam dicitur Collecta ejus, exceptis tribus vigiliis *Pentecostes*, *Assumptionis* Beatæ *Mariæ*, & *omnium Sanctorum*. Omni verò die quo cantatur Missa quotidiana, pro *Defunctis* & de sancta *Maria* cantatur; die autem *Natalis Domini*, *Paschæ*, & *Pentecostes* Hebdomadarius ejusdem Missæ cantet de festo; & dicat Collectam de *Sancta Maria*, & Hebdomadarius Missæ pro Defunctis *Inclina*. In Adventu autem & in omnibus solennitatibus sanctæ *Mariæ*, & in octavis *Assumptionis* ejusdem, Missa eadem quæ in Conventu canitur, privatim dicetur.

CAPUT III.

Quòd extra stallum stare debemus in commemorationibus beatæ Mariæ, & de commemoratione Beati Bernardi.

IN omnibus autem solennitatibus Beatæ *Mariæ* ad *Benedictus* & ad *Magnificat* & ad commemorationes ejus quæ ad *Laudes* & ad *Vesperas* fiunt, Monachos volumus extra stallum stare. Commemoratio Beati *Bernardi* fiat in Conventu; scilicet ad *Vesperas* Antiphona *Beatus Bernardus*: ad *Laudes* verò Antiphona *Consurgens*: versus *Ora pro nobis Beate Bernarde*: Collecta *Perfice*. Similiter & de sancto *Benedicto* commemoratio fiat in Conventu. Ad *Ve-*

Hæc S. *Bernardi* commemoratio in horis B. *Mariæ* jussa est fieri à Cap. Generali an. 1200.

speras Antiphona *Sanctissime:* ad *Laudes* Antiphona *fuit vir:* versus *amavit :* Collecta , *Excita* & in *Litania* nominentur.

CAPUT IV.

Quando intermittatur commemoratio beatæ Mariæ.

IN vigilia *Natalis Domini*, ad *Laudes* Commemoratio beatæ *Mariæ* intermittitur usque in crastinum *Epiphaniæ* præter festa Sanctorum , & tunc ad *Laudes* dicatur. Similiter in *Cœna Domini* ad *Laudes* intermittatur usque ad quintam feriam post diem *Paschæ*, & tunc ad *Laudes* dicatur. In vigilia quoque *Ascensionis* intermittatur ad *Vesperas* & in crastino *Ascensionis* agatur ad *Laudes*. In vigilia *Pentecostes* ad *Vesperas* intermittatur , usque in quintam feriam, & ad *Laudes* incipiatur. In festo quoque *Omnium Sanctorum* & in omnibus solennitatibus beatæ *Mariæ* intermittatur : per octavas etiam *Assumptionis ipsius* præter propriam de octavis, præterquam in die beati *Bernardi*.

CAPUT V.

De horis beatæ Mariæ in Infirmitorio dicendis.

HORÆ beatæ *Mariæ* in Infirmitorio dicantur omni tempore, exceptis festivitatibus ejus & per octavas *Assumptionis* ejusdem. In festo tamen beati *Bernardi* cantentur & in diebus *Paschæ*, *Pentecostes* & *Omnium Sanctorum*. A vigilia autem *Natalis Domini* usque in crastinum *Epiphaniæ*, exceptis festivitatibus sanctorum , non dicantur.

CAPUT VI.

De Missa Beatæ Mariæ in Sabbatis & vigilia Assumptionis.

IN omnibus Sabbatis omninò vacantibus Missa de beata *Maria* solenniter cum tribus ministris sine flexione genuum omissis usitatis collectis in Conventu cantabitur cum *Gloria in excelsis*, & præfatione *& te in Veneratio-*

næ. Diebus Septuagesimæ Tractus *Gaude Maria*; & diebus Resurrectionis duo *alleluia* dicantur: Primum quidem *post partum*, secundum verò *virga Iesse*. Propter hoc tamen Missa pro Defunctis non omittatur. Idipsum, qui Sabbato cantaverint privatim, de beata *Maria* observent. Abbas autem in vigilia *Assumptionis* beatæ *Mariæ* celebret in Conventu cum duobus ministris solenniter sicut in Dominica cum Præfatione *& te in veneratione*.

CAPVT VII.

De Præfatione & Hymnis per octavas ejusdem.

PER octavas *Assumptionis gloria in Excelsis Deo*, & Præfatio de festo dicantur, & cum duobus ministris solenniter celebretur: & in solennitatibus sanctorum quæ intrà easdem evenerint, ad *Tertiam* dicatur Hymnus de beata *Maria* & ad *Completorium*. In octavis *Ascensionis Domini* & *Epiphaniæ* dicatur præfatio de eisdem.

CAPVT VIII.

De processione in festo Assumptionis ejusdem.

IN *Assumptione* beatæ *Mariæ* fiat processio per totum Ordinem ita quod in egressu dicatur responsorium *hodie Maria*: in secunda statione *Fœlix namque*: in introitu Ecclesiæ *Ascendit Christus*. In quatuor verò solennibus processionibus ante crucem cerei deportentur à duobus Monachis cum albis cucullis.

CAPVT IX.

De horis Beatæ Mariæ extra terminos & de Officio Defunctorum.

Cap. Gen. ann. 1194.

In *audientia* id est alta voce & in communi, nisi malueris per *audientiam* locum aliquem intelligi in quo loqui infirmis liceret.

ABBATES & Monachi extra terminos constituti si Conventus defuerit, & illi qui circa Defunctum vigilant, simul cantent horas de beata *Maria*, & Officium pro Defunctis. In Infirmitorio autem communiter dicatur in *audientia* Officium Defunctorum: & ad idem Officium in Ecclesia qui post Hebdomadarium Invitatorii stat, *Benedictus* & *Magnificat* semotus *à podio* imponat.

CAPVT X.

De satisfactione Abbatis ad gradum.

ABBAS si ad *Gloriam* primi Psalmi non occurrerit, satisfaciat ad gradum ut Monachus; sine licentia tamen ad sedem suam redeat, nisi alius Abbas in Choro fuerit.

CAPVT XI.

De non loquendo intra terminos cum horæ cantetur.

NVLLVS loquatur intra terminos Abbatiæ dum horæ canonicæ in oratorio celebrantur, nec ad Vesperas, nec ad Laudes, usque post ultimam Collectam. Exeat add.

CAPVT XII.

De orationibus in Conventu.

IN Conventu Psalmi vel quælibet orationes pro quavis necessitate minimè dicantur, sine authoritate Capituli Generalis, nisi fortè pro Missa de Conventu, alia pro imminenti angustia dicatur, vel ad eandem Missam Collecta.

CAPVT XIII.

Quòd prostrati non oramus.

MONACHI vel Conversi prostrato toto corpore in oratione non jaceant; exceptis Monachis quando de via revertuntur.

CAPVT XIV.

De Anniversariis Honorii Papæ, & Regum Franciæ & Angliæ.

ANNIVERSARIA *Honorii* Papæ quinto decimo Kalendas Aprilis: Regis *Philippi* secundo Idus Iulii: Regis *Ludovici* sexto Idus Novembris: Regis *Richardi* feriâ tertiâ post octavas *Pascha*, per totum Ordinem sedendo fiant. Responsorium *Libera me* cum tribus versibus à Cantore dicatur. Prima Collecta *Præsta Domine*, secunda

Honorii scilicet III. qui S. Patrem nostrum *Robertum* Sanctorum numero adscripsit, & dispensandi super irregularitatibus facultatem

Capitulo Generali concessit. *Philippi* scilicet Augusti & *Ludovici* VIII. Regum Franciæ. *Richardi* Anglorum Regis qui, ut infra dicetur, eleemosynam Capitulo Generali largitus est.

Fidelium. Missa erit cum tribus ministris, Responsorium, *Si ambulem:* Tractus, *Absolve Domine.* Pro ipsis verò celebrent universi qui dictis diebus cantaverint, exceptis Hebdomadariis Missarum, Abbates verò nisi voluerint, in Conventu minimè celebrare teneantur.

In Anniversario *Honorii* Papæ, quod semper evenit in Quadragesima, duæ Missæ canantur: prima de Iejunio, secunda de Anniversario, & si præsens Defunctus fuerit, usque ad diem quâ congruè dici poterit, differatur. Si anniversaria ista in secunda feria evenerint, vesperæ nihilominùs die Dominica dicantur. Anniversarium Reginæ *Berengariæ*, & Comitissæ *Campaniæ* Ducisque *Austriæ*, decimo Kalendas Ianuarii fiat; non tamen in Conventu, sed à quolibet qui celebraverit, eo die pro ipsis celebretur: Collecta *Præsta Domine* pluraliter dicatur.

CAPVT XV.

De Anniversario sine licentia non faciendo.

ANNIVERSARIA nulla fiant nisi de licentia Capituli Generalis. Si quæ verò concessa fuerint, sedendo fiant; exceptis quatuor præcipuis Officiis Defunctorum & Anniversario Regis *Ludovici*, quod stando fiat ibi tantummodo ubi sepultum est, & Regis *Richardi* quod fiet similiter in domo Cistercii. Sicubi aliter præsumptum fuerit ea die Conventus sit in pane & aqua, & Abbas inde veniam petat in Capitulo Generali,

CAPVT XVI.

Quomodo Anniversarium intelligatur si deinceps conceditur.

NVLLI de cætero Anniversarium de facili concedatur, si autem ad hoc concedendum induxerit necessitas, sic intelligi debet, ut in unaquaque Abbatia annuatim una Missa tantum modo privatim celebretur. Et hoc ipsum declaratur de Anniversario Regis & Reginæ *Castellæ*, in octava sancti *Michaëlis* faciendo.

CAPUT XVII.

De his qui debent exire ad Tabulam pro mortuis.

SI Tabula pulsetur pro decedente, dum *Opus Dei* in Ecclesia celebratur, qui de Choro exierint revertantur in Chorum: nec exeant aliqui ad sonitum, nisi quibus innuitur à Priore vel à Cantore.

CAPUT XVIII.

De Commemoratione Sanctorum non instituenda sine licentia Capituli Generalis.

COMMEMORATIONES Sanctorum non fiant præter consuetudinem Ordinis, nisi per Capitulum Generale concedatur: & sicubi præsumptum fuerit, Prior & Cantor qui hoc scienter sustinuerint, uno die sint in pane & aqua, & Abbas inde veniam petat in Capitulo Generali.

CAPUT XIX.

De non petendo Servitio in morte.

NULLUS ex nostris ab alio Conventu, proprium in morte petat servitium, nec si petierit, exaudiatur; quia omnia nobis sunt communia.

CAPUT XX.

De Missa intitulata privatim celebranda, si propter aliquod festum aut aliud impedimentum non possit in Conventu cantari.

QUANDO Missa alicujus Sancti intitulata in Graduali impeditur, pro præsenti Defuncto vel jejunio vel festo duodecim Lectionum vel alias: eadem à Cantore injungatur alicui privatim cantanda.

CAPVT XXI.

De Miſſis de Trinitate & Spiritu Sancto.

AB octavis *Pentecoſtes* uſque ad *Adventum* Domini quando Miſſa Dominicalis bis in die debet celebrari: Miſſa matutinalis fit de ſancta *Trinitate*, & omni quintâ feriâ quæ vacua fuerit, dicetur Miſſa de *Spiritu Sancto.* Ad Miſſam autem *de Trinitate* nunquam dicatur Collecta de *Spiritu Sancto.*

CAPVT XXII.

De Collecta pro præſenti Defuncto & Miſſa quotidiana.

AD Miſſam quotidianam pro Defunctis, ſi præſens Defunctus Religioſus vel ſæcularis fuerit in Eccleſia, dicatur pro eo Collecta *Omnipotens ſempiterne Deus cui nunquam* ſingulariter poſt primam Collectam.

CAPVT XXIII.

De Miſſa quotidiana & annuali non concedenda.

NVLLI liceat Miſſam quotidianam concedere vel annualem in Conventu, niſi de licentia Capituli Generalis; nec pacto interveniente vel pretio, Miſſarum celebratio vel Ordinis noſtri *conſortium* permittatur, quia ſimoniacum eſt.

Conſortium, id eſt communicatio ſuffragiorum Ordinis.

CAPVT XXIV.

De Miſſis tempore meſſionis vel tonſionis.

TEMPORE tonſionis ovium, Miſſæ poſt *Primam* celebrentur, ubi Monachi tondêre conſueverunt. Tempore verò meſſionis, Monachis qui remanent à labore, Miſſæ intereſſe & Abbatibus liceat celebrare; nec aliquis de Ordine Miſſam bis in die celebrare præſumat.

CAPVT

CAPUT XXV.

De elevatione Hostiæ & restringenda evagatione Claustralium.

CUM Missæ celebrantur, consecratione peractâ, Hostia elevetur, ut videri possit. In Missis verò de Conventu in ipsa elevatione minor campana uno ictu pulsetur, & omnes qui audierint, exceptis his qui in Dormitorio fuerint, *petant veniam* nec à terrâ surgant qui in Choro fuerint, donec post consecrationem Sacerdos elevet manus. Quando duæ Missæ fuerint in Conventu, non evagentur Claustrales: & districtè corrigantur qui in hoc fuerint inventi culpabiles. Hebdomadarii coquinæ diebus privatis intersint Missis de Conventu.

Ita Cap. Gen. an. 1215.

Petant veniam Id est flectant genua articulis digitorum ad terram positis.

CAPUT XXVI.

Quibus horis possint celebrare Abbates & Monachi sive egredientes sive redeuntes.

ABBATIBUS egredientibus æstatis tempore post *Primam*, regredientibus verò post *Tertiam*: in Hyeme usque ad *Nonam*: in Quadragesima verò usque ad *Vesperas*; Missam permittitur audire vel celebrare. Liceat etiam Monachis post *benedictionem viæ* acceptam, ante Evangelium celebrare.

Benedictio viæ hîc vocatur *Benedictio* quæ secundùm Reg. S. Ben & lib. Usuum Ord Cisterc. Iter aggredientibus datur.

CAPUT XXVII.

De ministris Altarium ubi & quando communicent.

DIEBUS quibus Monachi communicaturi sunt, possunt illi duo qui ministrant ad privatas Missas communicare; si visum fuerit Abbati. Quando verò una sola Missa matutinalis canitur pro præsenti mortuo, tunc liceat his qui communicaturi erant ad hanc Missam, ad altare ubi canitur Missa *de Beata* communicare. Ubique verò extra Ecclesiam dicatur ad *Primam*, *Pater noster* & *Credo in Deum* & *Pretiosa in conspectu Domini*.

CAPVT XXVIII.

De Festo sanctæ Trinitatis & de Dominica Palmarum.

FESTVM sanctæ *Trinitatis* cum tribus lampadibus semper fiat & Abbas celebret solenniter in Conventu, sed sermonem in Capitulo propter difficultatem materiæ fieri non oportet. Dominicâ Palmarum ardeant tres lampades, sicut in præcipuis festis.

CAPVT XXIX.

De Festis sancti Barnabæ & sancti Petri Tarantasiensis.

FESTVM sancti *Barnabæ* fiet sicut unius Apostoli, excepto quod Conversi laborabunt, Lectiones ex homilia Beati *Augustini* Episcopi, *Hoc est præceptum meum*, Homilia, *Cum cuncta sacra eloquia*. Pro secundo *Alleluia*, *Non vos me elegistis*. Si verò festivitas hæc in sabbato sanctæ *Trinitatis* evenerit, nihil de festo fiet nisi Commemoratio. *Ita Cap. Gen. an. 1178.* Festum autem Dedicationis quando die suo fieri non poterit, transferetur : & si festum S. *Petri Tarentas.* diebus Rogationum evenerit duæ Missæ canentur.

CAPVT XXX.

Quando Collecta ECCLESIÆ debeat intermitti.

COLLECTA *Ecclesiæ* intermittatur his diebus : *In vigilia Natalis Domini, in Cœna Domini, in vigilia Paschæ*, & *Pentecostes*, *in Sabbatis quatuor temporum*, in Exaltatione sanctæ *Crucis* & in quatuor præcipuis Officiis *Defunctorum*.

CAPVT XXXI.

De commemoratione plurimorum Sanctorum.


DE sancto *Servatio* Episcopo fiat commemoratio III. Idus Maii, Collecta *Deus qui conspicis*. De

sancto *Eligio* Episcopo & Confessore Kalendis Decembris, Collecta *Da quæsumus*. De sancto *Cutberto* Episcopo & Confessore XIII. Kalendas Aprilis, Collecta *Deus qui conspicis*. De sancto *Francisco* Confessore IV. Nonas Octobris: Collecta *Deus qui nos Beati*. De sancta *Barbara*, XVII. Kalendas Ianuarii, Collecta *Omnipotens sempiterne*. Undecim *millium Virginum*, XII. Kalendas Novembris: Collecta *Exaudi nos*. De sancto *Ægidio*, Kalendis Septembris fiat commemoratio ante commemorationem beati *Prisci*, & Missa in Conventu sicut de sancto *Benedicto*. De sancta *Catharina*, ut de sancta *Lucia*. Festum sancti *Dionysii* cum duabus Missis celebretur, Conversi tamen laborabunt. Ad primas Vesperas cantetur Responsorium, *Laverunt*. De sancto *Roberto* Missa, Capitulum & Collecta erunt ut de sancto *Benedicto*, cætera ut de sancto *Hieronymo*, exceptis quarto & octavo Responsoriis, quæ fient ut de sancto *Marco*. Secundum *Alleluia*, *Posui adjutorium*. De sancta *Elizabet* Collecta *Exaudi nos*.

CAPUT XXXII.

De petitionibus in Capitulo Generali non faciendis pro festo alicujus sancti celebrando.

INHIBETUR ne petitiones de cætero fiant de festo faciendo alicujus sancti, nisi de licentia & consensu Domni Cisterciensis & Definitorum.



DISTINCTIO IV.

De Privilegiis & Immunitatibus Ordinis.

CAPUT PRIMUM.

Complectens synopsim dictorum Privilegiorum.

LIBERTATES cum Privilegiis & Indulgentiis à Sede Apostolica nobis concessæ inviolabiliter observentur, ex quibus sequentes ex eisdem excerptæ, præsenti distinctioni præmittuntur.

Omnia igitur quæ in Charitatis *Charta* continentur, &

omnes Regulares Ordinis nostri Institutiones factæ usque ad ALEXANDRVM III. authoritate nobis Apostolicâ confirmantur; & specialiter per EVGENIVM Papam III. ANASTASIVM IV. ADRIANVM IV. & ALEXANDRVM III.

Præterea tres supradicti Papæ nobis concesserunt, quod pro interdictis terrarum nullatenùs vacent Ecclesiæ nostræ à Divinis, quocunque Episcopo præcipiente.

ALEXANDER III. CELESTINVS II. VRBANVS II.

Vide eorum Bullas & Privilegia nec non & alia subsequentium in Bullario Ord. Cister.

Si Episcopus in cujus Parochia fundata est Abbatia, cùm humilitate & devotione quâ convenit requisitus, substitutum Abbatem benedicere, & alia quæ ad Episcopale officium pertinent nobis conferre renuerit, licet eidem Abbati, (si tamen Sacerdos fuerit) proprios Novitios benedicere, & alia quæ ad officium suum pertinent exercere, & omnia ab alio Episcopo percipere quæ à proprio fuerint indebitè denegata. In recipiendis autem professionibus quæ à benedictis vel benedicendis Abbatibus exhibentur, eâ debent esse Episcopi formâ & expressione contenti, quæ ab origine Ordinis noscitur instituta. Si autem Episcopi ab Abbatibus aliquid præter obedientiam debitam, contra libertatem Ordinis à Sede Apostolica Ordini indultam, expetierint: liberum est ipsis Abbatibus authoritate Apostolicâ denegare. *Ita illi tres supradicti Rom. Pontif.*

INNOCENTIVS III.

Pro consecrationibus Altarium vel Ecclesiarum, seu pro oleo sancto vel pro quolibet sacramento Ecclesiastico, nullus à nobis sub obtentu consuetudinis vel alio modo debet quicquam extorquere, sed hæc omnia gratis Diœcesanus Episcopus debet impendere; alioquin licet nobis quemcumque voluerimus Catholicum adire Antistitem, gratiam atque communionem Sedis Apostolicæ habentem, qui Apostolicâ fretus authoritate, nobis quod postulatur impendat. Quòd si Sedes Diœcesani Episcopi vacaverit, interim omnia Ecclesiastica sacramenta, à vicinis Episcopis liberè & absolutè & absque ulla contradictione, authoritate Apostolicâ licet nobis accipere;

ita tamen ut nullum ex hoc præjudicium in posterùm propriis Episcopis generetur. *Ita ille.*

VRBANVS II.

Quia interdum propriorum Episcoporum copiam non habemus, si quem Episcopum Romanæ Sedis, ut diximus, gratiam atque communionem habentem, de quo plenam notitiam habeamus, per nos transire contigerit: ab eo Benedictionem vasorum & vestium, Consecrationes Altarium, Ordinationes Monachorum, authoritate Sedis Apostolicæ recipere valemus. *Ita ille.*

CELESTINVS III. INNOCENTIVS III.

Porrò si Episcopi vel alii Ecclesiarum Rectores in Monasteria nostra vel in personas ibi constitutas suspensionis, excommunicationis vel Interdicti sententiam promulgaverint; sive etiam in Mercenarios nostros, pro eo quod Decimas non solvimus; sive pro aliqua occasione eorum quæ à benignitate Apostolica nobis indulta sunt; seu Benefactores nostros, pro eo quod nobis beneficia aliqua vel obsequia ex charitate præstiterint, vel ad laborandum adjuverint, in illis diebus in quibus nos laboramus & alii feriantur, eandem sententiam protulerint: ipsam tanquam contra Apostolicæ Sedis Indulta prolatam decretum est irritari. *Ita illi.*

VRBANVS III.

Si quis in aliquem de familia nostra quandiu in nostro famulatu fuerit, propter retentionem Decimarum, vel aliud aliquid à Sede Apostolica Ordini nostro concessum, excommunicationis vel Interdicti sententiam promulgaverit: licet eum nobis absolvere, & si necesse fuerit, Ecclesiastica sacramenta & sepulturam conferre. *Hæc ille.*

LVCIVS. CELESTINVS. INNOCENTIVS.

Licet nobis Clericos & Laïcos liberos & absolutos à sæculo venientes ad conversionem recipere, & eos absque aliqua contradictione retinere. Venientes autem ad conversionem vel etiam posteà, si confessi fuerint quòd pro *appositione ignis*, vel pro *violenta manuum injectione in Cle-*

ricum, vel in aliquam *religioſam* perſonam, vinculo teneantur excommunicationis adſtricti, aut aliis modis, præter eos qui *debito pecuniæ* alicui perſonæ obligati fuerint & ſolvere poſſunt: authoritate Apoſtolicâ liberam poteſtatem abſolvendi habemus, & congruam pœnitentiam injungendi. *Hæc illi.*

CELESTINVS. ALEXANDER III. INNOCENTIVS III. VRBANVS III.

Nulli Fratrum noſtrorum poſt factam in aliquo Monaſterio noſtro profeſſionem fas eſt, abſque Abbatis ſui licentia, ab eodem loco diſcedere: diſcedentes verò abſque communi literarum cautione nullus audeat retinere. Quòd ſi quis fortè retinere præſumpſerit, licet nobis in ipſos Monachos vel Converſos ſententiam Regularem proferre. *Ita illi.*

INNOCENTIVS III.

Univerſis Eccleſiarum Prælatis per Apoſtolica ſcripta mandatur, quòd ſi quando in parochiis ſuis vel Collegiis, profeſſi Ordinis Ciſtercienſis ab illis illecti vel propria levitate ſeducti, fuerint inventi, ſi admoniti ad domos proprias redire diſtulerint: eos, contradictione & appellatione ceſſante, excommunicatos publicè denuntient, & ſicut excommunicatos faciant arctiùs evitari, donec ad domos proprias revertantur. *Hæc Innoc. III.*

VRBANVS III.

Indultum eſt nobis, ut cum fugitivi literas impetrant, in quibus non continetur ut recipiantur *ſalvâ Ordinis diſciplinâ*, vel *ſi Regulare fuerit & honeſtum*: tales literæ nullam obtineant firmitatem, nec earum obtentu ad hujuſmodi fugitivorum receptionem aliquis nos Apoſtolicâ authoritate compellere valet. *Hæc Vrb. III.*

EVGENIVS. CELESTINVS. INNOCENTIVS.

Intra clauſuras locorum ſive grangiarum noſtrarum nullus violentiam vel rapinam ſeu furtum facere, aut ignem apponere, ſanguinem effundere, hominem capere, ſpoliare, verberare, vel interficere, ſeu violentiam audeat

temerè exercere; sed sint ipsa loca, sicut atria Ecclesiarum ab omni incursu & violentia authoritate Apostolica libera semper & quieta. *Hæc illi.*

ADRIANVS. URBANVS. CELESTINVS.

Nullus etiam Episcoporum infra leucam ab Abbatiis nostris vel grangiis, aliquam Religiosorum vel sæcularium habitationem, unde inquietatio nobis possit provenire, superædificari debet permittere; quòd si præsumptum fuerit, per Episcopum Diœcesanum, excommunicationis sententiâ arceatur. *Hæc illi.*

CELESTINVS. INNOCENTIVS. ALEXANDER. LVCIVS.

De possessionibus ante *Concilium* habitis, quas propriis manibus aut sumptibus colimus, & de *Novalibus* ante Concilium sive post acquisitis, sive de *hortis* & *virgultis*, *pratis*, *pascuis*, *nemoribus*, *molendinis* & *piscationibus* nostris, seu nutrimentis *animalium* nostrorum, nulli decimas solvere tenemur. *Hæc illi.*

Concilium scilicet Lateranense.

LVCIVS III.

Indulget nobis ut generaliter ad omnes, vel specialiter ad aliquas causas, de conscientia & approbatione sanioris consilii, *Oeconomicum* habeamus: qui calumniæ juramentum pro nobis præstet, & agendi & respondendi super causis Monasteriorum nostrorum liberam habeat facultatem.

Oeconomicum alia manuscripta habent *economum* id est procuratorem.

CELESTINVS. URBANVS. INNOCENTIVS.

Licet nobis in causis propriis, seu civilem seu criminalem contineant quæstionem, Fratrum nostrorum testimonio uti. *Ita illi*

URBANVS. INNOCENTIVS.

Episcopi & aliæ similes personæ in Domibus nostris Ordines celebrare, Causas tractare, & Conventus suos convocare prohibentur.

EVGENIVS. URBANVS. INNOCENTIVS.

Nullus Episcopus vel alia similis persona nos com-

pellere potest ad Concilia & Synodos nisi pro fide : sed nec ad sæcularia judicia , pro possessionibus nostris : sed si quis adversùm nos aliquid sibi crediderit de jure competere , sub Ecclesiastici judicis examine , experiendi habet facultatem. *Sic illi.*

INNOCENTIVS III.

Nullæ literæ firmitatem habeant , quas tacito nomine Ordinis Cisterciensis , contra tenorem Apostolicorum privilegiorum , constiterit impetrari. *Ita ille.*

LVCIVS, URBANVS.

Indulgetur nobis si privilegia nostra , quorumlibet malignitas recipi non patiatur nec audiri , & contra immunitates quæ in privilegiis continentur aliquid in juris nostri præjudicium propter hoc contigerit definiri : ut quod factum fuerit irritum sit & inane , nec propter hoc alicui dispendio debeamus subjacere. *Sic illi.*

INNOCENTIVS III.

Universis Ecclesiarum Prælatis authoritate Apostolica mandat & in virtute obedientiæ districtè præcipit , ut illos qui in aliquem de Fratribus nostris manus violentas injecerint , vel res nostras sive hominum nostrorum irreverenter invaserint , aut ea quæ nobis ex testamento decedentium relinquuntur contra justitiam detinuerint , vel decimas laborum seu nutrimentorum nostrorum extorserint : si Laïci fuerint , eos & principales fautores eorum publicè , candelis accensis , excommunicationis sententiâ percellant.

Clericos autem , & Canonicos sive Monachos appellatione remota ab officio & beneficio suspendant , neutram relaxaturi sententiam , donec nobis plenariè satisfaciant , & qui pro violenta manuum injectione in personas Ordinis nostri fuerint anathematis vinculo innodati , cum diœcesani Episcopi literis ad Sedem Apostolicam absolvendi mittantur.

Villæ autem in quibus bona nostra vel hominum nostrorum per violentiam detenta fuerint , aut prædones rerum nostrarum permanserint , nisi habitatores ipsarum diligenter

ligenter admoniti, eos à se amovere curaverint; quandiu ibi fuerint, sine appellatione, prædictæ sententiæ supponantur.

HONORIUS III.

Indulget nobis ut Capellanorum contradictione non obstante, personas liberas ad nos è sæculo fugientes, liberè recipere valeamus; & prohibet Capellanis ab eis pecuniam vel aliquid aliud pro *mortuario* extorquere. Prohibet etiam ne Legati Sedis Apostolicæ sine speciali mandato Domini Papæ, in nos excommunicationis & suspensionis, & in Monasteria nostra interdicti sententias, contra ea quæ nobis à Sede Apostolica indulta sunt promulgare præsumant; aut procurationes pecuniarias à Monasteriis nostris exigere. Sed & ipsis, ut cum ad Domos nostri Ordinis accesserint, sine carnium usu cibis regularibus sint contenti, edixit.

GREGORIUS IX.

Concessit nobis ne ultra duas diætas à Monasteriis propriis per Literas Apostolicas trahamur in causam, nisi Literæ ipsæ de hac indulgentia fecerint mentionem: ac insuper ut, si Fundatores Monasteriorum nostrorum vel alii fideles apud Monasteria nostra elegerint sepulturam, dummodò non sint excommunicati vel interdicti, aut etiam publicè usurarii, liceat nobis ipsos non obstante alicujus contradictione Ecclesiasticæ tradere sepulturæ, salvâ tamen justitiâ illarum Ecclesiarum, à quibus mortuorum corpora assumuntur.

Item ne per Literas Apostolicas possimus conveniri, quæ de Cisterciensi Ordine non faciunt mentionem, aut de bonis mobilibus vel immobilibus quæ devotionis obtentu in vita sua Monasteriis nostris donant fideles, cuiquam teneamur solvere portionem.

GREGORIUS IX.

Indulget item nobis ut Abbates, Priores, Subpriores Ordinis nostri non possint compelli inviti per Iudices delegatos à Summo Pontifice, ut excommunicent aut excommunicatos denuntient proprios Monasteriorum nos-

trorum Fundatores, seu civitatum, castrorum quoque ac villarum communia, in quorum territorio vel confinio sunt Monasteria nostra sita, neque ut ad villam extra Monasteria nostra personaliter accedentes eosdem excommunicatos ab eis, publicè nuntient evitandos. Et si aliter fecerint ipsi Iudices delegati, non teneantur nostri in præmissis aliquatenùs eis obedire, absque mandato Apostolico speciali aut Legati ejus *à latere* destinati.

Hoc etiam indulgendo concessit, quod nec ad Principes vel alios Potentes & Nobiles citandos, excommunicandos, aut excommunicatos denuntiandos possimus compelli.

GREGORIUS IX.

Cum jam dudum authoritate Apostolicâ inhibitum esset, ne Episcopi vel quælibet aliæ personæ regularem electionem Abbatis nostri Ordinis impedirent, aut de instituendo vel removendo eo qui pro tempore fuisset electus, contra Instituta Cisterciensis Ordinis aliquatenùs se intromitterent: præcipiendo mandavit ne Archiepiscopi vel Episcopi, de modo electionis Abbatum Ordinis nostri inquirere, Personas electas de vita, literatura & moribus examinare, vel electionem confirmare prædictam ullo modo præsumerent, vel eos sibi præsentari facerent electos ab ipsis confirmandos.

Item ne Archidiaconi ipsos electos installandi jus aliquod vel potestatem sibi arrogarent, aut ab institutis vel instituendis Abbatibus, sub benedictionis vel installationis prætextu, aliquid penitùs exigerent. Et si fortè contra prædictam inhibitionem à quoquam aliquid præsumeretur, irritum esset & inane, & *sententiæ latæ* nullum robur firmitatis haberent. Item prohibuit eadem authoritate Apostolica ne Prælati Ecclesiarum, Principes ac Nobiles occasione juris patronatûs, advocatiæ, seu custodiæ, quam in Monasteriis, Grangiis, Cellariis, vel Domibus nostris se habere proponunt, nec etiam pro suæ libitu voluntatis, bladum, vinum, evectiones & res alias pro ædificatione ac munitione Castrorum & Villarum, nec-non & pro tyrociniis, torneamentis, expeditionibus, & aliis usibus eorumdem à nobis exigere & extorquere præsumant,

nec talliis & exactionibus indebitis aggravare. Item nec ipsis nec aliis carnes comedere in domibus nostris, nec mulieribus easdem domos ingredi licet contra Ordinis nostri Instituta.

CAPUT II.

De Excommunicatione impetrantium Privilegia contra Ordinis Instituta.

NULLUS contra communia Ordinis Instituta Privilegium, Indulgentiam, seu Literas quascunque à quolibet postulare, vel tale quid obtentum audeat retinere, præter consensum Capituli Generalis. Excommunicamus autem & anathematisamus omnem tam Conventum quàm personam, qui vel quæ contravenire præsumpserit.

CAPUT III.

De Querelis intra Ordinem terminandis & excommunicatione contravenientium.

QUANDO scandalum sive dissensiones vel quælibet querelæ in Ordine oriuntur, extra Ordinem nunquam exeant: sed intra Ordinem & per personas Ordinis charitativè & discretè ad Ordinis unitatem sopiantur. Qui contra hoc venire & ad aliam Audientiam appellare, & facere Schisma in Ordine, & contumaciter procurare vel excitare præsumpserit, vel facientibus consenserit: à Deo & ab Ordine anathema sit, donec per humilem satisfactionem redire mereatur. Ea verò quæ aliter congruè terminari non poterunt, Generali Capitulo proponantur: ut quod inde fuerit per Capitulum ordinatum, irrefragabiliter teneatur.

CAPUT IV.

De Excommunicatione appellantium.

NULLI omninò de Ordine ad Capituli Audientiam nec aliàs audeant appellare, quia hoc redundare posset in subversionem totius Ordinis & ruinam. Excom-

municamus autem & anathematisamus omnem tam personam quàm Conventum quæ vel qui in Ordine nostro contra Ordinis Instituta seu contra obedientiam appellabit; ita quòd quisquis taliter in Ordine appellaverit, sciat se statim excommunicationis sententiam incurrisse: hoc addito quòd quicunque contra dictam Constitutionem vocem emiserit appellationis, si sit Abbas sciat se esse depositum; si Monachus vel Conversus, pœnam conspiratorum sustineat. Actum anno Domini M. CC. XXIII. in Capitulo Generali, universis Abbatibus in eodem Capitulo constitutis, huic Institutioni assensum præstantibus.

CAPUT V.

De casibus in quibus non dispensant Abbates.

Ita Cap. Gen. ann. 1220.

ABBATES in his casibus nullatenùs dispensent, videlicet in *Simonia*, *Homicidio*, *Bigamia*, *Falsificatione literarum Domini Papæ*, *Injectione manuum violenta in Episcopum vel Abbatem*, *sive Clericum sæcularem*, *mutilatione membrorum* vel *enormi effusione sanguinis*; in his enim casibus recurrendum est ad consilium Capituli Generalis.

CAPUT VI.

De Absolutione hospitum.

INDULGETUR Abbatibus ut absolvant hospites ad se missos sicut proprios tempore hospitalitatis, in illis dumtaxat casibus in quibus Ordini concessum est, ita tamen quòd quando proprii Abbatis copiam habuerint, culpam suam ei confiteri teneantur.

CAPUT VII.

De Potestate Abbatum quibus causæ committuntur.

ABBATES quibus causæ Ordinis committuntur, habeant authoritate Capituli Generalis potestatem coërcendi tam in capite quàm in membris, præter depo-

sitionem Abbatum & excommunicationem personarum, & generale Ecclesiæ interdictum.

CAPVT VIII.

De cavendis cavillationibus in causis.

IN Causis Ordinis conflictus & subtiles cavillationes sæcularium causarum, in quantum fieri poterit evitentur, & simplicitas Ordinis observetur, nec unquam admittantur Advocati sæculares.

CAPVT IX.

De impetratione Literarum contra personas Ordinis.

QVANDO sæculares impetrant Literas à Generali Capitulo contra personas Ordinis nostri, si Iudices ultra duas dietas remoti fuerint ab Abbatiis contra quas impetrantur: Literæ tales, nisi de hac Institutione fecerint mentionem, nullam habeant firmitatem; vel si sæculares standi judicio coram ipsis Iudicibus præstare noluerint cautionem, illi contra quos impetrant eis respondere nullatenùs compellantur. Et in ipsis literis ponatur usuris cessantibus, et si fortè non fuerit appositum, nihilominùs subintelligatur.

CAPVT X.

De Iurisdictione Iudicum à Capitulo Generali delegatorum.

QVANDO fit commissio Abbatibus à Capitulo Generali, donec finiantur querelæ non expirat jurisdictio eorum, sed ad ipsos de eisdem querelis recurratur, donec querelæ finem debitum sortiantur.

CAPVT XI.

De processu duorum Iudicum sine tertio.

QVANDO aliqua commissio fit tribus Abbatibus, si omnes nequiverint interesse, duo ipsam nihilo-

minùs exequantur, tertiò se per literas excusante; & quod statuerint, faciant firmiter observari.



DISTINCTIO V.

De Capitulo Generali.

CAPVT PRIMVM.

De procuratione ad Capitulum Generale venientium & pœna transgressorum.

TEMPORE quo venitur ad Capitulum Generale & reditur, provideant Abbates & Officiales domorum, ut in Abbatiis & grangiis eorum, venientibus & redeuntibus sufficienter & honestè procurentur necessaria, & in omnibus Cellariis Ordinis in quibus habentur vineæ, vinum congruum ministretur. Nihilominùs tamen in illis Cellariis in quibus vinum solet ministrari, extra tempus Capituli omni tempore ministretur more solito. Abbas, in cujus domo vel grangia negligenter fuerint recepti, in Capitulo proclametur, ad arbitrium Capituli puniendus: Monachus per cujus neglectum id evenerit, tribus diebus sit in levi culpa, uno eorum in pane & aqua; Conversus verò sit tribus diebus in pane & aqua, & in Capitulo verberetur.

CAPVT II.

Quibus terminis Abbates Hyberniæ, Scotiæ, Syriæ & Palestinæ venire debeant ad Capitulum Generale.

ABBATES de Hybernia, Scotia & Sicilia tribus annis remaneant, & quarto anno veniant ad Capitulum Generale: Abbates verò de Syria & Palestina, septimo anno venient.

CAPUT III.

De Abbatibus Norvegiæ, Græciæ & Livoniæ.

DE Abbatibus qui sunt in Norvegia, Græcia, Livonia & Syria, provideant Patres Abbates, ut ad minus tertio anno visitentur: & anno quinto veniant ad Capitulum Generale. Abbates verò de Hungaria duobus annis remaneant à Capitulo, & tertio anno veniant. Abbas de *Quierth* quinto anno veniat.

CAPUT IV.

De domibus ne graventur.

ABBATES ad Capitulum venientes, quando plures conveniunt, caveant ne pro vino accipiendo vel rebus aliis immoderatè gravent Domos Ordinis.

CAPUT V.

De Abbatibus qui Abbatias devitant.

ABBATIBUS qui tempore Capituli Generalis domos in quibus cibaria venientibus ad Capitulum præparantur devitant, & inde sibi cibaria deferri faciunt, nihil ad portandum ulteriùs ministretur: sed nec panem nec caseum de Abbatiis deportent, si ad grangias accedere debuerint, ubi eis necessaria præparantur.

CAPUT VI.

De Equitaturis venientium ad Capitulum.

ABBATES qui sunt in Provinciis Lugdunensi, Bisuntinensi, Bituricensi, Rhemensi, Trevirensi, Senonensi, Viennensi, Rothomagensi, Turonensi, Tarantasiensi, Aquensi, Ebrodunensi, Arelatensi venientes ad Capitulum Generale ad quatuor primas Domos & eas quæ infra sunt non adducant nisi duas equitaturas cum duobus servientibus, si necesse fuerit: alii non adducant, nisi tres equos & duos servientes si necesse fuerit. Excipitur tamen Abbas *Savigniaci*, qui usque ad Cistercium, tertium equum adducere potest. Si quis verò ultra statutum

Hic honor Abbati *Savigniaci* delatus est, ratione Domûs suæ; erat enim illa Caput Ordinis Savigniacensis & Mater plusquam tri-

ginta Monasteriorum: quæ cum illa Ordini nostro Cisterciensi adunata fuerant S. Bern. & Eug. III. temporibus, nimirùm anno Domini 1148.

numerum adduxerit vel scienter receperit, in crastinò factæ transgressionis sit in pane & aqua, veniam inde nihilominùs in Capitulo petiturus. Nec aliquis Abbas ad Capitulum veniens secum Monachum adducat, nisi pro magna & evidenti necessitate; quòd si fecerit, nihilominùs veniam petat in Capitulo Generali.

CAPVT VII.

De pueris euntibus assiduè cum personis Ordinis.

PVERI euntes assiduè cum personis Ordinis non deferant cultellos acuminatos; vel vestes varias, nec serta in capitibus, nec chyrotecas in manibus; sed mitanas.

CAPVT VIII.

De ingressu in Cistercium & egressu.

NVLLVS Abbas ad Capitulum Generale veniens infra quindecim dies ante Capitulum intrans Cistercium ibi moretur ultra tres dies, nisi fuerit infirmitate detentus; tempore quoque Capituli nullus intret Cistercium, nisi cum duobus equis & uno Converso vel famulo, si Conversum suum contigerit infirmari: nec in Cistercium Monachum introducat, exceptis quatuor primis & Abbate Savigniaci qui secum Monachos adducere poterunt. Singuli verò primorum Abbatum quatuor equitaturas tantùm adducant.

Porrò die præcedente vigiliam sanctæ *Crucis*, Abbates ad Capitulum venientes intrent Cistercium ante Tertiam; & post Tertiam, Missa de Spiritu Sancto in Conventu solenniter celebretur. Si Dominica fuerit, Missa matutinalis erit de Dominica, & major de Spiritu Sancto, & hoc apud Cistercium. In cæteris autem domibus Ordinis nostri Missa dicetur de Spiritu Sancto eadem die in Conventu; sed si Dominica fuerit, Missa matutinalis erit de Spiritu Sancto, & major de Dominica. Missa verò de Spiritu Sancto nec pro Defuncto præsenti intermittetur. Et in hac ipsa die à singulis Sacerdotibus qui *cantare* poterunt

Cantare hic accipitur pro *celebrare* ut alibi sæpiùs tum in his Constit. tum in lib. Vsuum.

runt Missa de Spiritu Sancto cantetur, nisi pro præsenti Defuncto fuerint præpediti.

Nec aliquis sæcularis seu persona alterius Ordinis duobus diebus ante festum sanctæ *Crucis* Cistercium ingredi permittatur.

CAPUT IX.

De hospitibus tempore Capituli in Cistercio inventis.

AB hora nona diei sanctorum *Prothi* & *Hyacinti* usque ad horam diei nonam quâ Abbates à Capitulo Generali discedunt, quicunque Monachus vel Conversus hospes inventus fuerit in Monasterio, vel in grangiis Cistercii vel Cellariis, nisi de licentia Domni Abbatis Cistercii, ducatur in Capitulum Generale, & ibi coram omnibus vapulet; statim postquàm vapulaverit, recessurus. Si quis verò Monachus vel Conversus eo tempore urgens negotium habuerit, Cistercium ingredi poterit, de licentia tamen Domni Cisterciensis, ita quòd expleto negotio exeat sine mora, transgressores Monachi vel Conversi pœnam prænotatam sustineant.

CAPUT X.

De pœnâ Abbatum qui remanent à Capitulo.

ABBATES qui ad Capitulum nec venerint nec miserint eo anno quo debent venire, à die Capituli Generalis in stallum Abbatis non intrent; & omni sextâ feriâ sint in pane & aqua, donec Cistercio se præsentent. Eandem pœnam sustineant qui per se vel per alios procuraverint, ut à Capitulo Generali remaneant; & illi qui hoc scierint, & eos non proclamaverint. Quicunque hoc procuraverit vel procurari fecerit, per annum sit in pane & aqua omni sextâ feriâ.

CAPUT XI.

De excusationibus Abbatum & Responsalibus.

ABBATES qui singulis annis tenentur venire ad Capitulum, si gravi infirmitate præpediuntur, per li-

teras se excusent; omnes alii si gravi infirmitate tenentur, debent mittere Responsales: nihilominùs tam hi quàm omnes alii qui anno quo debent venire ad Capitulum modo quolibet excusantur, sequenti anno veniant & veniam inde petant. Dicti verò Responsales secunda die & illa tantùm sessione Capitulum ingrediantur, quo veniam petere debent, statim postquàm petierint, de ipso Capitulo egressuri.

CAPUT XII.

De Abbatibus infirmis quòd Cistercio se præsentent.

ABBATES qui singulis annis ad Capitulum venire non tenentur, si usque ad unam de quatuor primis Abbatiis venerint, & ibi infirmi remanserint vel infra, postquàm meliorati fuerint, Cistercio se præsentent: & sic eis indulgetur, ut sequenti anno ad Capitulum venire minimè teneantur. Abbates verò qui in via Capituli spoliantur, nihilominùs ad Capitulum veniant, & Abbates per quos transierint, eis necessaria charitativè ministrent.

CAPUT XIII.

De Abbatibus qualiter in Capitulo Generali se habeant.

QUICUNQUE Abbas foris, dum Generale Capitulum tenetur, scienter sederit, eadem die à vino abstineat: Signo igitur pulsato ad conveniendum in Capitulum, statim Abbates sine mora conveniant, qui diutiùs intrare distulerit proclametur, satisfacturus ad arbitrium præsidentis, sine cujus licentia nutu manûs petita, quandiu sederit ipse, nullus exeat.

Nullus in Capitulo præter Præsidentem proclamet, vel loquatur in audientia omnium nisi stando, omnibus aliis sedendo auscultantibus. Si quis contradicere vel aliquid dicere voluerit, illo sedente surgat. Qui loqui habuerit aliquid alicui (quod tamen debet studiosè ab omnibus præcaveri) accedens ad eum in aure loquatur ei & breviter hoc faciat.

Si quid auditum fuerit unde aliquis vel aliqui moveantur, non statim in tumultuosas & inconditas voces prorumpant, quin potiùs servatâ cum omni studio favorabili gravitate, surgat aliquis qui unus pro aliis sapienter atque discretè verbi moti satisfactionem aut ipse reddat, aut sicut noverit expedire ipse inquirat; nec præsumat alter alterum defendere aut quasi tueri, quod est scindere Sacrosancti Ordinis unitatem. Quod si quis transgressus fuerit, talis in eum vindicta procedat, quæ cæteros à tali præsumptione deterreat. Regula S. Ben. cap. 69.

Si aliqua persona ingressa Capitulum fuerit, & aliquis Abbatum aliquid habuerit adversus eam: non ibi coram omnibus eam aggrediatur, sed postquàm ex visis & auditis ædificata recesserit, proponat Abbas quod voluerit; & tunc si Capitulo visum fuerit, eligantur personæ discretæ, quæ personam illam modestè conveniant, & ad ea quæ pacis sunt ac juris convenienter inducant.

CAPVT XIV.

De exitu Monachorum è Capitulo & literis sæcularium ad illud non afferendis.

DIE sanctæ *Crucis* post absolutionem solennem defunctorum dicatur *Adjutorium nostrum* & exeant omnes Monachi. Idem fiat aliis diebus post expositionem Regulæ, & nemo clamorem vel Literas pro sæculari quolibet, contra aliquem Ordinis nostri ad Capitulum deferat.

CAPVT XV.

De Definitoribus Capituli Generalis.

CVM Domnus Cistercij Abbas voluerit Definitores eligere, non ex debito necessitatis, sed pro bono pacis ac Charitatis inquirat per quatuor primos Abbates simul vel sigillatim prout illi placuerit, quot singuli eorum de derivatione domus suæ ad hoc opus idoneos esse crediderint: & audito responso eorum, de numero eorum qui fuerint nominati, quos utiliores esse crediderit ad hoc

opus, assumat. Ipse verò quatuor primos Abbates & de aliis filiis suis quos magis discretos esse cognoverit & æmulatores Ordinis, eligat ad hoc ipsum: & secunda die Capituli ante Sextam nominet eos Definitores.

CAPVT XVI.

De uno ex quatuor primis retinendo.

QVI præsidet Capitulo, semper unum retineat secum de quatuor primis Abbatibus in Capitulo, modò unum modò alterum, per diversa diei spatia.

CAPVT XVII.

De primis Quatuor si quos convocaverint.

SI aliquis de quatuor primis Abbatibus in Cisterciò tempore Capituli Generalis aliquos Abbates duxerit convocandos, caveat qui convocat, caveant etiam convocati, ne quid ibi oriatur quod schisma vel conspirationem redoleat, vel aliquam dissensionem. Si autem (quod absit) hujus tam necessariæ Constitutionis transgressor quis fuerit comprehensus, absque retractatione in ipso Capitulo deponatur.

CAPVT XVIII.

De Abbatia quæ visitata non fuerit.

SI quæ sit Abbatia quæ visitata non fuerit eo anno à Patre suo Abbate unde domus illa exivit, vel per se vel per alium, Abbas ejus hoc notificet, interrogante id communiter eo qui præsidet in Capitulo; quæratur etiam si quis deest Abbatum, & auditis excusationibus eorum qui fortè venire non potuerunt, de cætero nemo celaverit si quem eorum qui venire debuerant, eo anno abesse cognoverit; qui verò celaverit, tribus sex feriis sit in pane & aqua.

CAPUT XIX.

De Abbatibus ut Definitiones habeant.

ABBATES universi Definitiones Capituli Generalis habere satagant ; quas in reditu suo prima die quâ ingrediuntur Capitulum suum, & ter ad minus per annum, cum Charta visitationis, in suis Capitulis faciant recitari : qui hoc neglexerit, tribus diebus sit in levi culpa, uno eorum in pane & aqua. Visitatores verò tempore visitationis, Definitiones illius anni sibi faciant præsentari. Quemcunque Abbatem mandati hujus invenerint transgressorem, illi pœnam peragere denuntient à Capitulo præfinitam. Si cui verò Abbati à Capitulo injungitur, ut per certum numerum dierum sit extra stallum Abbatis, præfixo die hoc impleat existens in Choro, sive in Monasterio suo sive in alieno, continuè vel interpolatim. *Ex Cap. Gen. ann. 1212.*

CAPUT XX.

De Eleemosynis ad Capitulum missis.

ELEEMOSYNAS Capitulo deferendas nullus quærat ; nulli etiam dentur. Sed omnium usibus quibus missæ fuerint reserventur ; & æquis partitionibus distribuantur per singulos ; nec de cætero in usus alteros expendantur, nisi fortè urgente necessitate, de licentia Capituli Generalis ; de quibus *tres portiones dentur pro Defunctis* super mensam majorem, tollendæ à Portario in vestimentis & calceamentis pauperum distribuendæ. *Tres portiones dentur pro Defunctis.* Nota pietatem Abbatum hujus Ordinis erga Defunctos.

CAPUT XXI.

De orationibus pro Papa & pro aliis.

ANNIS singulis die quinta Capituli Generalis ante recessum Abbatum fiat commemoratio Domini Papæ, & Domini Imperatoris, & Domini Regis Francorum in cujus regno fundata est Ecclesia Cisterciensis ; Regis Anglorum qui Eleemosynam suam singulis annis Capitulo assignavit ; Regis Aragonensis, & Ducis Burgundiæ, & pro eis aliqua specialis oratio injungatur.

CAPUT XXII.

De Abbatibus quibus aliquid committitur & de Literis quæstuosis.

ABBATES quibus aliquid à Capitulo Generali committitur, & quibus aliqua pœnitentia injungitur, sequenti anno quid per se vel per alios actum sit studeant Capitulo nunciare; alioquin sint in levi culpa tribus diebus, uno eorum in pane & aqua : nec aliquis de cætero Literas habeat quæstuosas, nisi super hoc veniam petat à Capitulo Generali.

CAPUT XXIII.

De piscibus non comedendis in Divione.

APUD Divionem tam eundo ad Capitulum Generale quàm redeundo & ibidem morando, aut in villis proximis, nullus Abbas, Monachus vel Conversus piscibus utatur, & in ipsa villa Divionensi, quando veniunt ad Capitulum vel redeunt, tam Abbates quàm aliæ personæ Ordinis honestè & maturè se habeant, nec per vicos sine certa necessitate incedant.



DISTINCTIO VI.

De Capitulo quotidiano & emendatione culparum.

CAPUT PRIMUM.

De Regula in Festo S. Benedicti inchoanda, & de inclinatione in pronuntiatione festivitatum Beatæ Mariæ & omnium Sanctorum.

Quia S. Bened. præcepit ut Regula sua sæpiùs in Congregatione legatur, Sancti Patres nostri ordinarunt ut unum illius caput singulis diebus in Capitulo legeretur, & ut ipsa semper in festivitate ejusdem Sancti à capite inciperetur. *Ita Capit. Gen. an.* 1196. & 1199.

IN festo sancti Benedicti annuatim Regula inchoetur, si verò transponatur, idem fiat. Quoties autem pronuntiatur festum Beatæ *Mariæ*, videlicet Assumptio, Nativitas, & Purificatio ejus, Annuntiatio item Dominica, & festum omnium SS. inclinetur à Conventu.

CAPUT II.

De Anniversariis Abbatum quomodo annuntientur.

ABBATUM nostrorum Anniversarium pronuntiamus sic. *Obiit Domnus. N. Abbas Cisterciensis.* Et responso ab omnibus *Amen*, subsequatur lector & dicat, *Commemoratio omnium Fratrum familiarium*, &c.

CAPUT III.

De petenda venia pro RESPONSORIO vel pro VENITE.

VENIAM petat in Capitulo qui *Lectionem*, *Responsorium* vel *Venite* alii imposuerit, si tamen extra Chorum non fuerit. Monachus verò evocatus ab Abbate vel Priore de *Collatione* vel de Choro coram Conventu, si perdiderit benedictionem Collationis vel orationem, non petat inde veniam nisi de *Pater noster & Credo*.

Per *Collationem* intellige lectionem quæ fit coram Conventu in Claustro ante Completorium, secundùm Reg. S. Bened. & lib. Usuum.

CAPUT IV.

De Confessione.

ABBATES & Monachi semel ad minus in Hebdomada confiteantur, si copiam habeant confitendi. Conversi verò qui in Abbatiis morantur idem faciant, qui autem in grangiis, quoties eis tenetur Capitulum, confiteantur. Nihilominùs universi tam Monachi quàm Conversi semel ad minus in anno Abbatibus suis confiteri non omittant, nisi fortè eorum copiam habere non possint.

Hanc obligationem confitédi propriis Abbatibus sustulit Summus Pontifex Clem. VIII.

CAPUT V.

De Excommunicatione in Ramis Palmarum.

CONSPIRATORES, Incendiarii, Fures, Proprietarii, singulis annis in ramis palmarum post habitum sermonem, illis qui non sunt de Ordine nostro priùs

emiſſis, ab eo qui præeſt Capitulo cum ſtola & candela accenſa & Baculo Paſtorali, ſi Abbas fuerit, authoritate Dei omnipotentis Patris & Filii & Spiritus Sancti & B. *Mariæ* & omnium Sanctorum excommunicentur.

CAPVT VI.

De ſatisfactione gravis & levis culpæ.

Cum aliquis *gravi culpæ ſubditur*, id eſt, cũ aliquis pœnæ pro *gravi culpa* infligendæ ſubditur.

De hac culparum & pœnarũ diſtinctione agit S.Ben. in ſua Reg. cap. 23. 24. 25. 26. 27. 44.

Per *Opus Dei* intellige Officium divinum, ſecundùm modum loquendi S. Bened. In Reg. cap. 44. & 47. & alibi ſæpiùs.

CVM aliquis gravi culpæ ſubditur, accipiat in ipſo Iudicio diſciplinam; deinde injunctâ ei pœnitentiâ gravioris culpæ, ponens ſtatim caputium in capite exeat de Capitulo, in locum quem præviderit ei Abbas competere: deputeturque ei ſenex diſcretus qui eum conſoletur & provocet ad humilitatem, ne ampliori triſtitia abſorbeatur; injungaturque à Capitulo pro eo oratio; & ſicut dicit Regula *oretur pro eo ab omnibus*. Debet autem Abbas attendere & corporis valetudinem & culpæ modum; nam ſecundùm hoc debet extenuari pœna vel gravari. Refectionem autem percipiat menſurâ & horâ quâ Abbas ei viderit competere, ſicut in Regula continetur; vaſa autem quibus utitur, aut frangantur aut pauperibus erogentur. Ad fores Oratorii proſtratus jaceat in terra, dum completur *Opus Dei*, non habens caputium in capite, quod tamen in eundo debet habere. Quoties autem Miſſa vel Officium Defunctorum ſine intervallo ſequitur horam canonicam, non proſternatur donec Conventus exeat de Eccleſia. Cum autem in Capitulo recipiendus fuerit ad juſſionem Abbatis, uſquo ad ingreſſum Capituli habeat caputium in capite: quo depoſito veniens ante Abbatem, proſternat ſe ante pedes ejus ſuper genua & ſuper articulos manuum; deinde ante Priorem, ac percurrens Chorum Prioris, ſi Prior fuerit, vel Abbas loco illius, & Chorum Abbatis, eodem modo ſe proſternat ante pedes ſingulorum, illis non inclinantibus nec adjuvantibus ipſum, ſed quietè ſedentibus. Quoties per ante Abbatem tranſierit inclinet, & ſic ante Analogium veniens ſtet, non petens veniam, donec juſſus ab Abbate eat ſeſſum. Nec ponatur ea die in ordine ſuo, nec aliquod officium exequatur uſque ad juſſionem Abbatis. Sed dum completur Opus Dei, tam in Eccleſia quam in labore

proſternat,

prosternat se in terra, in loco in quo stat; donec jussus ab Abbate quiescat ab hac satisfactione.

Fratres verò qui in *levi culpa* sunt; de labore remaneant propter satisfactionem. Qui etiam dum satisfaciunt, toto corpore extenso, prosternantur ante gradum Presbyterii ad *Kyrie eleison*, usque post *Deo gratias*, diebus quibus Conventus prosternitur *super formas*; cæteris verò diebus stantes incurventur. Extra Refectorium comedant in loco in quo visum fuerit Abbati: qui post refectionem servitorum; non eant ad *biberes* cum aliis, neque illi qui pro versu tertio perdito in pœnitentia sunt, sed post alios eant bibere in Refectorium. Prior vel Subprior; si in levi culpa sint, officia sua non exequantur; in cantando vel legendo vel in dandis benedictionibus.

Per *levem Culpam* intellige pœnam pro levi culpa subeundam, quæ hic describitur.

CAPVT VII.

De Homicidis & Percussoribus.

SI qui de Ordine nostro homicidia perpetraverint, & personas Ordinis nostri occiderint, teneantur sub arctissima custodia & districtissima pœnitentia usque ad mortem: si autem sæcularem occiderint & sine periculo in domo sua non potuerint retineri, ad remotam domum emittantur, pœnitentiæ conspiratorum subjacentes, nunquam de cætero reversuri. Si verò mutilaverint aut alio modo quocunque percusserint; secundùm quantitatem culpæ, mensura correptionis extendatur.

CAPVT VIII.

De Sortilegis.

QVI convictus fuerit aut publicè confessus de sortilegio quod fecerit aut fieri consenserit, si Abbas fuerit, Prior vel Subprior, deponatur: Si Monachus vel Conversus, sex diebus sit in levi culpa, duobus eorum in pane & aqua; & per annum, præterquàm in Pascha vel nisi in extremis egerit, ab Altari suspensus, omnium ultimus habeatur.

CAPUT IX.

De recipientibus dona & literas sine licentia Abbatis.

Reg. S. Bened. cap. 54.

DE donis, munusculis, literis & Eulogiis non dandis nec recipiendis à quocunque hominum, sine licentia Abbatis proprii, omninò teneatur sicut in Regula continetur. Consideret autem Abbas quantitatem donationis & modum, & secundùm hoc, modum correctionis extendat; transgressores ad minus in Capitulo verberentur.

CAPUT X.

De Excommunicatis pro violenta manuum injectione.

QVI in Monachum vel Conversum manus violentas injecerit, quia hoc ipso facto excommunicatus est, cautiùs evitetur ab omnibus, donec ab Abbate proprio vel Priore, si Abbas in absentia sua ipsi absolvendi licentiam dederit, absolvatur. Qui autem in Abbatem simili modo manus injecerint, sententiæ conspiratorum per omnia subjacebunt, à summo Pontifice dumtaxat absolvendi.

CAPUT XI.

De Carceribus.

Hæc de carceribus Institutio facta est in Capit. Gen. ann. 1230.

IN singulis Abbatiis Ordinis nostri in quibus fieri poterit, fortes ac firmi carceres constituantur, ubi ad Abbatis arbitrium recondantur & detineantur, secundùm quod sua exegerint crimina, criminosi. Criminosos autem dicimus esse indicibili vitio laborantes, fures, incendiarios, falsarios, homicidas: Abbas verò si falsarius fuerit, deponatur.

CAPUT XII.

De pœna fracti silentii.

PRIORES, Cellerarii & omnes Monachi vel Conversi ad mensam cujuscunque silentium omninò teneant, nisi fortè in via constituti non habentes qui sua signa intelligant, rara verba breviter dicant, & silenter, ut *panem, aquam, sal & hujusmodi*; & nisi Episcopis vel Regibus in mensis suis loquantur, ab ipsis requisiti. Nihilominùs propriorum Episcoporum & eorum qui sunt de Ordine loqui poterunt de licentia eorumdem. Aliàs tam hi, quàm omnes alii qui de rupto silentio scienter intra Abbatiam vel foris se recognoverint vel proclamati fuerint, uno die sint in pane & aqua, & in Capitulo verberentur. Qui autem passim & de consuetudine silentium frangunt, si sæpiùs correpti non emendaverint, omni sextâ feriâ sint in pane & aqua, & ultimi omnium usque ad congruam satisfactionem & emendationem & ad nutum proprii Abbatis; nec aliquis de cæterò per tertiam personam loquatur. Sciendum verò quòd licet nobis cùm opus fuerit loqui in Ecclesiis sæcularibus etiam dedicatis. *Ex Cap. Gen. ann. 1195.*

CAPUT XIII.

De sæcularibus ne serviant in coquinis.

SÆCULARES non serviant in coquinis Conventus, nec in Infirmitoriis. Quòd si in domo aliqua factum fuerit, Prior & Cellerarii, quandiu factum fuerit, sint in pane & aqua omni sextâ feriâ: Abbas verò si hoc scierit & non emendaverit, culpam hanc in Capitulo Generali fateatur. Nec ad mensam Abbatis infra Abbatiam aliquis sæcularium ministret, nisi fortè in hospitio comedentis. *Cap. Gen. an. 1195.* Hæc Cōstitutio in hunc modū posteà fuit temperata, ut in Abbatiis in quibus non essent, nisi octo Conversi, admitterētur ad hujusmodi ministerium sæculares. *Ita Cap. Gen. an. 1237.*

CAPUT XIV.

De auferendo habitu fugitivis.

LICET Abbati vel Custodi Ordinis, si Abbas defuerit, auferre habitum fugitivo vel inordinatè discur-

renti, etiamsi remittatur: fugitivi verò tanquam excommunicati evitentur, quousque satisfactioni debitæ se supponant.

CAPVT XV.

De fugitivis pro quibus Domnus Cisterciensis scribit.

Alia MSS. sic habent. *Abbates quibus scribit Domnus Cisterciensis pro fugitivis, eos recipiant secundum quod eorum merita seu demerita promerentur, salvâ tamen Ordinis disciplinâ.*

ABBATES quibus scribit Domnus Cisterciensis pro fugitivis, si in domibus propriis vel in aliis, justa tamen de causa, non duxerint consulendum, ei rescribant per ipsos fugitivos, si literas eorum accipere noluerint eo quod eis consulere non possunt, salvâ Ordinis disciplinâ.

CAPVT XVI.

De deprehensis in furto vel proprietate.

Ex Cap. Gen. ann 1227. Conversus qui subitò defunctus, inventus est habere quinque denarios & non fuit confessus, imò in sacra solennitate Nativitatis Dominicę accessit ad sacram communionem non facta confessione, remaneat prout est extra cœmeterium tumulatus.

MONACHVS vel Conversus in furto vel proprietate deprehensus, ultimus omnium per annum erit ad minus, & quantum ultra visum fuerit Abbati, & omni sextâ feriâ per annum sit in pane & aqua, & quadraginta diebus grossiori pane vescatur. Conversus ad terram comedat, & illis quadraginta diebus in Claustro sedeat & operetur in silentio quod ei fuerit imperatum; nec loquatur nisi cum Abbate vel cum eo qui Conventum tenet, & cum magistro Conversorum, & de confessione. Et omnibus horis canonicis intersit, & omnibus Capitulis quibus intererit per annum verberetur, & Monachus quadraginta diebus vapulet in Capitulo Monachorum. Et si furtum excesserit valorem viginti solidorum, tam Monachus quàm Conversus, ablato ei habitu, ad portam emittatur. Et si Conversus fuerit recipiendus, non recipiatur nisi in familiarem, ita quod per annum grossiori pane vescatur & lineis non utatur. Si autem in hoc statu iterùm commiserit tale furtum, vel incarceretur vel de Ordine emittatur penitùs. Monachus verò si recipiatur, culpæ gravioris in primis pœnitentiam agat, & nihilominùs pœnam Monacho superiùs inflictam sustinens ab of-

ficio Altaris per annum abstineat; licet furtum sive proprietas committatur in re parva vel vili, de pœna tamen temperanda, pro re minima, erit in discretione Abbatis.



DISTINCTIO VII.

De Authoritate Patrum Abbatum & de Electionibus.

CAPUT PRIMUM.

De pœna Patrum Abbatum si non per annum visitent.

PATRES Abbates qui filias suas per se vel per idoneam personam non visitaverint per annum, tribus diebus sint in levi culpa, uno eorum in pane & aqua.

CAPUT II.

De forma visitationis.

IN facienda visitatione cautelam maximam & diligentiam visitator adhibeat; ut fideliter ac prudenter ad corrigendos excessus & conservationem pacis intendat: & quantùm poterit, salvâ Ordinis disciplinâ, animos Fratrum ad ampliorem Reverentiam proprii Abbatis, & gratiam mutuæ in Christo dilectionis inducat. Provideat nihilominùs visitandus, ut secundùm formam Ordinis visitatori obediens & devotus existat, & ad emendationem domûs suæ quantùm poterit, tanquam Deo redditurus rationem, intendat. Igitur in visitatoris adventu, Abbas domûs illius, vel si ipsum abesse contigerit, Prior, aut qui tenet locum illius studiosè Fratres admoneat, roget & præcipiat, ut fideliter & fiducialiter publicè vel privatim, prout meliùs intellexerint faciendum, quæ corrigenda cognoverint, suggerant & proponant. Caveat autem ne hoc ullatenùs impediat faciendum, vel cum factum fuerit ægrè ferat, nec improperet, nec indignetur. Caveat ne in præsentia visitatoris vel post ejus dis-

cessum, cuiquam Fratrum aliquam vindictam inferat: quin etiam si minus discretè fuerit quis locutus, benigna facilitate ad consilium visitatoris, ei indulgeat. Ipsum verò visitatorem talem esse convenit, ut non credat omni spiritui, sed causam quam nescierit diligenter inquirat, cognitam rationabiliter corrigat, zelo Ordinis & paternæ charitatis affectu. Prohibeat ne incipiant retractare quæ noverint dignè correcta, ne sibi suggerant incomperta, ne vanis suspicionibus turbent animos Patrum seu Fratrum suorum. Quòd si quis fecerit, dignè eum visitator increpet & castiget. Provideat etiam ne quis Fratrum ea quæ cognoverit emendanda, quasi ad majus scandalum (quod nequissimum est) usque ad visitatoris adventum differat & reservet, sed opportunis temporibus quæ contigerint proclamentur & emendentur. Quòd si contra hanc formam egerit visitator, per superiorem Abbatem vel Coabbates alios ut meruerit castigetur, sive etiam puniatur per Capitulum Generale. Similiter qui visitatur, nisi eandem formam studeat observare, coram Deo se graviter culpabilem & paterna vel Generalis Capituli se noverit animadversione plectendum. Nullus Abbas hospes vel etiam visitator, nisi pater domûs illius quam visitat fuerit, confessiones recipiat. Ipse etiam Pater proprius, si gravis est causa, ad proprium Abbatem domûs illius eum qui confitetur remittere studeat, & debita fidelitate omnem adhibeat operam & diligentiam, ut proprio Abbati sicut debet revelet ipse conscientiam suam.

CAPVT III.

De nimietate debitorum.

Caput istud communiter legitur in secundo Capitulo in fine Visitationis, sicut & precedēs in primo, ante Visitationem.

EX nimietate debitorum non tam periculum quam excidium pluribus Monasteriis Ordinis nostri jam noscitur imminere. Propterea Abbas quandiu fuerit obligatus debito centum marcarum ad pondus trecense, abstineat ab emptione terrarum & ædificiis, nisi fortè de Eleemosyna Monasterio collata, vel etiam de aliqua possessione, quam priùs vendiderit unde ipsa emptio vel ædificatio perfici possit; ita sanè ut non gravetur domus, nisi fortè *in cibariis* ubi abundaverint, sive in aliis re-

In cibariis, &c. scilicet, ad præsentem vel fu-

bus minimis. Excipimus ab hac lege incendii infortunium & ruinam, nec-non & humiles grangias & tecta animalium, quæ certa necessitas exegerit. In quibus tamen omnibus caveatur omninò, ne sub occasione hujus permissionis nostræ, grandia nimis vel sumptuosa ædificia construantur. Prætereà si usque ad pretium decem marcarum trecensium, aliquem Abbatem prædictis debitis obligatum in anno uno in terris emendis vel ædificiis aliquibus, præter illa de quibus definitum est, expendere aliqua causa evidens exegerit: in primo Capitulo id fateatur, & à Capitulo ut ei visum fuerit dijudicetur. De cætero Abbas qui hujus sententiæ transgressor inventus fuerit, ab inchoatione ædificii seu ab emptione facta omni sextâ feriâ sit in pane & aqua usque ad sequens Capitulum Generale, in ipso Capitulo super hoc veniam petiturus. Prior verò & Cellerarii, sive Monachi, sive Conversi quorum consilio facta fuerit ista transgressio, omni sextâ feriâ per annum sint in pane & aqua, nisi grandis solennitas aut evidens infirmitas aliquam exegerit dispensationem. Qui tamen certas pensiones debent, vel de decimis inquietantur, eas emere non prohibentur. Provideat autem visitator ut in Charta suo sigillo signata & à foris dependente, diligenter scribat quæ corrigenda vel ordinanda statuerit, & committat Chartam Cantori legendam in sequenti Capitulo tempore visitationis.

turam annonæ emendis, eo maximè tempore quo propter abundantiam viliùs illa venundari contigerit.

De non acquirendo.

VT conscientiis personarum & bono nostri Ordinis in posterùm salubriùs consulatur, districtè præcipitur à Capitulo Generali, ut nullus omninò de Ordine nostro per se vel per interpositam personam, homines seu quascunque possessiones immobiles acquirat, nisi ad se jure feudi seu censûs seu alterius redditûs cujuscunque pertineant. Redditus autem annuos in solis denariis purè in Eleemosynam ad hoc datis, seu ex possessionibus nostris usque ad quantitatem futuræ emptionis priùs venditis, emere concedit Capitulum Generale. Acquisitiones quoque pensionum vel reddituum quæ debemus; usuariorum quoque nec-non & decimarum juxta juris canonici for-

Hæc de *non acquirendo* Constitutio sancita est in *Cap. Gen. ann.* 1191. & 1219. Et hoc idem prohibitum legitur cæteris Monachis in Concilio Gen. Lateran. ad instar Cisterciensium. In Cap. 55. sub Inn. III.

mam: commutationes etiam pensionum ad paritatem sine refusione aliqua ex parte Ordinis facienda fieri minimè prohibentur. Ea autem quæ nobis in puram vel simplicem donationem absque aliqua Constitutionis hujus fraude occulta vel manifesta, piè collata fuerint, recipere non vetamur. Abbas qui contra hoc facere præsumpserit, absque aliqua retractatione deponatur. Monachi vel Conversi quorum consilio contra hoc factum fuerit, emittantur non reversuri, nisi de licentia Capituli Generalis. Excipiuntur ab hac lege Abbatiæ de novo ædificatæ vel ædificandæ, quæ usque ad quintum decimum annum suæ fundationis, possessiones acquirere poterunt ampliores. Scribatur verò ista Definitio in singulis Ordinis nostri domibus post illam Definitionem de *nimietate debitorum* in singulis visitationibus recitanda; & injungitur visitatoribus, ut tam istam quàm illam sententiam de *nimietate debitorum* in domibus quas visitaverint, cum omni diligentia inviolabiliter faciant observari. Nec aliqui, de cætero scribi permittant in Chartis suis, se habere titulo Eleemosynæ sive donationis, quod acquisierint titulo emptionis, propter mala quæ inde Ordini possent evenire.

CAPUT IV.

De Abbatibus non deponendis extra Capitulum.

DEPOSITIONIS sententia nunquam feratur in Abbatem quantumcunque contumacem, nisi in aliquo Capitulo Ordinis nostri, & cum aliquanto Abbatum numero, prout in *Charta Charitatis* continetur, congregato. Et tunc sive præsens fuerit sive per contumaciam absens, in eum sententia ferri potest. Nec in depositione filii Abbatis nimis præcipitanter præsumat irrumpere Abbas Pater, neque sine magno & maturo consilio eum deponat. Si quis autem tale quid attentaverit, à Capitulo gravissimè puniatur, & pro meritis recipiat talionem.

Chart. Charit. cap. 5.

CAPUT

CAPVT V.

De publica pœnitentia Abbati non injungenda.

PATRES Abbates, vel qui pro eis visitant, Abbatibus pœnitentias publicas pro excessibus non imponant: sed si viderint expedire, eis præcipiant ut in Capitulo Generali veniam inde petant. Nec Abbas aliquis eodem anno visitet à quo fuerit visitatus.

CAPVT VI.

De amotione Officialium per visitatorem.

SI Pater Abbas visitaverit filiam suam, Officiales amovere poterit quos certis de causis noverit amovendos, causas tamen depositionis proprio Abbati manifestet. Alius autem visitator à Patre Abbate missus, nullum deponat ab officio suo contra Abbatis proprii voluntatem, nisi venerit à Patre Abbate missus cum plenitudine potestatis. Quam quidem plenitudinem potestatis, sic exponit Capitulum Generale, quod eandem potestatem habet qui mittitur, tam in capite quàm in membris, quam habet Pater qui mittit.

CAPVT VII.

De inquirendo statu domûs in visitatione.

PATER Abbas diligenter inquirat in visitationibus statum filiæ suæ, tam in temporalibus quàm in spiritualibus: & si intellexerit eam immoderatis debitis obligatam, poterit authoritate Capituli Generalis facere ut vendantur mobilia, vel si aliter fieri non potest, etiam immobilia, de consilio tamen Abbatis & seniorum domûs illius, donec debita tolerabiliter minuantur.

CAPVT VIII.

De visitatoribus qualiter se habeant.

PROVIDEANT Patres Abbates, ut viros discretos & zelum Ordinis habentes visitatores mittant. Visitato-

res autem qui forma gregis esse debent, præcipuè his intendant, quæ salutem respiciunt animarum & spectant Ordinis disciplinam: excutientes manus ab omni munere suspecto, nec quicquam recipiant, nisi in certis necessitatibus, & prout bona conscientia dictaverit indigere; & nunquam in Capitulis nostris vel tunc vel alio tempore quæstio de victualibus proponatur: quòd si quis facere præsumpserit, in ipsa die sit in pane & aqua, & in Capitulo verberetur.

CAPUT IX.

De Monachis visitatoribus associatis.

MONACHI qui mittuntur ad visitandum cum Abbatibus, cum literis continentibus plenariam potestatem; sciant quòd ad solos Abbates illa pertinet plenitudo. Veruntamen Abbates debent in casibus gravioribus omnia facere cum consilio eorumdem: dicti verò Monachi, visitatores se non faciant vocari. Nullus etiam Monachus cujuscunque Abbatis socius visitatoris in domo in qua visitaverit cum Abbate, in Abbatem ubi Abbas depositus fuerit in visitatione, illo anno in quo visitat, eligatur: cedenti tamen vel decedenti si canonicè fuerit electus, conceditur ut succedat. Nec dicti Monachi visitationes suas ultra triduum continuum protelent: si verò postquàm visitaverint, electio cujusquam Abbatis occurrerit facienda, electionem secundùm formam Ordinis nostri, si eis ab eo qui eos misit concessum fuerit, prosequantur; in cunctis tamen Abbatiis quas visitant, ante visitationem & post; eis charitativè & honorificè necessaria ministrentur.

CAPUT X.

De non recipiendo ad usuras.

NULLUS de cætero præsumat quicquam accipere ad usuras, nisi pro solvendis tantummodo debitis jam ante contractis, vel alia magna & urgente necessitate, quam tamen teneatur Abbas ostendere Capitulo Generali. Abbas, Prior, Cellerarius, nec-non & alii Officiales, quorum consilio contra præsumptum fuerit, à tempo-

re factæ transgressionis, gradum Altaris non ascendant usque ad sequens Capitulum Generale.

CAPVT XI.

De Conventibus ne sine licentia dispergantur.

NVLLVS Pater Abbas vel etiam visitator Conventum per alias domos dispergere audeat, paupertatis prætextu vel alia quacumque ex causa sine consensu Capituli Generalis. Abbas autem qui Conventum emittit, ipsum non mittat ad domos quæ Conventus suos dispersos habent: illi autem ad quos tales dispersi mittuntur, eos benignè suscipiant & sicut propriis honestè provideant, alioqui gradum Altaris non ascendant usque ad sequens Capitulum Generale, nihilominùs super ipso veniam in ipso Capitulo petituri. Abbates autem qui tales emittunt, honestè eos mittant, & teneantur tam illi qui mittunt, quàm alii per quos transierint eisdem in vectura & aliis necessariis honestè providere, sicut huc usque in ordine extitit observatum. Si verò aliqui se in hoc ultra vires senserint prægravari Abbati mittenti per nuntium & per literas, insufficientiam suam renuntient, & si cum pace Fratres ipsius ad se missos remittere non potuerint, usque ad sequens capitulum benignè sustineant super hoc acquiescentes. Similiter si fortè aliquis juxta conscientiæ suæ testimonium aliquem de suis ad aliquam domum transmittendum ad tempus procuraverit, Abbas ad quem mittitur cum Charitate eum suscipiat.

CAPVT XII.

De Visitatione filiarum matre vacante.

QVOTIES autem Domus aliqua proprio Abbate caruerit, Prior & consilium domus de visitandis filiabus ejus prouideant, non tamen sine aliquo Abbate. Instituendi tamen vel destituendi Abbates vel eorum cessiones recipiendi per se vel per alios nullam se habere noverint potestatem. Si mora tamen trahat ad se in his aliquod periculum, recurratur ad consilium sequentis Capituli Generalis. Abbas autem filius semel per annum vel

per se vel per literas matrem suam visitet nisi grandis locorum distantia impediat.

CAPUT XIII.
De qualitate eligendorum.

Ita Cap. Gen. ann. 1234.

IN Electionibus faciendis, forma quæ continetur in Charta Charitatis observetur. Et quoniam juxta Beati Benedicti Regulam, tales debent esse Abbates, qui sciant unde proferant Nova & Vetera, præcipitur tam Patribus Abbatibus quàm Electoribus, ut de cætero tales eligant Abbates, qui sint literaturæ competentis, vitæ laudabilis, & legitimæ ætatis, & de legitimo matrimonio, nisi cum eis fuerit dispensatum. Quod si aliter fecerit scienter Abbas instituens omni sexta feria sit in pane & aqua usque ad sequens Capitulum Generale, in quo super hoc veniam petat. Electores autem sint in pane & aqua omni sexta feria & ultimi omnium per annum. Et in singulis Electionibus & Capitulis ante Electionem, hæc definitio recitetur.

CAPUT XIV.
De Verbo illicito in Electionibus.

QUIA in Electionibus faciendis, verbum, (quod conspirationem redolere videtur & contra rationem esse, non ambigimus,) proponi solet in hunc modum, *non accipimus personam nisi de domo nostra & patria nostra*; statuitur ut de cætero à tali verbo caveatur, qui verò pertinaciter ei adhæserit, ab Electione amoveatur & alius in locum ejus substituatur.

CAPUT XV.
De his qui in Electione aliqua Potentes adeunt.

QUI pro Abbatis creatione vel pro aliqua Monasterii ordinatione Potentes adeunt & eorum auxilia implorant, à domibus propriis eliminentur, non nisi per Capitulum Generale reversuri. Ille verò pro quo petitio facta

fuerit si de ejus consensu emanaverit, in ipsa domo nullo modo promoveatur in Abbatem.

CAPUT XVI.

De Abbatiis quæ distant ultra quindecim dietas.

DE Abbatiis quæ ultra quindecim Dietas distare dignoscuntur, conceditur ut si Fratres domus illius in Patrem Abbatem vota sua transtulerint, possit illuc Abbatem dirigere Pater Abbas.

CAPUT XVII.

De Abbate qui recusat domum superiorem.

ABBAS qui renuerit ad domum superiorem quamlibet suæ generationis ascendere deponatur; nec recipiatur alicujus Abbatis cessio venientis ad Capitulum Generale, neque deponatur, nisi priusquàm iter arripuerit de cessione suà fecerit mentionem.

CAPUT XVIII.

De Abbatibus qui cedunt.

ABBATES qui Abbatias relinquunt, in ordinem suum redeant, & nihil sine licentia sibi retineant: & infra duos menses professionem faciant, si potest fieri competenter, alioquin pro fugitivis habeantur; & si in domo in qua Abbatisaverunt professionem fecerint, nisi quieti & humiles & obedientes fuerint, ad domum aliam emittantur.

Ex Cap. Gen. an. D. 1160. Statuit & ordinat Capitulum Generale ut Abbatibus cedentibus, honor & humanitas exhibeatur ab omnibus, ita saltem quod à septimanis missarum, à lectione mensæ, à Coquinæ servitio, à Benedictione Collationis & ab orationibus horarum canonicarum & à communi labore sint penitus absoluti, & cum voluerint signo facto Priori, liceat eis in infirmitorio quiescere, quandiu eis videbitur expedire, ubi in loco aliquantulum honestiori honorificè provideatur eis.

CAPUT XIX.

De Abbate deposito.

ABBAS depositus in domo illa nonnisi de licentia Patris Abbatis remaneat, sed ad aliam domum se

transferat & infra duos menses professionem faciat si fieri potest competenter, alioquin pro fugitivo habeatur.

CAPVT XX.

De non prosequenda causa depositionis.

SICVT prohibitum est ut nullus Abbas electionis suæ causam prosequatur, sic quoque prohibetur districtè ne aliquis causam audeat prosequi suæ depositionis. Vicini autem Abbates si quem injustè depositum audierint, illud denuntient Capitulo Generali.

CAPVT XXI.

De Electo in Episcopum.

ABBAS vel Monachus Ordinis nostri electus in Episcopum non consentiat unquam sine consensu Abbatis sui & Cisterciensis, nisi fortè à Domino Papa vel ejus Legato cogatur, si verò aliter fecerit, à societate Ordinis se noverit amotum, nec aliqua persona Ordinis nostri, (si de electione ejus in Episcopum orta fuerit controversia) causam super hoc intret vel judicem adeat.

CAPVT XXII.

De personis concedendis Episcopis Ordinis.

Ita Cap. Gen. ann. 1220.

EPISCOPIS assumptis de Ordine nostro solatia poterunt administrari de nostris usque ad duos Monachos & tres Conversos, si tot necessarii fuerint, ita tamen ut nemini illorum sæcularia negotia vel curæ, contra honestatem Ordinis imponantur. Propter ipsos Episcopos, si in infirmitoriis jacuerint, poterunt servitores eorum, ab horis canonicis remanere, similiter & socii eorum qui assidui sunt cum ipsis. Cæterorum autem nullus pro quolibet Episcopo infra terminos Abbatiæ canonicam horam dimittat, & nullus Monachorum ejus cum eo comedat, nisi juxta morem se habuerit infirmorum. Nec aliquis Abbas vel Monachus post Completorium in Conventu finitum cum ipso vel coram ipso loquatur, & si cum ipso equitaverit in horis canonicis flectere genua non omittat.

Vide quæ de hac genufl. dicuntur in lib. Usuum cap. 88.

CAPUT XXIII.

De Priore faciendo.

PRIORES nullatenùs eligantur, sed Abbates ipsos instituant cum consilio Fratrum timentium Deum, quos & quomodo voluerint ad hoc convocare. Et qui non est professus, nunquam promoveatur in Priorem, Subpriorem, Cellerarium & Confessarium.



DISTINCTIO VIII.

De Officialibus.

CAPUT PRIMUM.

De sigillis & sigillatione literarum.

NULLUS Abbas sigillo suo literas sigillari, nisi eas priùs viderit, vel pergameno vacuo sigillum suum apponi permittat; nec duo sigilla habere præsumat; *Ita Cap. Gen. an. 1200.* nec Conventus sigillum proprium habeat. Sed nec Prior nec alii Officiales sigilla habeant, in quibus nomen Abbatiæ contineatur, alioquin quandiu habuerint, omni sextâ feriâ sint in pane & aqua; nec in sigillis Ordinis discordia habeatur, sed sola effigie cum baculo, vel cum manu sola & baculo figurentur; nec unquam in Chartis suis ponant aliqui de ordine *hoc vel illud promittimus in verbo veritatis.*

CAPUT II.

De Prioribus quòd nihil habeant proprium.

PRIORES Ordinis nostri non habeant pecora, neque *Ita Cap. Gen. an. 1123.* scriptoria, neque claves, neque cappam, neque calcaria, neque omninò aliquid proprium, neque de redditibus & Eleemosynis collatis ad faciendas pitantias Conventibus, aliquatenùs se intromittant, sed ad nutum Abbatis omnia disponantur. Priores hujus sententiæ transgressores deponantur. Additur etiam ut nihil omninò dare præsumant, tam ipsi quàm Cellerarii & alii Officiales do-

mus, sine præcepto vel licentia Abbatis. Quicunque hoc transgressus fuerit, omni sextâ feriâ sit in pane & aqua usque ad nutum Abbatis sui.

CAPVT III.

De computationibus Cellerarii.

Alia MM. SS. sic ad sunt. *Hoc proviso ut nullus Abbatis consanguineus, Bursarius vel Custos depositorum aliquatenùs in Ordine habeatur, cum ex hoc multa pericula dicantur Ordini jam provenisse.*

MAIOR Cellerarius quando Abbas voluerit, de omnibus quæ accipit & expendit, Abbati vel quibus jusserit computet. Magistri autem grangiarum & Conversi alii qui præsunt operariis, in præsentia Cellerarii vel quibus cum eo jusserit Abbas computent. Ipse autem Abbas provideat aliquos qui cum Custode conscii sint depositorum & eorum quæ habentur in Abbatia.

CAPVT IV.

De expensis Abbatum & Officialium.

Dona verò, &c. hoc ita censuit Cap. Gen. *an.* 1195.

PRÆCIPITVR ut tam Abbates quàm alii Officiales expensas accipiant de communi, & in singulis computationibus quod expenderint, exprimere non omittant. *Dona verò* quæ fecerint Abbates, Priores, vel Cellerarii scribantur & in computationibus recitentur: nec pro expensis, redditus habeant aut proventus specialiter assignatos. Quandiu hoc habuerint, quia species proprietatis est, ab officio Altaris abstineant.

CAPVT V.

De Colloquiis.

Per hæc *colloquia* initio quidem spiritualia sed paulatim subindeinutilia, cepit enervari in Ordine antiqua jugis silentii disciplina.

STVDEANT Abbates & Monachi, ut quando ad *colloquium* venerint, talia inter se habeant *colloquia*, quæ gravitatem redoleant & salutem respiciant animarum. Prior vel Subprior vel Custos Ordinis, cum aliquis de Conversis vel Monachis coram ipsis contigerit loqui, si contra formam Ordinis præscriptam scienter fieri permiserint, prout meruerint graviter puniantur.

Porrò de his *colloquiis* sic statuit Cap. Gen. *an.* 1232. Propter collationes illicitas de medio tollendas statuitur, ut quando Monachi causa solatii ad Colloquium ab Ordinis Custode vocantur illud Colloquium sit de Sanctorum miraculis, de verbis ædificatoriis, & de his quæ pertinent ad salutem animarum, exclusis detractionibus, contentionibus & aliis vanitatibus.

CAPVT

CAPUT VI.

De grangiis non committendis nisi Cellerario.

NULLUS Abbas grangias suas vel aliquam earum alicui Monacho committat nisi Cellerario, qui ad voluntatem Abbatis curam gerat de omnibus, & ei prout necesse fuerit solatia ministrentur, à quibus in his quæ agenda fuerint adjuvetur.

CAPUT VII.

De Magistro Conversorum.

PROVIDEAT Abbas, ubi multitudo Conversorum videtur exigere, Monachum idoneum, discretum, bonis moribus præditum, & qui præsertim in victu & vestitu Laïcos Fratres exemplo suo ædificet, & eis Magistrum constituat & Confessorem. Qui tamen in gravioribus causis, aut de quibus Abbas præceperit, ad ipsum eos remittat, sicut & Confessores Monachorum. In diebus Sabbatorum & in vigiliis solennitatum in quibus communicare debent, ad locum congruum exeat confessiones eorum recepturus, & similiter mane post Primam. Ubi autem visum fuerit oportere, si tantus est numerus Conversorum, alii etiam socii addantur ad id opus. Aliis insuper horis, quicunque Conversus de confessione loqui voluerit, ad locum commodum secedat, nisi in communi labore fuerit Monachorum, vel cum cæteris exiens ad laborem.

In aliquibus MM. hoc caput est primum Dist. 14 ubi agitur de Conversis.

De tenendo eis Capitulo, Abbatem si præsens est vel etiam Priorem admoneat, & cum eis, vel etiam si jussus fuerit, solus accedat. Semel in Hebdomada, horis quibus constituerit Abbas, circumeat officinas & domus infirmorum, & tunc singulis vel simul pluribus loqui poterit de confessione vel de utili consolatione; sed aliter nec Conversis, nec hospitibus in Monasterio loquatur, nec exeat de Claustro sine licentia. Si autem infirmorum Conversorum Custos, viderit aliquem de infirmis opus habere Confessore, eum faciat venire. Nihil idem Magister imponat Conversis qui fuerint in Abbatia, nec licentiam

tribuat dandi aliquid vel accipiendi, vel eundi quocunque, quia non pertinet ad eum. Ad grangias cum fuerit ei constitutum, vadat certo tempore ut Capitulum teneat & confessiones recipiat, & talem se exhibeat ut de ejus adventu, animabus eorum ædificatio debeat provenire. Magister autem grangiæ in præsentiâ ipsius, si aliquid dandum fuerit, cum consilio ipsius faciat.

CAPUT VIII.
De Infirmario.

QUI Magister erit in Infirmitorio, loqui poterit cum solatiis suis, si ita viderit Abbas oportere, & hoc ipsum modo & loco quo ipse providerit; servitores tamen coram Infirmario, inter se minimè loquantur. Conversum autem pro solatio Infirmarii licet habere in Infirmitorio.

CAPUT IX.
De Vestiario.

MONACHUS vestiarius loqui potest cum sutoribus, pellificibus, textoribus tantùm Magistris, in officinis eorum & ubi vestes reponuntur & scinduntur: vel si Abbas viderit quod necessitas exigat, de aliquibus aliis potest ei licentiam dare, & ipsum excusare à communi labore, à benedictione Collationis, & ab orationibus divini Officii. Ad eundem pertinet providere de lectis hospitum & vestibus exhibendis. Cucullam præparet ad Novitium benedicendum, & afferat ad Ecclesiam. Cappam verò recipiat & reponat. Vestes Monachorum & cætera necessaria ubi visum fuerit distribuat: calceos eorum & indumenta eorum faciat cum opus fuerit reparari; veruntamen extra septa Monasterii non egrediatur sine licentia.

CAPUT X.
De Custodia Claustri.

Ita Cap. Gen. an. 1217.

AD Ostia Claustri in majoribus Congregationibus duo Monachi vel unus Monachus & Conversus vi-

cissim sedeant qui sæculares Claustrum ingredi volentes diligenter & honestè studeant amovere, ibidem canonicas horas solventes, qui etiam loqui cum illis poterunt quos ab ingressu Claustri amovebunt, & hoc in loco competenti non longè ab ostio Claustri, cum aliis autem minimè loquentur; si tamen alter illorum Conversus fuerit, loqui poterunt ad invicem. In minoribus autem Congregationibus unum maturis moribus ad hoc sufficiat deputari, qui cum necesse fuerit de prima refectione remanere poterit, & præterea eandem quam prædiximus habeat libertatem.

CAPVT XI.

De pecunia apud Officiales non custodienda.

QVICVNQVE Officialis Monachus vel Conversus officii sui causa aliquam pecuniam habuerit, non penes se custodiat nisi modicam & de Abbatis sui licentia speciali, sed Custodi omnium depositorum custodiendam committat, & de consilio & consensu proprii Abbatis sui expendat: de receptis verò & expensis, Abbati suo vel cui injunxerit ipse in computationibus rationem reddat; & specialiter statuitur ut Cellerarii & alii Officiales cum paucioribus expensis & equitaturis quam poterunt sua officia exequantur.

Cum paucioribus expensis. Ita Cap. Gen. an. 1227.

CAPVT XII.

De judicio sanguinis non exercendo.

NVLLI liceat judicium sanguinis exercere per Monachum vel Conversum: de furibus verò vel malefactoribus nostris conqueri possumus justitiæ sæculari ut ab eorum violentia nos defendat.



DISTINCTIO IX.

De dirigendis in viam.

CAPUT PRIMUM.

De non pernoctando foris in Adventu.

QVICVNQVE Abbas in Adventu vel in Quadragesima in domibus sæcularium sine rationabili causa pernoctaverit, uno die sit in pane & aqua.

CAPUT II.

De non mittendo ad Curiam Romanam.

NVLLVS eat ad Curiam Domini Papæ nisi cum proprio Episcopo, nec Conversum vel Monachum mittat sine consilio Capituli Generalis; quòd si hoc expectare non poterit, faciat hoc cum consilio Abbatis Cistercii vel quatuor primorum Abbatum, vel duorum si omnes adire non potuerit. Abbas verò qui hoc *transgressus fuerit*, si in propria persona ierit, omni sexta feria sit in pane & aqua donec ad propria revertatur, in sequenti capitulo super hoc veniam petiturus; si autem miserit, similem pœnam sustineat donec idem nuntius revertatur. Qui missuri sunt ad Curiam Domini Papæ vel Principum, tales provideant de quorum honestate securi sint; ita quod scandalum super eorum actibus ultra non perferatur ad Capitulum Generale; quòd si contigerit, in ipsos Abbates qui tales miserint à Capitulo districtiùs vindicetur. Petitiones verò sæcularium nullus deferre præsumat ad Curiam Summi Pontificis sine licentia Domini Cistercii & quatuor primorum Abbatum vel ad minus duorum.

Abbas verò qui hoc *transgressus fuerit*, &c. Ita Cap. Gen. *an.* 1201.

CAPUT III.

De non scribendo Domino Papæ nisi pro causis propriis.

Ita Cap. Gen. an. 1203.

NVLLVS scribat Domino Papæ nisi pro causis propriis & Coabbatum suorum, Archiepiscoporum,

Episcoporum, Regum, Principum & Fundatorum. Nec aliquis irregularem Monachum mittat ad Curiam causa dispensationis obtinendæ, nec in fraudem hujus Constitutionis ad proximas Abbatias, nisi de Capituli Generalis licentia speciali. Transgressor in sequenti Capitulo veniam petat, & sit in levi culpa sex diebus, duobus eorum in pane & aqua, & quadraginta diebus extra stallum Abbatis.

CAPVT IV.

De non eundo pro Principibus contra Principes.

NVLLA persona Ordinis nostri vadat vel mittat pro Principibus contra Principes terrarum; qui contra hoc præsumpserit, si Abbas fuerit deponatur, si Monachus vel Conversus, de domo sua ejiciatur non reversurus nisi per Capitulum Generale.

CAPVT V.

De Cavendis causis sæcularium.

CAVEANT Abbates quantum poterunt causas sæcularium personarum & negotia subire, & in domibus suis magis sint assidui, nec divortia seu alia ejusmodi, quæ sine scandalo nequeunt procurari, per personas Ordinis ullatenùs procurentur. Nec intersint personæ Ordinis placitis, nisi suis aut aliorum de Ordine. Si verò aliis quenquam adesse contigerit, non sit ibi Iudex aut Prolocutor nisi de mandato Domini Papæ: nec ad consilium partium eat nisi pro bono pacis, nec solus arbitrium suscipiat, nec etiam cum aliis nisi magna & circumspecta maturitate.

CAPVT VI.

Quod Abbas hospes Monachum de labore non retineat.

ABBAS ad aliam domum veniens Monachos à labore sine licentia non retineat, nec de Claustro plusquam duos evocet. Si autem in Infirmitorio fuerit, nulli præter servitores illius accedere ad ipsum præsumant, ni-

si quibus jussum fuerit, vel qui nominatim vocati fuerint ab eodem.

CAPVT VII.

De non portandis literis sæcularium.

NVLLVS Ordinis nostri literas sæcularium personarum, quarum tenorem non noverit, ad aliquam personam vel ad Capitulum Generale mittere, vel portare præsumat.

CAPVT VIII.

De rara licentia egrediendi.

NVLLA detur Monachis vel Conversis licentia egrediendi, nisi certa necessitate aut evidenti domus utilitate. Quando verò mittitur quis, qui mittit equitaturam ei provideat, alioquin pedes eat & nullus ei vecturam tradere teneatur, nisi fortè illi qui pro negotio domus vel Ordinis missus fuerit, si in via defecerit equus ejus. Wandangiæ autem quibus in via utimur de panno fiant.

CAPVT IX.

De emissis pro culpa ne equitent.

Nonnisi pedes eat. Ita Cap. Gen. an. 1219.

QVI pro culpa ad aliam domum emittitur, *nonnisi pedes eat* & hoc in literis sui viatici contineatur.

CAPVT X.

De non mittendo aliquem ad propriam instantiam.

NVLLVS Abbas Monachum vel Conversum ad instantiam suam quantamcunque, ad aliam domum mittere audeat, sed in domo propria moriatur aut vivat: Nec aliquis emittatur cujus culpa sine grandi periculo vel gravi scandalo in domo sua poterit emendari: Abbas verò qui contra hoc conscientia remordente aliquem emiserit, ab officio Altaris abstineat, quousque taliter emissus fuerit

revocatus, vel fuerit in proposito revocandi, quam citiùs poterit & Visitatori respondeat visitatus de causa emissionis.

CAPVT XI.

De eo quod Monachi non morantur in grangiis vel Capellis.

MONACHIS quibus Claustrum debet esse propria habitatio, ad grangias vel Cellaria quoties mittuntur ire licet, sed non diutiùs immorari, nisi fortè ad tempus necessitate urgente; in Capellis verò quas Ordo possidet ubicunque, de cætero non serviant aut morentur. Sed qui Capellas habent, per Donatos vel Capellanos sæculares, si necessitas id exposcit, in eis faciant deserviri.

CAPVT XII.

De jejunio feriæ sextæ.

QVI ab octavis *Pentecostes* usque ad Exaltationem *sanctæ Crucis* feria sexta in Villis fuerint, inter alios jejunantes ipsi similiter jejunent, & cibis Quadragesimalibus utantur sicut cæteri.

CAPVT XIII.

De Monacho in viam eunte vel redeunte.

MONACHO in viam eunti vel redeunti, cum Converso portario loqui licet quandiu fuerit extra terminos Abbatiæ. Qui verò de via revertentes ante Nonam prandere non possunt, nonnisi semel in Abbatiis comedant in Conventu. Et Cursores Ordinis nunquam comedant coram Abbatibus dum sedent in mensa in domibus, grangiis vel Cellariis nostris.

CAPVT XIV.

De Conventu non mittendo ad pernoctandum in grangiis.

INHIBETVR ne Conventus tempore messionis ad pernoctandum mittatur ad grangias, nisi pro inevitabili

necessitate. Monachi verò infirmi capitis, in Scapulari & Cappa seorsum in Abbatia vel grangiis, prout Abbati visum fuerit, poterunt retineri. Minuere autem sibi non poterunt Monachi vel Conversi nisi in Abbatiis Ordinis nostri, nisi pro magna & evidenti necessitate, & nisi fuerint in Curia Romana vel cum Cardinalibus & Episcopis assiduè commorantes. Conversi verò in Abbatia minuti, tertia die post prandium recedant.

CAPUT XV.

De non divertendo ad Moniales.

NULLUS Monachus vel Conversus causa loquendi vel pernoctandi divertat ad Moniales cujuscunque Ordinis vel reclusas, nisi de Abbatis sui licentia speciali. Qui contra venire præsumpserint, in visitatione veniam petant, & à Visitatore graviter puniantur. Quæcunque autem persona Ordinis nostri cum Monialibus alicubi in eadem mensa comederit, si Abbas fuerit, omni sexta feria sit in pane & aqua usque ad sequens Capitulum Generale, in ipso Capitulo super hoc veniam petiturus: si Monachus vel Conversus, omni sexta feria sit in pane & aqua & ultimus per annum.

DISTINCTIO X.

De Personis in Ordine recipiendis.

CAPUT PRIMUM.

De Novitiis infra decimum octavum annum non recipiendis.

Cap. Gen. an. 1196. NOVITII infra decimum octavum annum recepti, à Visitatoribus ejiciantur. Abbates verò qui tales scienter receperint, quanto tempore eos retinuerint, tanto tempore sint in pane & aqua omni sexta feria; excipiuntur ab hac lege qui remotas inhabitant Regiones utpote Frigiam, Hungariam, Poloniam, Bohemiam, Lyvoniam & Germaniæ partes: & alia loca in quibus

quibus adulti rarò veniunt ad Conversionem quibus indulgetur ut à quindecim annis & supra ad Conversionem venientes licitè recipiant. Si verò infra annos quindecim aliquem receperint, pœnæ subjaceant prænotatæ. In recipiendis verò Clericis, tanta in literatura & probatione spirituum, si ex Deo sunt, adhibeatur diligentia, ut cedere possint ad utilitatem Ordinis & honorem.

Ex Cap. Gen. ann. 1232.

Scribatur amicis Ordinis in Curia ex parte Capituli, ut ipsi suggerant Domino Papæ loco & tempore opportuno, ut quando scripserit Abbatibus Ordinis pro aliquo in Ordine admittendo, talem mittat personam quæ sit idonea recipi secundùm Ordinis Instituta.

CAPUT II.

De prioratu Novitiorum.

NOVITIORUM qui primus ingreditur Capitulum si perseveraverit, prior habeatur, etsi posterior ante ipsum benedicatur. Item Novitii de domibus exeuntes, si reverti voluerint, satisfaciant sicut alii fugitivi. Et si recipiendi sunt, de porta veniant ad hospitium, & ibi induti veniant ad Capitulum, & de Capitulo in probationem. Qui verò ea die *regrediuntur* quâ egrediuntur, nihil perdant de ordine suo. Novitii verò qui in probatione lepram incurrunt, de jure emittantur, sed *de misericordia* poterit eis provideri. Idem statuitur de caducis.

Regrediuntur. Ita Cap. Gen. an. 1218.

De misericordia Ita Cap. Gen. an. 1194.

CAPUT III.

De Cartusiensibus.

PACIS Charitatisque gratiâ statuimus, ut nullum de Ordine Cartusiensium sine eorum licentia recipiamus, nec ipsi de nostris sine nostro assensu ullum recipiant. Si verò aliqui de nostris ad Ordinem Prædicatorum vel Fratrum Minorum vel ad aliam quamcunque Religionem transierint, pro fugitivis habeantur.

Cap. Gen. an. 1195.

CAPUT IV.

De fugitivis quibus Regula negat reversionem.

FUGITIVI qui juxta Regulam usque tertiò recipiuntur, si plus quàm ter exierint, nullatenùs ad habitum Monachi vel Conversi admittantur in Ordine.

Abbas transgressor hujus sententiæ omni sexta feria sit in pane & aqua usque ad Capitulum Generale, & inde ibi veniam petat.

CAPUT V.

De fugitivis qui non redeunt infra septem dies.

Cap. Gen. an. 1199.

OMNES fugitivi qui modo extra Ordinem sunt vel à modo exierint, nisi infra septem dies post egressum redierint, omnium quos invenerint ultimi semper erunt; & Monachi qui bis exierint, nunquam promoveantur in Abbates. Fugitivi verò qui infra septem dies redierint, ultimi erunt ad minùs per annum: Abbas autem ipsis licentiam cantandi & legendi poterit dare cum viderit oportere, & Sacerdotem ponere in Ecclesia ultimum Sacerdotum. Sacerdotes verò de sæculo revertentes, si in sæculo celebraverint, non celebrent nisi de licentia Capituli Generalis. Quando autem aliquis ponitur ultimus pro aliqua culpa sua, non cantet aut legat nisi jussus ab Abbate.

CAPUT VI.

De pœna detractorum & libello infamiæ.

NULLUS Monachus vel Conversus, Monacho vel Converso præsumat malitiosè detrahere, vel super excessu jam emendato vel etiam emendando exprobrare. Quòd si Monachus super hoc convictus fuerit, tribus diebus vapulet in Capitulo, & per mensem omnium ultimus habeatur: si Conversus fuerit, sex diebus continuis ad terram comedat, pane & aqua & uno pulmento contentus, & tribus diebus in Capitulo Conversorum verberetur. Qui verò Superiori suo detraxerit vel exprobraverit, modo prænotato graviùs puniatur secundum quod in gradum peccaverit altiorem. Si quis autem alicui crimen imposuerit quod probare non potuerit, eandem pœnam sustineat quam meruisset accusatus, si de imposito crimine convinci potuisset. Qui verò libellum infamiæ scripserit, vel in medium projecerit, vel per quamcunque domum transiens & audiens à quocunque vitia cujuscunque vel scripta recipere, sive secum malitiosè portare præsumpse-

rit, tam qui scripserit, quàm qui schedulam receperit & eam malitiosè tradiderit vel retinuerit, si convictus fuerit, eliminetur è domo sua non reversurus nisi per Capitulum Generale. Prior vel Subprior, cùm ex illis potissimùm pendeat pax & perturbatio domûs, qui talia sustinuerit aut etiam dissimulaverit, tribus diebus sit in levi culpa; uno eorum in pane & aqua.

CAPVT VII.

De pœna Conspiratorum.

SI in aliqua domorum nostrarum *conspirationem* oriri contigerit, quod absit, Abbas ad quem spectat, illos quos noverit authores vel magis culpabiles à domo propria eliminet sine spe reversionis, & in aliis domibus ad quos missi fuerint in gravi culpa recipiantur, & ultimi omnium remaneant usque ad nutum Capituli Generalis. Processu verò temporis potest Abbas concedere, ut qui Sacerdotes fuerint in Ecclesia, sint ultimi Sacerdotum.

Hæc de Conspiratoribus Constitutio sancita est in Cap. Gen. an. 1191. Vbi additur quod illis exire nolentibus divina non celebrentur in Ecclesia.

Semel in Hebdomada accipiant disciplinam in Capitulo, & omni sexta feria sint in pane & aqua usque ad nutum Capituli Generalis; nisi grandis solennitas aut evidens infirmitas aliquam exegerit dispensationem. Non equitent in futurum, nec ordines suos exequantur, nec communicent in primo anno, nisi in Pascha, vel nisi egerint in extremis.

Expleto primo anno, communicent qui voluerint; Sacerdotes tamen non celebrent, nisi de licentia Capituli Generalis: illis verò qui exire fortè noluerint, in Abbatia manentibus, non celebrentur divina. Nullus jungatur illis in colloquio sive in consortio. Qui authoribus hujus mali se immiscuerint & citiùs resipiscentes emendationi se obtulerint, in ipsa domo sint in gravi culpa, & in Hebdomada semel in Capitulo accipiant disciplinam, & omni sexta feria sint in pane & aqua & ultimi omnium usque ad nutum Patris Abbatis. Est autem apud nos specialiter *conspiratio, contra Ordinis disciplinam & majorum Instituta confœderatio.*

Nota. Quid sit *conspiratio* in Ordine Cisterciensi.

CAPVT VIII.

De his qui manum mittunt in Abbatem.

QVI in Abbatem suum manus violentas injecerint, sententiæ conspiratorum subjacebunt per omnia, & qui secreta Ordinis sæcularibus, vel personis alterius Ordinis revelaverint, ultimi sint omnium, & omni sexta feria sint in pane & aqua usque ad adventum Visitatoris.

CAPVT IX.

De Novitiis non recipiendis ubi exorta fuerit Conspiratio.

IN domo ubi orta fuerit *Conspiratio* per Conversos, Conversi Novitii non recipiantur deinceps usque ad Capitulum Generale. Hoc ipsum de Monachis constituitur, nisi fortè talis sit persona, ex cujus repulsa scandalum oriatur & damnum.

CAPVT X.

De deprehensis in contagio carnis.

DEPREHENSI in manifesto carnis contagio, ad aliam domum emittantur, de cætero non reversuri, nisi de licentia Capituli Generalis. De fugitivis verò qui uxores duxerint vel ex concubitu genuerint, idem fiat.

CAPVT XI.

De his qui literas communes accipiunt.

MONACHI vel Conversi qui literas communes acceperint, sine habitu non dimittantur. In literis autem tam patentibus quàm clausis quæ dantur Monachis & Conversis & omnibus aliis, terminus inscribatur quo dantur & ultra quem non valebunt.

CAPVT XII.

De his qui de Ordine exeunt pro peregrinatione vel aliquo genere medicinæ.

QVICVNQVE de Ordine exierint pro peregrinatione vel quocunque genere medicinæ, pro fugitivis habeantur: illi verò qui ſe faciunt *incidi* vel *abſcindi* pro calculo vel ruptura, in domibus propriis ſint omnium ultimi, & omni ſexta feria in pane & aqua uſque ad nutum Viſitatoris.

Inciſi ſecundum inſtitutionem Cap. Generalis an. 1192. de domo propria emittuntur. Et nonnulli per idẽ Gen. Capitulũ revertuntur. Ita *Cap. Gen. ann* 1200.

CAPVT XIII.

De egreſſis vel ejectis & alibi per licentiam receptis.

MONACHVS vel Converſus de aliqua domo egreſſus vel ejectus & per licentiam alibi receptus, non intret in domum de qua exivit, nec in Conventum Fratrum ad grangias, niſi per licentiam Abbatis ipſius domus; Similiter qui authoritate Capituli Generalis de aliqua domo ejicitur, nec ipſi Abbati liceat eum admittere, nec illi intrare niſi de licentia Capituli Generalis.

CAPVT XIV.

De his qui de Capitulo contumaciter exeunt.

SI Monachus vel Converſus de Capitulo contumaciter exierit, & ſoluto Capitulo antequam extra portam egrediatur, humiliter pœnituerit, in aliqua domo extra terminos cum habitu regulari teneatur, ſequenti Capitulo in ultimo gradu recipiendus.

CAPVT XV.

De his qui minantur incendium vel homicidium.

QVI minantur incendium vel homicidium incarcerentur, vel ad domos remotas emittantur, non niſi per Capitulum Generale reverſuri.

CAPVT XVI.

De emissis sine vestibus.

SI quis Abbas sine vestibus vel vestium pretio, miserit ad aliquem Abbatem, Monachum vel Conversum, si ex charitate recipere voluerit, licebit, sed ex necessitate minimè tenebitur.

CAPVT XVII.

De mortuis ante petitionem in Capitulo factam.

SI quis ad habitum nostrum ab Abbate receptus, ante suam petitionem in Capitulo regulariter factam obierit, non pro Novitio sed pro familiari habeatur; & qui sub habitu Laïcali in sacris Ordinibus constituti in Conversos recipiuntur, cum hoc Abbati constiterit, ejiciantur, vel cum coronæ caractere inter familiares habeantur.

CAPVT XVIII.

De vita & habitu familiarium.

AD communionem bonorum spiritualium nulli familiares recipiantur, nisi qui ad abrenuntiationem proprietatis, & ad votum continentiæ & obedientiam se voluerint in manibus Abbatis obligare, Tonsuram & habitum familiarium quandiu vixerint portaturi. Si qui verò Tonsuram & habitum familiarium in aliqua domorum nostrarum susceperint, in aliis domibus non recipiantur, nisi de licentia proprij Abbatis.

CAPVT XIX.

De leprosis ne habitent prope Abbatiam.

DE leprosis pro quibus petitur ut habitent prope domos Ordinis nostri, omninò ne fiat interdicitur.

CAPVT XX.

De Legatis & Prælatis recipiendis.

PRÆLATI cum ad domos Ordinis nostri venerint secundùm facultatem domorum honestè recipiantur & exhibeantur eis necessaria, sed pro victualibus, si qua fortè eorum familiæ detulerint, nullatenùs eis pecunia refundatur. Legati verò Domini Papæ præcipuè cum omni honore, humanitate & reverentia recipiantur, & qui non fecerint, in Capitulo Generali se sciant puniendos.

CAPVT XXI.

De mulieribus ne cum nostris habitent.

REMOTA omni occasione, fœminarum cohabitatio nobis & Conversis nostris omninò interdicta est, nec in domibus nostris nec in villis quibus Conversi morantur cohabitent fœminæ, nec infra clausuras: nec ingrediantur curtes grangiarum aut Cellariorum nostrorum quæ sunt extra villas; nec aliquis loquatur solus cum muliere, sed nec unquam habeantur in Ordine mulieres quæ mulgeant, exceptis provinciis ubi non possunt viri, qui mulgeant, inveniri; ita tamen quod nunquam infra septa grangiarum mulgeant.

CAPVT XXII.

De mulieribus ne Abbatias ingrediantur.

MVLIERIBVS omninò ingressus infra septa Abbatiarum nostrarum interdicitur, excepto tempore Dedicationis. Sicubi contra præsumptum fuerit, quandiu ibi fuerint, discooperiantur Altaria & horæ canonicæ in Ecclesia minimè celebrentur. Abbas verò cujus consensu intraverint, omni sexta feria sit in pane & aqua usque ad sequens Capitulum Generale, ad Capituli arbitrium puniendus. Prior autem & Cellerarius quorum consensu id factum fuerit, ab Officiis deponantur & tribus diebus sint in levi culpa, uno eorum in pane & aqua. Alii verò Monachi & Conversi qui hoc fecerint, à domibus propriis

emittantur, non nisi de licentia Capituli Generalis reversuri.

CAPVT XXIII.

De mulierculis à porta domûs removendis.

PROVIDEANT Cellerarii, Portarii, & Hospitales grangiarum, ut mulierculæ notam ferentes prostitutionis, à portis domorum & grangiarum Ordinis quantò longiùs fieri poterit repellantur, alioquin ipsi graviter puniantur.

CAPVT XXIV.

De his quos recipimus ad sepulturam.

AD Confessionem, ad sacram Communionem, & ad sepulturam mercenarios, hospites & peregrinos in Monasterio infirmitate detentos recipimus: illos etiam qui in Cœmeteriis nostris sepulturam elegerint, de suorum licentia Sacerdotum, dummodo non sint excommunicati vel interdicti aut publicè usurarii. Nullus autem de Ordine nostro procuret ut Fundatores Abbatiarum alibi quàm in Abbatiis quarum Fundatores existunt, sibi eligant sepulturam.

CAPVT XXV.

De his qui sepeliri possunt in Ecclesiis nostris.

IN Majoribus Ecclesiis nostris non sepeliantur, nisi Reges & Reginæ & Episcopi: in Capitulis verò Abbates & prædicti si maluerint, & lapides qui positi sunt super tumulos Defunctorum in Claustris, terræ coæquentur ne sint offendicula pedibus transeuntium.

CAPVT XXVI.

De Abbate extra propriam domum defuncto.

SI quis Abbas extra propriam domum obierit, liceat Monachis suis si voluerint ad domum propriam de authoritate Capituli Generalis eum reportare. Et si quis Defunctus

Defunctus pro intolerabili fœtore sustineri non potest in Ecclesia usque dum Missam habeat: sepeliatur ipso die, & in crastino pro ipso Missa celebretur in Conventu ab Hebdomadario, nisi proprietas alicujus Sancti hoc impedierit; & à singulis Sacerdotibus pro eo privatim celebretur, ac si eadem die traditus fuisset sepulturæ. Si verò corpus alicujus Abbatis defuncti, ad quamcunque Abbatiam Ordinis nostri portari contigerit, ad portam domûs processionaliter occurratur ei à Conventu, & in Chorum Monachorum honorificè deportetur, & circa ipsum nocte, more solito vigiletur, & pro ipso in crastino solenniter celebretur.


seq. Addita sunt ex Decreto an. 1252.

CAPVT XXVII.

De Fratribus Calatravæ.

CONCEDITVR Fratribus de Calatrava, ut cum ad domos Ordinis nostri venerint, sint sicut Monachi in Choro, in Capitulo, Refectorio & Infirmitorio. In Choro verò Magister eorum sit immediatè post Sacerdotes. Alii Fratres Laïci post omnes Monachos supra Novitios locabuntur: Clerici verò eorum secundùm tempus suum in Ordine inter Monachos locum habebunt. In Capitulo autem Magister eorum post Priorem sedebit: cæteri verò tam Laïci quàm Clerici in Capitulo & in Refectorio ordines suos habebunt, & sicut Monachi eundo & redeundo benedictionem accipient. Cum Filiatio verò dictæ domus de Calatrava, ad domum Morimundi, non solùm diuturna temporis præscriptione, verùm etiam ad petitionem Capituli Generalis jam Apostolicâ gratiâ confirmata, pleno jure pertinere noscatur: universis Abbatibus & personis Ordinis districtiùs inhibetur, ne per alicujus literæ impetrationem, seu consilium vel auxilium apponendo, aliquid attentare præsumant per quod dictæ domus Morimundi turbetur possessio; Quòd si qui ausu temerario præsumpserint, sciant se sententiæ Conspiratorum per omnia subjacere.

Ordo militũ de Calatrava sub Sanctio Rege Castellç, & Sanctio Rege Navarræ à S. Raymundo Abbate Fiterii institutus est an. 1158. & Ordini Cisterciensi incorporatus. Subinde à Romanis Pontificibus Alex. III. Greg. VIII. & Innoc. III. confirmatus, à Guidone Cistercii & Capitulo Generali Cistercii leges accepit an. D. 1189. sed à prima sui origine Abbatiæ de Morimũdo addictus, ratione Fiterii filiæ ipsius Morimundi à qua exordium sumpserat. Adeò ut non immeritò illius Paternitas seu iurisdictio Abbati de Morimundo ab Innocentio III. an. 1188. à Greg IX. an. 1236. & ab Alexandro IV. confirmata sit an Dom. 1256.



DISTINCTIO XI.

De Societate sæcularium fugienda.

CAPVT PRIMVM.

De pluribus mansionibus in una villa.

SI aliqua Abbatia in villa una plures mansiones habuerit, in nulla earum nisi in una tantùm liceat Conversis habitare. Et in illis Grues, Vrsi, Pavones & cætera animalia levitatem moventia, minimè habeantur; nec etiam in domibus nostris.

CAPVT II.

De Vsuariis.

Vsuaria sunt pascua promiscua seu communia.

SI quis Abbatum habuerit *usuaria* quæ nonnisi sibi sufficere valeant, vel conventionem aliquam super aliquo contractu facto vel etiam faciendo cum aliquo inierit: nullus alius super hoc manum apponere, vel aliquam conventionem inire præsumat, sine consensu illius Abbatis qui priùs super his interposuit partes suas.

CAPVT III.

De societate cum sæcularibus non habenda, & de Gageriis.

Gageriæ sunt res pigneratitiæ pro annuo censu non persoluto apprehensæ. Vide cap. 1. art. 10. Consuetud. seu Iuris Civilis Parisiensis.

NVLLAM societatem cum sæcularibus in pecoribus eorum nutriendis, seu terris eorum excolendis habere permittimur, sine consensu Capituli Generalis. *Gageriæ* autem ulteriùs non accipiantur, exceptis feodis nostris, secundùm quod à jure est concessum, & exceptis decimis quæ de jure fortè ad nos pertinere noscuntur. Abbas, Prior & Cellerarius qui transgressi hoc fuerint, omni sexta feria sint in pane & aqua, quandiu in hac transgressione duxerint persistendum.

CAPUT IV.

De Monachis vel Conversis non commodandis.

NULLUS Monachum vel Conversum tradat alicui personæ quæ non sit de Ordine nostro, ad habitandum cum ea, nisi Domino Papæ & Legato de ipsius latere venienti, & proprio Episcopo, sine licentia Capituli Generalis.

CAPUT V.

De non scribendo Patri Abbati sine licentia.

NULLI liceat Patri Abbati vel alteri personæ literas contra Abbatem suum sine conscientia & voluntate proprii Abbatis dirigere; si quid autem in Abbate vel Abbatia fuerit corrigendum, & illius Abbas ad admonitionem Seniorum noluerit corrigere, Visitatori reservetur. Quòd si quis transgressus fuerit, à domo propria emittatur, non reversurus nisi de licentia proprii Abbatis.

CAPUT VI.

De non prædicando pro Eleemosynis.

PROHIBETUR ne prædicationes à personis Ordinis nostri fiant, quibus Eleemosynæ colligantur ad construendas Ecclesias vel ob causam similem: Monachi vel Conversi qui hoc præsumpserint, ad alias domos emittantur, nonnisi de licentia Patris Abbatis reversuri; Eleemosynas tamen accipere non prohibemur: colligere autem in Ecclesiis, in villis vel in plateis omninò non licet. Transgressor si Abbas fuerit, omni sexta feria sit in pane & aquâ, usque ad sequens Capitulum Generale super hoc veniam petiturus.

CAPUT VII.

De Verbo Dei familiæ proponendo.

INDULGETUR Abbatibus qui voluerint ut faciant proponi Verbum Dei famulis suis diebus Dominicis loco competenti. *Ita Cap. Gen. an. 1235.*

CAPUT VIII.

De fidejussoribus & custodia depositorum.

NULLUS de Ordine nostro pro aliqua persona vel Ecclesia, nisi de Ordine nostro, fidejussorem se constituat; deposita verò in domibus nostris non suscipiantur, nisi de conscientia ad minus trium Fratrum, & hoc ad jussum Abbatis & sub bono testimonio reddantur. Abbas autem studiosè provideat quomodo commissa fideliter custodiantur, ut nullus alii mutuare vel in proprios usus expendere audeat depositum alterius sine conscientia Depositoris.

CAPUT IX.

De mutuis non faciendis.

Cap. Gen. ann. 1214. NULLUS ab alio mutuo accipiat ut alii mutuet, nec commodet pecuniam alicui qui non sit de Ordine nostro ultra summam viginti librarum; Abbas qui contra hoc facere præsumpserit, veniam petat in Capitulo Generali: quicunque verò sine conscientia proprii Abbatis tale quid præsumpserit, omni sexta feria per annum sit in pane & aqua.

CAPUT X.

De Eleemosynis ab excommunicatis vel fœneratoribus non accipiendis.

Ita Cap. Gen. an. 1202. AB his quos scimus excommunicatos esse, & à publicis fœneratoribus nullam nobis licet recipere donationem vel Eleemosynam, exceptis victualibus in gravi necessitate. Communicare etiam illis quos scimus excommunicatos esse in mensa, in oratione, in osculo, in salutatione, non debemus.

CAPUT XI.

De subsidio guerrantibus non faciendo.

NULLUS alicui pecuniam tribuat aut subsidium, nec quadrigas vel vecturas accommodet ad villarum

vel castrorum munitiones faciendas, vel ad machinas seu arma in expeditionem deferenda : quòd si quis facere compulsus fuerit, in sequenti Capitulo veniam petat.



DISTINCTIO XII.

De venditione rerum mobilium & locatione immobilium.

CAPVT PRIMVM.

De Monachis & Conversis cum fuerint in nundinis.

MONACHVS aut Conversus cum ad nundinas venerit, quandiu ibi fuerit de nulla domo Ordinis nostri victum sibi vel equis suis requirat, neque pisces comedat nisi halecia; transgressor tribus, diebus sit in pane & aqua.

CAPVT II.

De lana non prævendenda.

LANAM unius anni licet prævendere si necesse fuerit, ultra annum non fiet; qui aliter fecerit, veniam inde petat in Capitulo Generali, nec lanam licet emere ut iterùm vendatur.

CAPVT III.

De non vendendo cariùs pro termino.

MERCATORES Ordinis nostri non vendant cariùs res nostras pro termino prolongando; quòd si fecerint, non communicent donec confiteantur proprio Abbati vel Priori si Abbatem contigerit absentari. Idem patiantur qui viliùs emunt & cariùs vendunt præter animalia. Similiter qui celant pravitatem in rebus vendendis ut emptores decipiant. Cap. Gen. an. 1194.

CAPVT IV.

De non concedendis possessionibus ad vitam.

POSSESSIONES Abbatiarum Iurisperitis aut aliis sæcularibus de cætero non concedantur ad vitam, nisi de consensu Capituli Generalis.

CAPVT V.

De terris traditis Colonis.

INDVLGETVR Abbatibus, si viderint expedire, ut tradant sæcularibus terras, vineas & alias possessiones ad excolendum, cum consensu seniorum domus suæ; facta tamen priùs de decimis compositione, assensu & voluntate Episcopi Diœcesani.

CAPVT VI.

De vino non vendendo ad brocam.

SI in aliqua Abbatia vel grangia Ordinis nostri vinum venditur ad brocam, tam Abbas quàm cæteri quorum præcepto & consilio factum fuerit, sint in pane & aqua, & in proximo Capitulo Generali Abbas super hoc veniam petat. Qui autem in civitatibus sive castris vinum habent venale ad brocam, procurent ut per tales personas vendatur, per quas scandalum inde Ordini non oriatur; & ut quandiu Monachus aut Conversus præsens fuerit Lusores nullatenùs ibi admittantur.



DISTINCTIO XIII.

De Victu & Vestitu Monachorum.

CAPVT PRIMVM.

De non comedendis carnibus extra Infirmitorium.

NVLLA persona Ordinis nostri extra Infirmitoria nostra carnes comedat, etiam jussu alicujus Episcopi

vel Prælati; quòd si fecerit, pro singulis vicibus quibus carnes comederit, tribus diebus sit in pane & aqua, & hanc pœnam præcipienti dicat. In ipsis autem Infirmitoriis nostris, nullus Abbas, Monachus, vel Conversus pro minutione, solatio, consortiove alicujus, aut aliqua occasione, nisi, quemadmodum in Regula continetur, omninò debilis fuerit aut ægrotus, carnes audeat manducare. Qui autem contra hanc Constitutionem comederit aut ministrari fecerit, pro singulis transgressionibus uno die sit in pane & aqua.

CAPVT II.

De Carnibus non comedendis Sabbato & Septuagesima.

DIEBUS Sabbatorum à Septuagesima usque ad Pascha in Infirmitoriis nostris carnes non comedantur, nec pulmenta sagimine condiantur. Qui verò in domibus alterius Ordinis comedunt vel alibi, extra Infirmitoria Ordinis nostri, si credunt in pulmentis sagimen adesse, ab eis abstineant: si autem contra conscientiam comederint, tribus sextis feriis sint in pane & aqua.

CAPVT III.

De Carnibus non ministrandis hospitibus.

EPISCOPIS & aliis personis quæ non sunt de Ordine nostro, infra septa Abbatiæ & in domibus contiguis carnes nullatenùs ministrentur, nec comedere permittantur, nisi graviter infirmentur. Hoc ipsum servetur de pueris Ordinis, nisi venerint de partibus remotis.

Abbates qui hospitibus in sexta feria caseum & ova apposuerint, tribus diebus sint in levi culpa, uno eorum in pane & aqua. *Cap. Gen. an.* 1191.

CAPVT IV.

De non comedendo nisi bis in Conventu.

MONACHI vel Conversi non nisi bis in die, præter *mixtum Regulæ*, ullo tempore comedant: & adolescentiores Fratres quibus diebus jejuniorum mixtum sumere conceditur, semper ante Tertiam illud sumant.

Mixtum Regulæ, id est, jentaculum à Regula certis personis concessum.

CAPUT V.
De diebus quibus utimur tantùm cibo Quadragesimali.

IN toto *Adventu*, exceptâ primâ Dominicâ, secundâ & tertiâ feriâ ante *caput jejunii*, vigiliâ *Pentecostes*, jejuniis *Quatuor Temporum* in Septembri, in vigiliis sancti *Ioannis Baptistæ*, *Petri* & *Pauli*, *Laurentii*, *Assumptionis* Beatæ *Mariæ*, *Matthæi* Apostoli, *Simonis* & *Iudæ*, *Omnium Sanctorum* quadragesimali tantùm utimur cibo. His ergo diebus in hospitiis nostris butyrum, caseus aut ova non apponantur.

CAPUT VI.
De Abstinentia sextæ feriæ in Quadragesima.

Cap. Gen. ann. 1193.

ABSTINENTIA sextæ feriæ in Quadragesima sic teneatur, ut tribus sextis feriis in Conventu utamur pane & aqua; aliis verò tribus, uno tantùm pulmento simus contenti & potu consueto: & qui ante conversionem vovêre jejunia, propter hoc in Congregatione dissimili victu Fratres non perturbent, sed obediant proprio Abbati per omnia.

CAPUT VII.
De Infirmariis ne aliquid accipiant.

NIHIL accipiant Infirmarii de victualibus, nisi per manus Cellerarii vel sociorum ejus; qui aliter fecerit, uno die sit in pane & aqua: Abbas verò qui in Infirmitorio jacuerit, in Conventum pitantiam non mittat, præter Abbatem loci illius & Patrem Abbatem.

CAPUT VIII.
De pitantiis non petendis.

Ita Cap. Gen. an. 1217.

DE pitantiis antiquus ordo servetur, ut nullo die quasi de consuetudine vel de jure expetantur, nec fiant nisi per arbitrium Abbatis, neque per Abbatem continuentur

nuentur tribus diebus. Monachus vel Conversus qui contra hanc formam, pitantiam requisierit, puniatur ad arbitrium Præsidentis in Capitulo. Monachus vel Conversus qui suggerit alicui sæculari ut Eleemosynas quas dare voluerit Abbatiæ det Conventui specialiter ad pitantiam: per mensem careat pitantiâ, nisi infirmus fuerit aut minutus.

Istæ pitantiæ, ut jam dixi, erant fercula pulmentis regularibus meliora.

CAPVT IX.

De non ministranda Sicera aut Cervisia in grangiis.

IN Provinciis in quibus non bibitur ex consuetudine vinum, Sicera vel Cervisia nullatenùs de cætero ministrentur, nisi Abbate præsente vel Episcopo Ordinis: exceptis Priore & duobus Cellerariis, majore videlicet & medio; quibus tantum vini, Siceræ vel Cervisiæ poterit ministrari, quod sibi & uni socio secum sufficere possit, si tamen Abbas hoc ipsum viderit expedire. Et si quæ fortè vineæ intra septa fuerint grangiarum, de vino ipsarum omninò nihil facere Conversi audeant sine dispositione Abbatis.

CAPVT X.

De Vestibus ne sint curiosæ.

VESTES quibus utuntur Monachi & Conversi non sint tinctæ nec etiam curiosæ, sed tales qualibus uti possunt cum Ordinis honestate: & in lanis nostris non fiant artificiosæ colorum varietates, & pulvinaria nostra magnitudinem moderatam non excedant.

CAPVT XI.

De Chirothecis ne habeantur.

OMNIBVS Ordinis nostri omne genus chirothecarum tam de corio quàm de panno interdicitur, exceptis Cæmentariis qui tantùm eas possunt habere de corio, & Quadrigariis, Piscatoribus & Vinitoribus, quibus mitanas de panno tantùm esse concedimus: pedules verò

de corio omnibus omninò interdicuntur. Sotulares autem non sint curiosi ; fibulæ nostræ corneæ, ligneæ, vel ferreæ sint absque notabili curiositate : ferreæ quidem corio sint inclusæ ; nec sellis equorum curiosis, aut frænis ornatis laminis aut lunulis stanneatis, neque *staphis* ferreis aliquatenùs uti liceat.

Staphis lege *strevis* ; sic enim legitur & scribitur in Cap Gen. an. 1233. ex quo sumpta est hæc ordinatio.



DISTINCTIO XIV.

De Conversis.

CAPVT PRIMVM.

De Conversis qualiter suscipiantur.

Ex Cap. Gen. an. D. 1220.



QVANDO aliqui in Conversos recipi debuerint, in Capitulo Monachorum primò recipiantur, deinde in Capitulo Conversorum, quod hac de causa qualibet die congregari potest. Deputetur autem eis Magister idoneus ad mores instruendos & docendum Ordinem. Novitius Conversus si pannos sibi emerit, tales emat quales debemus habere : mantellum autem non emat.

In receptione Converiorum ista sit consideratio, ut solo victu contenti antequam vestiantur, sex mensibus serviant in habitu sæculari, & tunc si utiles inveniuntur tonsurentur, & probationem faciant in Ordine consuetam ; nisi talis fuerit persona, quam, pro evitando periculo, illis sex mensibus oporteat non probari.

CAPVT II.

De Conversis ne discant literas.

NVLLVS Conversus habeat librum, nec discat aliquid, nisi tantùm *Pater noster*, & *Credo in Deum*, *Miserere mei Deus* & *Ave Maria*, & cætera quæ debere ab eis disci statutum est ; & hoc non literâ sed corde tenus.

CAPVT III.

De professione Conversorum.

POST annum veniat Novitius in Capitulum Monachorum, ubi in primis prostratus *misericordiam* petat, & surgens ad imperium Abbatis, cum interrogatus spo-

ponderit de stabilitate sua dicat Abbas, *det tibi Deus perseverantiam* & omnes respondeant, *Amen:* & relicta omni proprietate, faciat professionem hoc modo. Veniens ante Abbatem, flectat genua & jungat manus suas, ponatque eas inter manus Abbatis, promittens ei *obedientiam de bono usque ad mortem*, & respondeat Abbas, *& Deus det tibi vitam æternam*; & iterùm respondeant omnes *Amen:* tunc osculato Abbate, discedat. Et sciendum quòd ab illo die quo petitionem suam fecit in Capitulo Monachorum, & sic receptus est in probatione Conversorum: in Ordine nostro non fiet Monachus. Quòd si suadente Diabolo exierit de Ordine, & Monachi vel Canonici Regularis habitum à quolibet receperit: deposito habitu in Conversum recipiatur, nisi fortè, quod absit, sacrum ordinem susceperit: quem si acceperit, ad habitum regularem nullatenùs admittatur. Tales verò ubicunque, si competenter fieri potest, in Conversos recipiantur qui laborem unius mercenarii possint singuli compensare: & non Fratres, sive proprio nomine, sed Conversi vocentur; nec aliquatenùs Electionibus Abbatum intersint.

In aliquibus MM. additur. *Et quicunque Conversus laborem sibi injunctum adimplere noluerit, redigatur ad Familiaris habitum, usque ad nutum Visitatoris, & pane vescatur interim grossiori.*

CAPVT IV.

De Conversis quomodo surgant ad Vigilias.

AB Idibus Septembris usque ad Cœnam Domini, privatis diebus pulsetur campana major, incipiente ultimo Psalmo primi Nocturni, & tunc surgant Conversi. Dictâ autem *Collectâ* post nocturnos, exeant ad labores sibi injunctos; In festivitatibus autem quibus laborant, surgant ad sonitum signi incipiente secundo *nocturno:* & finitâ *Collectâ* post *Te Deum laudamus*, exeant ad labores. A Pascha autem usque ad Idus Septembris, quia meridianas non habent, privatis diebus usque ad Laudes pausent; pulsato signo surgant ad Ecclesiam, factisque orationibus Vigiliarum, Laudum & Primæ, exeant. Ad cæteras verò horas diei non eant ad Ecclesiam, sed ubicunque fuerint & laboraverint, faciant orationes suas prostrati, nisi dies fuerit feriatus. Dominicis verò & festis diebus qui-

bus non laborant, tam hyeme quàm æstate surgant ad Vigilias quando & Monachi. Porrò qui de grangiis aut de via eadem die venerint, post quartum *Responsorium* eant dormitum si voluerint: cæteri verò non exeant, sed totum servitium audiant, nisi eos aliqua revocaverit obedientia. Festis autem quibus laborant in æstate, pulsato signo surgant ad *Cantica*. Conversi de Abbatia quotidie ad *Completorium* eant ad Ecclesiam; at Conversi qui in grangiis fuerint; à Kalendis Novembris usque ad *Cathedram sancti Petri* circa quartam partem noctis vigilent; & à Cathedrâ usque ad Pascha, & ab Idibus Septembris usque ad Kalendas Novembris, sic surgant ut ante lucem perficiant orationes Vigiliarum & Laudum, quibus peractis laborent, quod necesse fuerit. A Pascha autem usque ad supradictas Idus incipiente luce surgant.

CAPUT V.

De festis in quibus non laborant Conversi.

IN his solennitatibus non laborant Conversi. In die *Natalis* Domini & tribus sequentibus, in *Circumcisione*, in *Epiphania*, in *Parasceve*, in die *Pascha* & secundâ feriâ, in *Ascensione*, in *Pentecoste* & secundâ feriâ. In solennitatibus beatæ *Mariæ*, *Philippi*, & *Iacobi*, in Nativitate sancti *Ioannis Baptistæ*, in festis Apostolorum *Petri* & *Pauli*, *Iacobi*, *Laurentii*, *Bartholomæi*, *Matthæi*, *Michaëlis*, *Simonis* & *Iudæ*, *omnium Sanctorum*, *Martini* Episcopi, *Andreæ* Apostoli, *Thomæ* Apostoli, & in *Dedicatione Ecclesiæ*, in qua qui in Abbatia morantur non laborent, sed qui fuerint extra terminos operentur: in his tamen ipsis si quid fuerit necessarium, faciant quod fuerit imperatum. In quibus autem solennitatibus Conversi laborant & Monachi feriantur, Conversi qui in Abbatia sunt priorem Missam audiant; & sciendum quòd hyemis tempore in intervallo post nocturnos ubi Abbas jusserit, annonas excutiant.

CAPVT VI.

De festis transpositis quomodo fiant à Conversis.

SOLENNITATES transpositas Conversi in grangiis agant die suo quando & sæculares: in Abbatia verò quando & Monachi, ita quòd auditâ primâ Missâ exeant ad labores.

CAPVT VII.

De non laborando in vecturis festivis diebus.

NVLLVS in grangiis vel in Abbatiis diebus Dominicis & festis quibus Conversi non laborant, in vecturis nisi pro victualibus deferendis, vel in Ecclesiis construendis faciat laborare, nisi necessitas aliter exegerit.

CAPVT VIII.

De Missis quibus intersint Conversi.

QVIBVSCVNQVE diebus duæ Missæ canuntur præcipuisque jejuniis, vel quando præsens Defunctus fuerit Monachus, vel Novitius aut Conversus, & in solenni commemoratione *omnium Fidelium*, Missarum intersint celebrationibus, nisi obedientia aliud præcipiat. In Ecclesia verò in erectionibus, in inclinationibus & cæteris observationibus, habeant se sicut Monachi: ad Aquam verò benedictam, sicut permiserit positio uniuscujusque Monasterii, ita accedant.

CAPVT IX.

De diebus quibus communicant Conversi.

SEPTIES communicabunt in anno Conversi, nisi quem crebriùs aut rariùs certâ de causâ Abbas accedere judicaverit; videlicet in *Nativitate Domini*, *Purificatione Beatæ Mariæ*, in *Cœna Domini*, in *Pascha*, *Pentecoste*, in *Nativitate Beatæ Mariæ* & in solennitate *omnium Sanctorum*. Qui verò supradictis diebus communicare non potuerint, die qua competenter occurrere pote-

runt, communicabunt. Conversis ab Abbatiis longè remotis, communicare licet extra Abbatias nostras, & Cineres benedictos accipere, si tamen visum fuerit Abbati.

CAPUT X.

De Capitulo Conversorum quando teneatur.

OMNIBUS diebus Dominicis præter eos quibus sermo fiet generalis in Capitulo Monachorum, quibus Conversi tantùm ingrediuntur Capitulum eorum, in crastino etiam *Natalis Domini*, *Paschæ*, *Pentecostes* finitâ Missâ matutinali ingrediuntur Capitulum suum, ut teneatur eis Capitulum ab Abbate, vel ab aliquo alio cui illud injunxerit. Qui veniens antequàm resideat, cæteris omnibus erectis versisque vultibus ad orientem, dicat *pretiosa in conspectu Domini*, & cætera quæ sequuntur more Monachorum in via directorum, respondentibus Conversis quæ respondenda sunt. Deinde residens dicat, *benedicite*, & responso *Dominus*, faciat sermonem. Quo finito, & responso *Amen* ab omnibus; dicat is qui præerit Capitulo *loquamur de Ordine nostro.* Quòd si recipiendus esset Novitius, dicat Conversus cui hoc injunctum fuerit; *recipiendus est Novitius.* Tunc is qui tenet Capitulum dicat, *Conversus quidam receptus in Capitulo Monachorum, veniat & mittemus eum in ordine suo :* & jussu ejus adducat eum prædictus Conversus; cui, petitâ veniâ, astanti ante eum exponat breviter asperitatem & vilitatem Ordinis. Deinde oret pro perseverantia ejus, & dicto ab omnibus *Amen*, jubeat eum ire in ordine suo. Tunc petant veniam & *clament*; & per omnia agatur sicut in Capitulo Monachorum. Quibus peractis dicto *adjutorium nostrum* & responso, *qui fecit*, &c. inclinent & discedant.

Clament, id est, accusent se de culpis suis.

CAPUT XI.

De pœna inobedientis Conversi.

CONVERSUS qui cuilibet Magistro sibi deputato inobediens fuerit, in Capitulo accipiat disciplinam, & tribus diebus humi residens coram omnibus comedat

sine mantili. Ab octavis autem Pentecostes usque ad Natale Domini, & ab octavis Epiphaniæ usque ad Pascha, omni sextâ feriâ accipiant disciplinam, nisi aliqua festivitas fuerit qua non laborant: quòd si aliqua de causa impediatur, saltem pro disciplina dicant septem *Miserere mei Deus*, vel toties *Pater noster*.

CAPUT XII.

De locis ubi Conversi tenent silentium.

IN quibuscunque officinis Monachi tenent silentium, teneant & ipsi, nec ingrediantur aliquam sine licentia. Insuper in suo Dormitorio & Refectorio omninò silentium teneant; & præter hæc, in omnibus aliis locis, nisi fortè jussu Abbatis vel Prioris loquantur, vel etiam ipsius Cellerarii, si tamen hæc potestas Cellerario data fuerit. Sutores silentium teneant ad invicem & ad omnes, nisi fortè Abbas eis aliquando extra Operatorium determinaverit, ubi inter se coram Magistro loquantur. Similiter faciant omnes artifices Monasterii, Textores, Pistores, Pellifices & cæteri; solis enim Fabris ubi operantur loqui licet, quia vix sine detrimento operis sui, possunt in labore suo tenere silentium. Magistri Cæmentariorum, Sutorum vel hujusmodi artificum, diebus quibus non laborant, vel horis vespertinis cum se disjunxerint ab operibus suis, cum subditis suis non loquantur, nisi licentia eis ab Abbate data fuerit. Similiter qui in grangiis sunt, silentium teneant in Dormitorio, Refectorio, Calefactorio, & intra metas ad hoc deputatas: alibi possunt loqui cum Magistris, ubi necesse fuerit. Et sciendum quòd sine caputiis loqui non licet, nisi dum laborant vel infirmitate detinentur. Pastores & Bubulci cum junioribus suis, & juniores cum ipsis loqui possunt in labore suo. Salutantes resalutent, & Viatorem, si viam interrogaverit, verbis breviter doceant: quòd si de aliqua re alia eos alloquitur, respondeant *se non licere eos loqui ampliùs:* hoc etiam cuilibet inquietanti se & instiganti ad loquendum respondeant, nisi ab Abbate suo eis aliud, causis exigentibus, fuerit indultum.

Ex Cap. Gen. ann. 1221.

Præcipitur ut Conversi qui passim & ex consuetudine frangunt silentium & correcti negligunt emẽdari, ut in Familiares redigantur.

CAPUT XIII.

De Refectione Conversorum & Versu.

CONVOCATIS aliquo signo Conversis ad refectionem, dicant omnes *Benedicite, Kyrie eleison, Pater noster:* deinde prior erectus dicat *Et ne nos*, alii respondeant, *sed libera nos*; tunc prior signum *Crucis* faciens manu, dicat, *In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti*, aliis respondentibus *Amen*, sicque residеant ad mensas secundùm ordinem suum, & comedant. Et si quis fortè in Abbatia ter versum perdiderit, ablatâ ei suâ portione vini, solus & ultimus manducet. Peractâ autem refectione prior surgens incipiat *Miserere mei Deus*, & dicat totum versum & alii alium; sicque alternatim dicant omnes alios versus, subjungentes *Gloria Patri, Sicut erat*, &c. *Kyrie eleison, Pater noster*; deinde prior dicat *Et ne nos*, aliique respondeant, *sed libera nos*, & subjungente illo *Benedicamus Domino*, cæteri respondeant, *Deo gratias*; sicque Ecclesiam ingressi, ibi dicant sub silentio, *Pater noster:* factoque signo à priore, signantes se & inclinantes, discedant. In grangiis verò non dicitur istud *Pater noster*; sed post cibum incipientes *Miserere mei Deus*, intrabunt Oratorium.

CAPUT XIV.

De Cibo Conversorum & Mixto.

EISDEM cibis vescentur Conversi quibus & Monachi; si quos autem Abbas judicaverit oportere in Abbatia sumere mixtum, sumant: mixti quoque quantitas hæc sit; medietas libræ sui panis vel major quantitas grossioris panis, & aqua. Qui verò in grangiis sunt, non jejunabunt nisi in præcipuis jejuniis, & in Adventu, & sextâ feriâ ab Idibus Septembris usque ad quadragesimam, & habebunt singuli libram panis, & insuper de grosso pane quantum necesse fuerit. Conversi verò qui in domibus juxta Abbatiam sitis habitant & laborant, juxta pristinam consuetudinem in ipsis domibus comedant, nec Abbatibus id liceat immutare. Extra verò Abbatiam ubi ubi commo-

commorantes, vinum, siceram vel cervisiam bibentes, observent consueta jejunia Monachorum, nisi Abbas ex certa & rationabili causa cum aliquo duxerit dispensandum.

CAPVT XV.
De pellibus sylvestribus.

PELLES sylvestres non operentur Conversi nostri, non catinas, non coninas, non varias, non grisias seu alias hujusmodi, etiamsi qualibet occasione haberi contigerit; nam emere non licet.

CAPVT XVI.
De Horis Conversorum.

TAM ad Vigilias quàm ad Horas diei tabula pulsetur in omnibus grangiis, & faciant orationes Conversi sicut & Monachi. Post erectionem autem & signaculum si duo aut plures fuerint, dicat prior eorum *Deus in adjutorium*, &c. & respondentibus omnibus, *Domine ad adjuvandum me*, &c. ad Vigilias subjungat prior eorum, *Domine labia*, cæteris eundem versum, quo usque tertiò fiat, respondentibus. Deinde dicant sub silentio *Pater noster;* quo dicto dicat prior omnibus audientibus, *Gloria Patri*, &c. *Sicut erat*, &c. & hoc usque vicies fiat; post vigesimum autem *Sicut erat*, subjungant omnes, Priore incipiente *Kyrie eleison*, &c. tunc prior dicat in audientia totum *Pater noster*, tam ad Vigilias quàm ad omnes Horas, adjungens *per Dominum*, &c. Cæterique respondeant *Amen:* deinde subjungat *Benedicamus Domino*, aliis supplentibus *Deo gratias.*

CAPVT XVII.
De Conversis ubi minuantur & Nolis.

CONVERSI non in grangiis, sed in Abbatia minuantur quando Abbas præcipiet; qui autem contempserit, perdat minutionem illam: nec in grangiis cam-

Nola est campanula ad evocandos in Refectorium Conversos concessa.

panas habeant, nisi parvas Nolas in Refectorio si voluerint, ad convocandos Conversos ad refectionem.

CAPVT XVIII.

De non comedendo aut bibendo extra Refectorium.

CONVERSI qui in grangiis, villis, Cellariis vel mensis sæcularium comederint sine cappis, seu alibi ubi eas habere poterunt, vel in grangiis aut Cellariis extra suum Refectorium comederint aut biberint: sequenti die sint in pane & aqua.

CAPVT XIX.

De Conversis ad Abbatiam venientibus.

DE Conversis grangiarum Dominicis & Festis diebus ad Abbatiam venientibus, erit in dispositione Abbatis secundùm multitudinem vel paucitatem Conversorum & locorum positionem, in suo ordine vel seorsùm facere comedere. Et cum ad Abbatiam venerint, ubi competenter fieri poterit, simul veniant & simul redeant: & tam in eundo quàm in redeundo silentium inter se teneant, nec cibis utantur nisi quadragesimalibus donec communionem Paschalem receperint, licet in Cœna Domini communicaverint.

CAPVT XX.

De Vestitu Conversorum.

CONVERSORVM vestitus sit cappa, tunicæ, caligæ, pedules, caputium scapulas tantùm & pectus cooperiens. Bubulcis tamen, Quadrigariis & Pastoribus ampliorem mensuram providere poterit Abbas. Pelles quoque grossæ sint & simplices. Quòd si cui tamen Abbati visum fuerit de ipsis grossis pellibus, cum jam veteres fuerint, aliquas cooperiri oportere, non nisi de veteri panno fiat. Si quis autem Abbas inordinatum mantellum, contra id quod supra scriptum est, ab aliquo superveniente Converso portari deprehenderit, illum retineat: & qui

tali usus fuerit, mantello careat, & in Capitulo vapulet, & septem sextis feriis sit in pane & aqua. Licet autem Conversis quatuor habere tunicas, si Abbati visum fuerit: solis verò Fabris conceditur habere camisias, non tamen nisi nigras & rotundas.

CAPVT XXI.

De lectis & botis Conversorum.

CONVERSI in grangiis botas non habeant, sed nec in Abbatia, nisi fortè propter vigilias alicui concesserit Abbas, & ipsæ sint vetustæ. Si quis verò Conversus novas habuerit, tam ipse quàm Vestiarius, donec ipsas reddiderit, omni sexta feria sint in pane & aqua: lectos verò sicut Monachi habeant, præter lenam, loco cujus pellibus utantur.

CAPVT XXII.

De Conversis ne Capita lavent ad invicem.

CONVERSUS caput Converso non lavet, nisi fortè de licentia, & ei qui propter infirmitatem lavare non potest. Qui aliter fecerit, in Capitulo Conversorum verberetur.

CAPVT XXIII.

De Conversis qui sunt in itinere.

CONVERSUS qui in itinere est, teneat silentium suum in refectione & post Completorium, & habeat se in omnibus sicut & Monachus qui in via est directus. Qui veniens ad Monasterium vel grangiam Ordinis nostri, teneat per omnia ordinem suum sicut Conversi loci illius; poterit tamen loqui cum Converso stabulario. Conceditur enim Conversum stabularium haberi, & ipsum loqui cum Conversis Ordinis nostri, sicut cum cæteris hospitibus ubi multitudo hospitum exigit. Qui autem equitant cum Abbatibus, & mercatores Conversi & alii qui equitant, à festo *sanctæ Crucis*, nisi fuerint in grangiis vel Cellariis, jejunium ut Monachi teneant: qui aliter præsum-

pserint, uno die sint in pane & aqua: & Conversi de foris venientes, super genua prosternantur.



DISTINCTIO XV.

De Monialibus.

CAPUT PRIMUM.

De Monialibus Ordini non associandis.



NULLA Monasteria Monialium sub nomine vel jurisdictione nostri Ordinis de cætero construantur vel Ordini socientur. Qui verò contra hoc, petitionem ad Capitulum portaverit vel aliquid scienter procuraverit, per quod possit Institutio tam utilis enervari; si Monachus fuerit aut Conversus, à domo propria emittatur, non nisi per Capitulum Generale reversurus: si Abbas fuerit, omni sexta feria sit in pane & aqua, & extra stallum Abbatis usque ad sequens Capitulum Generale, in ipso Capitulo super hoc veniam petiturus. Si qua verò ex præcepto Domini Papæ aut alia necessitate suscipere oportuerit: non priùs Ordini socientur, donec, peractis competenter ædificiis, possessionibus & rebus necessariis adeò sufficienter dotata fuerint, quòd possint Moniales ipsæ penitùs includi, & inclusæ secundùm Ordinem vivere, ita quòd eas non oporteat mendicare.

Nulla Monasteria Monialium de cætero sub nomine aut sub jurisdictione Ordinis nostri construantur vel Ordini socientur. Si quod verò Monasterium Monialiũ nondum Ordini sociatum aut construendum nostras Institutiones æmulari voluerit, non prohibemus; sed curam animarum earum nõ recipiemus, nec visitationis officium impédemus. Vt auté removeatur à Capitulo Generali earumdem tædium vel gravamen, Definitores in posterùm omni anno de ipsis Definitoribus ad decidendum causas earum, tres constituant Auditores. *Ex Cap. Generali ann.* 1218.

CAPUT II.

De Monialibus ne habeant proprium.

MONIALES Ordinis nihil habeant proprium, sicut nec Monachi. *Confessiones verò nullatenùs recipere audeant Abbatissæ*, & omnes Moniales Ordinis loquantur de confessione per fenestram ad hoc congruè deputatam, præter graviter infirmantes, & exceptis Visitatoribus, cum quibus in Capitulo loqui possunt: si autem

Huic Constitutioni *de Confessionibus Monialium per Abbatissas non audiendis* occasionem præbuit inaudita temeritas Abbatissarum

excommunicatæ fuerint, à Patre Abbate debent abſolvi, vel ab alio cui ipſe commiſerit vices ſuas.

Monaſterii Helguenſis propè Burgos ab Alfonſo Rege Caſtellæ fundati: quæ ut patet ex literis Innoc. III Corpori Iuris Canonici inſertis in Cap. *Novæ quædam de pœnit. & remiſſ.* Novitias benedicere, Evangelium prædicare, & ſubditarum Confeſſiones audire præſumebant. Quibus refrænandis Guido Morimundenſis cum Epiſcopis Palentino & Burgenſi juſſus eſt accedere ab eodem Innocentio III. *an. Domini* 1210.

CAPVT III.

De non intrando Clauſtra Monialium.

NVLLVS præter Viſitatores Clauſtra Monialium ingrediatur, niſi fuerit tam Reverenda perſona & honeſta, quòd ei ſine gravi ſcandalo & damno ingreſſus debeat denegari. Nec pueri in Clauſtris Monialium aliquatenùs erudiantur. Abbas verò Viſitator taxet numerum perſonarum; quem quidem numerum ſi Abbatiſſæ vel Prioriſſæ tranſgredi præſumpſerint, ſciant ſe deponendas.

CAPVT IV.

De viſitationibus Monialium.

ABBATISSÆ quæ filias habent, non interſint viſitationibus quæ fient ab Abbatibus, ſed ipſi Abbates per ſe viſitent, corrigenda corrigant, & ſtatuant quæ ſecundùm formam Ordinis viderint ſtatuenda. Abbatiſſæ verò matres ſi poſteà acceſſerint, poſſunt caritativè corrigere, ſi qua invenerint corrigenda, dummodò caveant præ omnibus, ut de iis quæ inſtituerit Viſitator, minuere vel mutare aliquid omninò non præſumant, vel contrarium ſtatuere, vel quæ ipſæ juſſerint redigere in ſcripturam. Moniales autem quæ noluerint aliquatenùs ſubire judicium Ordinis, ab Ordinis ſocietate penitùs excludantur.

Ita Cap. Gen. an. 1228.

CAPVT V.

De incluſione Monialium.

DE Monialibus quæ jam ſunt Ordini ſociatæ ab anno Domini milleſimo ducenteſimo vigeſimo primo &

infrà, statuitur ut penitùs includantur, & quæ includi noluerint, à custodia Ordinis se noverint sequestratas: ac nihilominùs quæ ànte terminum præscriptum includebantur, inclusæ permaneant. Aliis verò Monialibus Ordinis universi egressus interdicitur, nisi Abbatissæ tantùm cum duabus Monialibus, & Cellerariæ quibus exire conceditur ad procuranda domorum negotia, & propter alias inevitabiles causas: de licentia tamen Abbatis Visitatoris sui, si fieri potest; & hoc ipsum honestè & rarissimè fiat. Abbas autem qui Moniales contra præfatam Constitutionem se habentes visitaverit; omni sexta feria sit in pane & aqua, à tempore visitationis suæ usque ad sequens Capitulum Generale, veniam inde in ipso Capitulo petiturus.

CAPUT VI.

De habitu Monialium.

UNIVERSÆ Moniales Ordini nostro sociatæ vel etiam sociandæ, in singulis domibus habitum habeant uniformem: videlicet Cucullam sine mantello, vel mantellum sine Cuculla; ita quòd illæ quæ mantellos hactenùs habuerint, ipsos habeant, sed Cucullis de cætero non utantur. Quæ verò Cucullis hactenùs usæ sunt, utantur in posterùm, à mantellis penitùs abstinentes. Scapularibus tempore laboris utantur & velaminibus nigris semper, & sint sine Caputiis tam scapularia quàm Cucullæ. Si qua verò in Abbatissam assumitur in domum diversi habitus, eisdem in habitu se conformet. Et quia Abbatissæ Capitulum Generale non habent, veniam de suis excessibus tam in visitatione, quàm aliàs quoties fuerit necesse, coram Visitatore petant, & ab ipso Visitatore, vel de ejusdem Visitatoris præcepto proclamentur & corrigantur.

CAPUT VII.

De Benedictione & Professione Monialium.

BENEDICTIONEM quæ fit super Novitios Ordinis elapso probationis anno, & mutationem habitus, faciant super Moniales Patres Abbates, vel earum Visitatores, seu alii Abbates Ordinis, de ipsorum tamen licen-

tia speciali. Et solius Abbatissæ nomen cujus Monialis benedicitur, quæ tunc præsens esse tenetur, in professione exprimatur. Abbatissæ verò in processionibus tantùm utantur Baculo pastorali.

CAPUT VIII.

De Correctione Monialium & Electione Abbatissarum.

MONIALES vel Conversæ si conspiratrices vel omninò rebelles fuerint, sub pœna excessui congruenti ad domos alias emittantur, nonnisi de licentia Capituli Generalis reversuræ; & Abbatissæ ad quas Missæ fuerint, eas recipere teneantur. Si quæ verò in illos casus inciderint pro quibus Monachi & Conversi incarcerantur, similiter carceri mancipentur.

Abbatissæ verò cedentes, si fieri potest sine scandalo, in eadem domo remaneant: alioquin ad domos de quibus assumptæ fuerant, revertantur; & Abbatissæ eas recipere teneantur auctoritate Capituli Generalis. Nec aliqua Monialis in Abbatissam promoveatur, quæ trigesimum non compleverit ætatis suæ annum. Cum autem aliqua ad officium electa fuerit Abbatissæ, eidem Abbatissa propria officium illud injungere non omittat.

CAPUT IX.

De Professione Capellanorum & Conversorum Monialium.

FRATRES Capellani Clerici & Conversi Monialium expleto Novitiatûs anno, in Capitulo ipsarum ante analogium venientes, prostrati veniam petant. Deinde breviter exposita Ordinis asperitate perseverantiam promittentes, proprietati ibidem renuntient more Ordinis consueto. Posteà libro Regulæ super genua Abbatissæ sedentis posito, flexis genibus, & manibus super dictum librum positis, dicant. *Promitto vobis obedientiam de bono usque ad mortem.* Abbatissa verò respondeat. *Det tibi Deus vitam æternam :* & Conventus respondeat, *Amen.* Quibus peractis osculato libro recedant. Ipsi verò Capellani ad

domos nostri Ordinis divertentes, à sæcularium convictu sequestrati, in loco honesto recipiantur, & eis ministretur liberaliter & honestè.

Decretum Capituli Generalis an. D. 1258.

POST præcedentem Definitionum Capituli Generalis Ordinis Cisterciensis Collectionem, anno D. 1256. evulgatam, Capitulum Generale an. 1258. ordinavit ut quæ deinceps statuerentur, conscriberentur seorsim & *Extravagantes* nominarentur, donec sub certis distinctionibus includerentur: quod non nisi an. D. 1289. factum est, nempe post Constitutionem D. Clementis IV. Romani Pontificis, ut infra videbimus.



NOMASTICON

NOMASTICON CISTERCIENSE

SEV

ANTIQVIORES ORDINIS CISTERCIENSIS CONSTITVTIONES.

SECVNDA PARS.

COMPLECTENS EAS QVÆ SECVNDO prædicti Ordinis sæculo sancitæ sunt.



ADMONITIO

IN

ACTA SEV INSTRVMENTA DISCEPTATIONIS ABBATVM

ORDINIS CISTERCIENSIS

SVB URBANO IV.



VM elapſo primo Ciſtercienſis Ordinis ſæculo, Abbates Ciſtercii juriſdictionem, quam Sanctus *Stephanus* in ſe ſuoſque ſucceſſores, per Chartam Charitatis, Primis quatuor ejuſdem Ordinis Abbatibus conceſſerat, ægrè ferrent, hi autem illam fortè perſequerentur ardentiùs, ac viciſſim ſubjectionem Abbatibus Ciſtercii detrectarent: cœperunt viri illi alioqui ſanctiſſimi ſtudia in contraria ſcindi, eoque periculoſiùs, quò ſinguli confidentiùs zelum ac juſtitiam à ſuis partibus ſtare prætenderent. Inimico igitur humani generis in hoc agro dominico identidem ſuperſeminante zizania, ac prima hujus Ordinis ſimplicitate paulatim in amaritudinem, ne dicam in ambitionem abeunte: Summus Pontifex Innocentius III. pro ſua erga eundem Ordinem benevolentia, imminentis hujus incendii ſcintillas primas extinguere conatus eſt, his ad eos literis anno D. 1202. & ipſius Ordinis 105. datis.

Innocentius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, Dilectis filiis Ciſtercienſi, de Firmitate, Pontigniacenſi, Clarævallenſi & de Morimundo Abbatibus, Salutem & Apoſtolicam Benedictionem. Quia qui ambulat ſimpliciter, graditur confidenter, Ciſtercienſem Ordinem credimus hactenùs uſque adeò profeciſſe, ut à mari uſque ad mare propagines ſuæ Religionis extenderit, & in omnem terram fama honeſtatis ejus exierit, quia rectè, purè ac ſimpliciter hactenùs ambulavit. Neque enim qui erant ſuperiores in eo, viſi ſunt tanquam dominantes in Clero, ſed forma facti gregis ex animo, noluerunt de Prælatione contendere, aut ſibi primos accubitus aut primas cathedras vendicare, vel ſuos exceſſus ſub occaſione defendere Prælaturæ. Legerant enim quòd Principes gentium dominantur eorum, & qui poteſtatem habent ſuper eos, Benefici appellantur. Verùm diſcipuli Domini Ex Bibliothecâ Vaticana.

non sic, sed qui major est inter eos, servus omnium reputatur: & qui praecessor est, tanquam ministrator existit. Unde praeesse & subesse quasi paria reputantes, Fratres se, non dominos reputabant, nec praeesse sed subesse credebant cum sibi subjectis & spirituales epulas & corporales cibos cogebantur ex injuncto sibi dispensationis debito ministrare.

Nuper autem ad nos rumores pervenère sinistri, quòd mutatus sit aliquantulum color optimus & nativus, & aurum in scoriam sit conversum: cùm aliqui jam de Prelatione contendant, & ea quae sua sunt, non quae Iesu Christi quaerentes, à suae rectitudinis tramite ac propriae simplicitatis consuetudine recedere videantur. Ne igitur temporibus nostris, qui sincerè zelamur Cisterciensis Ordinis honestatem, alicujus dissensionis scrupulus oriatur, per quem, quod absit, fama vestri nominis obfuscetur: discretionem vestram monemus & exhortamur attentiùs, & per Apostolica scripta mandamus, ut in simplicitatis ac puritatis vestrae proposito persistentes, non retrahatis manum ab aratro, sed ad anteriora vos jugiter extendatis, occasionem scandali & dissensionis materiam praecipuè fugientes, ne fortè, sicut Grandimontenses, in derisum & fabulam incidatis. Sanè cum parati simus cum Apostolo inobedientiam omnem ulcisci, si quis usurpando Prelationem indebitam, vel subjectionem debitam subtrahendo, quietem vestri Ordinis turbare praesumeret: tantae praesumptionis excessum taliter puniremus in eo, quòd ipse illud Evangelicum verbum quo dicitur, Væ illi per quem scandalum venit, *in se frustra quereretur impletum. Eligeremus enim potiùs paucos offendi, quàm totum Ordinem aboleri. Datum Later. 10. Kalend. Decembris.*

Hæc Innocentius ad nostros; quibus illi quidem tantisper pacati ac in concordiam redeuntes, totis fermè tredecim subsequentibus annis siluerunt, usque dum unius ex quatuor Primis per Abbatem Cistercii, aliis tribus inconsultis, præsumpta depositio, novam dissensionis inter eos materiam excitavit adeò vehementem, ut suas omnes querelas ac contestationes ad Concilium Generale Lateranense, quod tunc imminebat, censuerint deferendas, semel aliquando solenni judicio dijudicandas. Quod cùm ante Concilium resciviſſet prædictus Pontifex, obstitit, consultiùs existimans & ipsius Ordinis honori convenientiùs, si res privatim ac sine strepitu conficeretur. Hanc igitur Nepoti suo, Cardinali scilicet Hugolino, aliis præpeditus ipse negotiis, commisit. Is verò, vocatis ad se Primis illis Superioribus Ordinis, cognitâ quæ inter eos vertebatur controversiâ, ac pensatis partis utriusque rationibus, in hanc eos compositionem adduxit. *Quando aliqua de quatuor Primis Abbatiis vacaverit, Abbas Cisterciensis ad Electionem celebrandam adveniat, ibidemque secundùm Chartam Charitatis Electio celebretur. Si autem Abbas Cisterciensis aliquem de quatuor Primis deponere, exigentibus culpis, intenderit, ad domum illius ducet secum quos volet Abbates, & domus illa ab eodem Cisterciensi Abbate quatuordecim diebus ante praemonita, vocabit de filiis suis quos ei placuerit; Et tunc Cisterciensis cum consiliis hinc inde congregatorum causam tractabit, & deinde faciet quod fuerit faciendum.* Hæc illa prædicti Cardinalis compositio: cui subinde ipse Innocentius III. hoc addidit nempe, *Ut Cisterciensis Abbas praedictas causas coram Abbatibus hinc inde congregatis tractet, & cum eorum omnium vel sanioris, partis ipsorum consilio, faciat quod fuerit faciendum. Quae tamen pars sit sanior, ipse decernat; sed si, quod absit, minùs sanae partis consilio usus, processerit: referatur ad Capitulum Generale, & à Definitoribus Capituli, prout dignum fuerit, corrigatur.*

Ex Reg. Epistolarum Honorii III. libro primo.

Ann. D. 1215.

Itaque renovata hunc in modum inter Patres hujus Ordinis con-

cordia, nulla illius in Concilio Generali mentio non honorifica. Nam cum in eodem, de Monachorum & Canonicorum reformatione tractatum fuisset, his veluti Magistri præfecti sunt Cistercienses, ut patet ex capite duodecimo prædicti Concilii Generalis quod sic habet. *In singulis Regnis sive Provinciis fiat de triennio in triennium, salvo jure Diæcesanorum Pontificum, commune Capitulum Abbatum atque Priorum, Abbates proprios non habentium, qui non consueverunt tale Capitulum celebrare, ad quod universi conveniant præpeditionem canonicam non habentes, apud unum de Monasteriis ad hoc aptum, hoc adhibito moderamine, ut nullus eorum plusquam sex evectiones & octo personas adducat. Advocent autem charitativè in hujus novitatis primordiis duos Cisterciensis Ordinis Abbates vicinos, ad præstandum sibi consilium & auxilium opportunum, cum sint in hujusmodi Capitulis celebrandis ex longa consuetudine pleniùs informati; qui absque contradictione duos sibi de ipsis associent, quos viderint expedire, ac ipsi quatuor præsint Capitulo universo. Ita quòd ex hoc nullus eorum authoritatem Prælationis assumat, unde cùm expedierit, provida possint deliberatione mutari. Hujusmodi verò Capitulum aliquot certis diebus continuè juxta morem Cisterciensis Ordinis celebretur. In quo, &c.* Hæc Concilium Generale Lateran. ad laudem Cisterciensis Ordinis. In cap. 12. Conc. Gener. Later. sub Innoc. III. & cap. in singulis, de statu Monachorum.

Mortuo autem anno sequenti Innocentio III. Sancius Savellinus Sanctorum Ioannis & Pauli Cardinalis, in ejus locum electus est, & vigesimâ quartâ die mensis Iulii anno Domini millesimo ducentesimo decimo sexto coronatus sub nomine Honorii III. Qui cùm benevolentiâ & animi propensione in eundem Ordinem, nulli prædecessorum suorum inferior esset, ac illius Abbatibus in plerisque Ecclesiæ Catholicæ negotiis procurandis uti vellet, veritus ne huic ejus menti, veteres eorum discordiæ impedimento essent, vix dum electus, biduo scilicet à coronatione sua, has ad eos literas scripsit. 1216.

Honorius Episcopus servus servorum Dei. Cisterciensi, de Firmitate, Pontigniacensi, Claravallensi & Morimundensi Abbatibus. Salutem, &c. Sinceritatis affectus quo adhuc in minori Officio constituti, vestrum sumus semper Ordinem amplexati, & sollicitudo Officii Pastoralis, ad quod, licet immeriti, assumpti sumus Domino disponente, potissimùm nos inducunt, ut simus solliciti quomodo idem in simplicitate ac puritate primæ institutionis ipsius valeat conservari, ne inimico homine superseminante zizania, filius dissensionis in eo locum reperiat, qui lætatur cùm malè fecerit & in pessimis rebus exultat. Inde est quòd devotionem vestram rogamus attentiùs & exhortamur in Domino, per Apostolica scripta præcipientes, quatenùs ad illum habentes cum pia devotione respectum, qui non est Dominus dissensionis sed pacis, faciens in domo unanimes habitare in unitate spiritûs, in vinculo pacis, servantes & providentes bonum non solum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus, sicut dicit Apostolus, caveatis omninò ne occasione verborum, quæ quidam vestrûm bonæ memoriæ Innocentio Papæ prædecessori nostro proposuerunt tempore Concilii Generalis, aliquid in Generali Capitulo vel etiam alibi proponatis seu etiam ordinetis, per quòd in Ordine vestro scandalum valeat suboriri, quem in sua puritate curetis pro viribus custodire, puras manus ad Dominum in oratione levantes, ut pax Dei quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra & intelligentias vestras in Christo Iesu, qui ad exhibendum humilitatis exemplum, non venit ministrari sed ministrare; Precum nostrarum primitias taliter impleturi, quòd grati & divinæ vos reddatis acceptos & nostrum possitis favorem & Sedis Apostolicæ promereri. Datum Perusii VII. Kalendas Augusti Pontificatûs nostri anno primo. Hæc

Honorius III. ad Nostros, quibus illi sanè obsecundarunt sed ad tempus duntaxat; vix enim effluxerant anni sex, cùm ecce in Capitulo Generali anni 1222. agente Galtero Abbate Cistercii, jussus est Robertus II. 1222.
Abbas Claraevallis compositioni superiùs allatae renunciare, & quas de illa apud se literas habebat, in ejusdem Cisterciensis manus consignare, his verbis. *Statuitur à Capitulo Generali, ut quòd in Charta Charitatis continetur de promotione & depositione Abbatum, simpliciter & inviolabiliter ab omnibus observetur: & ne scrupulus qui hoc impedire posset valeat remanere, praecipitur Abbati Claraevallis ut literas quas penes se habet, & quas constat tempore Concilii impetratas contrà Chartam Charitatis, maximè cùm in eis contineatur, quòd possit fieri recursus ad Definitores, infra festum omnium Sanctorum reddat Cisterciensi. Domnus autem Cisterciensis ita se habeat, ut in institutione & destitutione filiorum suorum, & in omnibus suis agendis non excedat fines Patrum antiquorum, servatâ in omnibus Regulâ Sancti Benedicti & Chartâ Charitatis.* Ita Capitulum illud Generale.

Sed rescissa haec definitio fuit per subsequens Capitulum Generale in hunc modum & his verbis. *Sanctorum Patrum nostrorum inhaerentes vestigiis, qui statuentes in Charta Charitatis scripserunt, quòd si fortè aliqua controversia inter aliquos Abbates emerserit, vel de aliquo eorum tam gravis culpa fuerit propalata, ut suspensionem aut etiam depositionem mereatur; quicquid inde*
1223. *à Capitulo fuerit definitum, sine retractatione observetur: suffulti quoque auctoritate trium Summorum Pontificum Anastasii, Adriani & Alexandri, qui in Privilegiis suis Chartam Charitatis confirmantibus, ita ponunt; PRAETEREA. SI ALIQVA CONTROVERSIA INTER ALIQVOS ABBATES DE ORDINE VESTRO EMERSERIT, VEL DE ALIQVO ILLORVM TAM GRAVIS CVLPA FVERIT PROPALATA, VT SVSPENSIONEM VEL DEPOSITIONEM MEREATVR; QVICQVID INDE A CAPITVLO VESTRO SECVNDVM ORDINEM FVERIT DEFINITVM, SINE RETRACTATIONE ALIQVA TENEATVR: Adjuti nihilominùs exemplo Patrum nostrorum, qui ante aliquos annos statuerunt in Capitulo Generali, quòd si quis ex Ordine nostro appellaverit, sit à Deo & ab Ordine anathema; freti etiam authoritate Domini Papae Honorii III. sub cujus faelici regimine degit in praesentiarum Ecclesia generalis, in cujus ad Cisterciensem & Claraval. transmissis, haec inter caetera continentur, (Statuimus & ordinamus atque praecipimus in virtute Obedientiae, ne quis de caetero in Ordine vestro vocem appellationis emittat:) Excommunicamus & anathematisamus omnem tam Conventum quàm Personam, qui vel quae in Ordine nostro contra Ordinis Instituta seu contra obedientiam de caetero appellabit; ita quòd quisquis in Ordine nostro taliter appellaverit, sciat se statim in Canonem* latae sententiae *incidisse. Addimus etiam, quòd quicunque contra praesentem Constitutionem vocem appellationis emiserit, si sit Abbas, sciat se esse depositum: si Monachus aut Conversus, poenam Conspiratorum sustineat. Actum anno gratiae 1223. in praesentia Venerabilium Patrum Galteri Carnotensis & F. Tholosani in Generali Capitulo praesentium, universis etiam Abbatibus huic Constitutioni suum assensum praestantibus, in eodem Capitulo constitutis.*

Ab eo tempore usque ad Electionem Vrbani IV. Romani Pontificis per annos fermè quadraginta, si quae subortae sunt inter eos discordiae, ex Ordine non exierunt; sive ob singularem sollicitudinem quâ praedictus Honorius III. necnon & Gregorius IX. Caelestinus IV. Innocentius IV. & Alexander IV. praedicti Ordinis paci ac unitati invigilarunt; sive ob Reverentiam quâ Nostri semper eosdem Romanos Pontifices prosecuti sunt. Nam licet Iacobus Abbas Cistercii hujus nominis primus, Visitationem per

universum Ordinem aggressus, & ob hoc, quia hactenùs inauditum, ubique ferè etiam à suæ generationis Abbatibus repulsam passus, sententias suspensionis & interdicti in aliquos, & maximè in Abbatem & Conventum Caroliloci tulisset, quas (ut id obiter dicam) Capitulum Generale anni D. 1238. inanes & irritas declaravit, *cùm*, ut inquit idem Capitulum, *nullus Pater Abbas Iurisdictionem habeat nisi in propriis filiabus*: licet etiam Guido Cistercii Abbas anno Domini 1255. Stephanum Clarævallensem gradu & dignitate submovisset, propterea quòd S. Bernardi Paris. Collegium, inconsulto Generali Capitulo, instituisset: nihilominùs hæc intra domesticos fines compressa ac sepulta sunt. Sed prædicto Guidone Cisterciensi in Cardinalem S. Laurentii in Lucina anno D. 1262. per Vrbanum IV. assumpto, cùm Prior Cistercii inconsultis quatuor primis Abbatibus, Iacobum hujus nominis secundum illi substitui curasset; ipse autem Iacobus sic electus, Definitores omnes renuntiare, ac omnia ferè alia pro suo libito in Capitulo Generali disponere tentaret: Philippus ex Abbate Fulcardimontis nuper electus Abbas Clarævallensis; cæterique Primarii hujus Ordinis Abbates pari zelo succensi, hæc & similia ab Abbatibus Cistercii in præjudicium Chartæ Charitatis & receptæ jam à longo tempore consuetudinis, usurpari diutiùs ferre noluerunt. Imò re ad Vrbanum IV. delatâ, quod nunquam anteà visum fuerat, judices extraneos seu arbitros Nicolaum Episcopum Trecensem, Stephanum Majoris-Monasterii Abbatem & Fratrem Gaufridum de Bello-loco Dominicanum acceperunt; qui cùm per tractatus pacificos totam eorum controversiam dirimere & componere incassum pertentassent, ad Inquisitionem devenerunt; ac renuntiatione facta causam ipsam Vrbano IV. supremo judicio terminandam detulerunt: sed eo interim è vivis sublato, liti finem imposuit successor ejus Clemens IV. Quæ omnia fusiùs ac evidentiùs apparebunt ex subjunctis totius hujusce litis & controversiæ instrumentis, & ex Epistola quam ea de re ad Coabbates suos scripsit Ioannes Abbas Savigniacensis in hæc verba.

1238.
1255.
1262.
1265.

Venerabilibus & in Christo dilectis de Furnes & de Bellalenda, ac universis filiationis Savigniacensis Coabbatibus suis per Angliam & Walliam constitutis ac eorum Conventibus, Frater Ioannes dictus Abbas Savigniacensis, cum salute quam sibi exoptat in Domino, compassionis visceribus abundare & rei cognoscere veritatem. Ex Monastico Anglicano.

Inter procellosas voragines & tempestuosos turbines hujus mundi, nostri Ordinis navicula constituta, sicut stellæ maris radioso lumine, gratiâ videlicet B. Virginis indiget ad conductum, ita Nautarum solertia, Prælatorum scilicet diligentia, eidem est necessaria ad Scyllense periculum cautiùs evitandum. Inde est quod vobis Zelatoribus religionis pariter & fervoris, ipsius Ordinis statum (cujus estis filii & alumni) qualiter ad præsens se habeat in partibus Gallicanis breviantes duximus intimandum.

Noverit ergo Universitas vestra, quòd anno præterito in Capitulo Generali, cùm Domnus Cisterciensis Definitores vellet eligere, & nominatos à quatuor primis reprobare pro suo libito voluntatis, unum de filiis Claravallis, virum utique experientiâ, famâ & industriâ ac fervore religionis insignem, inter alios specialiter refutavit. Obsecratus itaque à Reverendo Abbate Claravallis; & cæteris Senioribus & majoribus Abbatibus de linea Claravallensium Cisterciensis Abbas, etiam petitis veniis, *ut propter novitatem dicti Claravallensis, quem Dominus diebus istis Ordini nostro creditur reservasse, antiqua libertas & consueta licentia quatuor primis super nominatione Definitorum saltem in illo anno in suo robore perduraret, nullatenùs nec supplicationibus, nec precibus, idem Cisterciensis voluit consentire.* 1263. Petitis veniis id est genibus flexis.

Hinc origo litis subsequentis.

Habito igitur cum filiis suis consilio salutari idem Claraevallensis, de consensu omnium filiorum suorum jus suum & antiquam libertatem matris nostrae Claraevallensis attendens, in ipso Capitulo protestatus dixit, propter illius Abbatis amotionem nullum sibi debere praejudicium generari. Vidimus enim quia Cisterciensis Abbas quos vellet posset ponere Definitores, & quos nollet reprobare; posset definitiones facere quales vellet, & ita pro libito subventiones in posterùm exigere, exactiones imponere, jurisdictionem sibi per totum Ordinem vindicare, & sic antiqua Ordinis simplicitas malignorum ambitione multiplici penitùs deperiret, & limitati termini, quos posuerunt Patres nostri, transgressione damnabili minimè curarentur. Quibus de causis & etiam pluribus aliis quae inferiùs describuntur, consuluimus universi Abbates de linea Claraevallensium, ut tantae pestilentiae congruum antidotum quaereretur.

Pontificatus, nimirum Maciovicensis.

Ecce interim Domnus Claraevallensis mandato Summi Pontificis compellitur ad Pontificatús *dignitatem, quod mira & occulta Dei dispositione factum esse creditur, ut honestiorem & manifestiorem occasionem haberet ad curiam accedendi, quam quidem dignitatem Domnus Claraevallis tanquam homo humillimus & religiosissimus recipere minimè acquievit. Sed audiens quod Cisterciensis Abbas mandati esset Apostolici executor, festinatè viam eundi ad Curiam Romanam aggressus, jam sex dietas itineris confecerat, cùm ecce duo Abbates missi ex parte Abbatis Cisterciensis ad pedes montium invenerunt eum, exhibentes ei duo Paria literarum, in quibus Cisterciensis excommunicabat in scriptis, nulla monitione praemissa, pretermisso juris Ordine, eundem Claraevallensem, nisi tertia die pro quibusdam negotiis, ut scribebat, ad Cistercium compareret. Claraevallensis verò nil motus talibus, utpotè homo constantissimus & ordinatus, se literatoriè & humiliter excusavit, dicens quòd cùm ad Curiam accedere disponeret prò absolutione impositi oneris obtinenda, & pro filiabus suis quae sunt in Italia visitandis, & jam magnam partem itineris confecisset, non poterat sine magno detrimento & scandalo dimittere iter ceptum, & ideò supplicabat omni humilitate quâ poterat; quatenùs suam excusationem legitimam acceptaret; & ita infecto negotio ad quod illi duo venerant Abbates, ad propria redierunt. Domnus autem Claraevallis vocaverat nos ut essemus participes itineris illius & laboris. Venientes igitur ad Curiam Romanam insimul post multas fatigationes & difficultates permaximas, tandem absolutionem obtinuit ab Episcopatûs regimine quam petebat.*

Innotuit, nempe per praedictum Philippum Claraevallensem.

Innotuit post haec Summo Pontifici, quòd Ordo noster quoad plures articulos Reformatione indigeret, propter tyrannicas oppressiones & graves insolentias aliquorum Abbatum, qui ad cedendum turpiter & injustè suos filios compellebant; parentes suos & alios sibi favorabiles, vitiosos; ignominiosè depositos & malae famae homines, loco utilium personarum contra volantatem Conventuum intrudentes. Innotuit etiam eidem Summo Pontifici Conventus Ordinis in pluribus locis, suis liberis electionibus defraudatos per Patres Abbates, & personas honestas Religiosas & utiles indebitè refutari. Tempore etiam Visitationis honestos & utiles domibus Monachos contra voluntatem proprii Abbatis & consilii sanioris cum suis sarcinulis saepiùs emitti, nulla rationabili causa existente. Gravationem etiam domorum intellexit Summus idem Pontifex occasione plurium equitaturarum in Ordine suboriri, scandala non curari, dissentiones augeri, novitates obrepere, fervorem minui, augmentari dissolutiones, remitti vigorem monasticae disciplinae.

Vix tanta credi possunt in Ordine & de Ordine in

In Capitulo etiam Generali animadvertit Statuta edi & inutilia, & grave inferentia Ordini nocumentum, sicut & illud, ut de aliis taceatur, de

inquisitionibus committendis, licet de novo incœperunt plura scandala generari, cùm per tales commissiones inquisitionum aliquibus malevolis injunctas auctoritate Capituli Generalis, multorum jam fuerit innocentia supplantata; Percepit insuper idem Summus Pontifex, quòd visitatio Cisterciensis superficialis tantùm esset, cùm quatuor primi ibi ad visitationem convenientes, nihil possent aut auderent corrigere, nisi de Domni Cisterciensis beneplacito & assensu, cùm idem Cisterciensis tempore visitationis sedem primam teneat, & usurpativè correctiones faciat, pœnitentias injungendo: Et si aliquid fuerit contra voluntatem ipsius Cisterciensis attentatum, comminationes Visitatoribus inferuntur, & ex defectu debitæ correctionis, domus illa Cisterciensis in abyssum debitorum multoties corruit, de quibus onerari sæpè oportuit Ordinem universum. His & pluribus aliis rationibus imò enormitatibus, quas nimis longum esset præsentibus inserere, licet multiplices sint & graves, excitatus Summus Pontifex, post longos tractatus de conscientia Religiosorum & majorum Fratrum suorum Cardinalium, honestos & discretos famâ religionis, experientiâ & ætate grandævos, reverentiâ præcipuos, Dominum Episcopum Trecensem Abbatem Majoris-Monasterii, & Confessorem Regis Franciæ, Reformatores nostri Ordinis & Inquisitores instituit, ut per tractatus pacificos & viam concordiæ, si posset fieri, nostrum Ordinem, appellatione postpositâ, reducerent ad cursum solitum & antiquum.

quo tanta sanctitas & tot sancti etiam tunc temporis floruerunt, ut testes sunt Iacobus de Vitriaco & Stephanus Tornacensis, illius Ævi scriptores.

Domnus autem Morimundi *cùm tenorem Rescripti Apostolici Inquisitoribus destinati pleniùs intellexisset, nihilque fictitium, nihil adinventitium vel mendosum in eo perspexisset, pro se & pro tota Generatione sua literas adhærentiæ nobis dedit, reformationi Ordinis consentientes totaliter & præcisè; ita quòd sumus modò tres partes totius Ordinis in hoc negotio concordantes, absque illis qui sunt de alia quarta parte qui nobis occultè favent, & quidam etiam manifestè. Vnde non credimus quòd sit Conventus in toto Ordine nisi unus, scilicet Conventus Cisterciensis; nec aliquis Abbas, nisi fortè viginti vel circiter qui non adhæreant toto corde.*

Domnus autem Morimundi, Nicolaus tempore hujus nominis primus ex Monacho præ[illegible] Monasterii assumptus an. D. 1263.

Cæterùm, cùm assignatâ die, & partibus convocatis ad preces & instantiam Domini Regis Franciæ, *tractaretur de pace in aliquibus Articulis, fuit ex utraque parte concordatum & in aliquibus contradictum, & præsentibus quindecim Abbatibus & ampliùs, Electo Macloviensi & Episcopo Bajocensi ex parte Regis ad tractandum de pace specialiter deputatis, Abbas Cisterciensis coram omnibus* petiit jurisdictionem & correctionem culparum, & curam animarum per Ordinem universum, *& fuit ista petitio sigillata de mandato Cisterciensis Abbatis, & ab Abbate Claravallensi omnino contradicta; sic enim Cisterciensis celare non potuit virus pestiferum quod latebat in corde, sed crepuit in audientia talium & tantorum, & sic errore deceptus, contra se omnes Patres Abbates totius Ordinis provocavit.*


Domini Regis Franciæ. Is fuit S. Ludovicus Francorum Rex hujus nominis IX.

Petiit jurisdictionem, &c. Hæc ab eo tempore usque in hodiernum diem inter Abbates huius Ordinis jurgiorum causa, ob eandem super universum Ordinem ab Abbatibus Cistercii jurisdictionem, tunc primùm expetitam, ac subinde paulatim, Generalium Mendicantium æmulatione, aliqua jam ex parte præreptâ.

Cùm verò die assignata coram Reformatoribus & Inquisitoribus, cum aliquantis Abbatibus & sexdecim advocatis sæcularibus Cisterciensis Abbas comparuisset, & mandatum Apostolici audivisset, & ei facta fuisset copia Rescripti Apostolici; & Claravallensis ac Morimundensis, qui secum habebant circiter duodecim Abbates & nullum penitùs Advocatum, obnixè supplicassent petitis veniis, *ut juxta mandatum Apostolicum in commisso sibi negotio procedere non differrent: Cisterciensis Abbas, qui præ cæteris reformationem & bonum statum Ordinis quærere debuisset, consilio Advocatorum deceptus, frivolam quandam & nugatoriam appellationem cùm legisset coram executoribus mandati Apostolici, de nocte effugit, & exinde ad Curiam est profectus. Executores verò nostri frivolæ appellationi & tergiversationi minimè deferentes, in negotio totaliter juxta formam sibi traditam processerunt, & relationem super*

iis que à majoribus & sanioribus Ordinis per sacramentum invenerunt, diversis in locis & diversis personis, miserunt ad Curiam per nuntios speciales, post quos ivit Domnus Claravallis & nos post ipsum, audituri & recepturi, Deo propitio, quod ad decus Ordinis & decorem antiquum & pacem cedere debeat animarum. Hæc autem vobis scripsimus, ut vobis aliud referentibus non credatis, quia vobis, licet breviter, rei intimavimus veritatem. De cætero, quia res vestra & totius Ordinis agitur, vel ad confusionem perpetuam, vel ad exaltationem perpetuò duraturam, devotissimis orationibus, negotium quod habemus præ manibus, muniatis, orantes pro nobis & orari devotiùs facientes. Bene valete. Legatur hæc Epistola in omnibus Capitulis Generationis nostræ ubi fieri poterit opportunè. Datum apud Claramvallem anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo quarto in crastino Natalis Domini.





INSTRVMENTA
DISCEPTATIONIS ABBATVM ORDINIS CISTERCIENSIS SVB VRBANO IV.

BREVE APOSTOLICVM *ROMANI PONTIFICIS VRBANI IV.*

PRO DIRIMENDIS ET COMPONENDIS sine strepitu juris quibusdam primorum Abbatum Cisterciensis Ordinis Controversiis.

Vrbanus IV. patriâ Campanus ex Vrbe Trecensi oriundus, Iacobus Pantaleo nuncupatus; pauperis quidem Sutoris filius, sed ob præclaras animi dotes primùm quidem Archidiaconus Laudunensis ac subinde Leodiensis, tum Episcopus Virdunensis ac posteà Episcopus & Patriarcha Hierosolymitanus, tandem creatus est Summus Pontifex an. Dom. 1261. sub finem mensis Augusti. Is verò, quem nonnulli Cisterciensis Ordinis habitum in Monasterio Fossæ-Novæ suscepisse volunt, à Philippo Claræuallensi Abbate persuasus, has (utcunque tamen vera essent quæ ipse resciverat) prædicto Ordini quasi ad laxamentum aut ruinam properanti sublevando ac reformando literas concessit.



RBANVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, Venerabili Fratri Episcopo Trecensi, & dilectis filiis Abbati Majoris Monasterii Turonensis, & Fratri Gaufrido de Bello-loco Ordinis Prædicatorum, Salutem & Apostolicam Benedictionem. In summi Apostolatûs specula disponente qui summa potest, licet immeriti, constituti, velut speculatores in domo Domini levamus

ANNO Dom. 1264. Cistercii 166.

in circuitu oculos; ut speculantes undique circumspiciamus gregem nobis commissum, illumque solerti studeamus vigilantia custodire: circa quem Pastoris gerentes officium, nosmetipsos in uigiles deputamus excubias, ne leo rugiens, qui circuit quærens quem devoret, eidem gregi quicquam inferat læsionis. Licet autem commissa nobis ex alto potestatis Ecclesiasticæ plenitudo nos constituat omnibus debitores: tamen ad Ordinem Cisterciensem eò diligentiùs aciem nostræ considerationis extendimus, quò majoris coruscat privilegio sanctitatis, & quo magis Virtutum domino displiceret, si massam Charitatis ejusdem Ordinis alicujus fermenti contingeret infici pravitate. Cum enim idem Ordo præfulgidus illustret immensi nitore luminis aulam Dei, ne illud nubes operiat, sollicitum est studium per Sedis Apostolicæ providentiam exhibendum.

Sanè audivimus & dignè materiam turbationis habemus, quòd Ordo Cisterciensis divinitùs institutus, non solùm minoris solitò diligentiæ cura dirigitur, imò etiam nimia negligitur incuria status ejus, & ab ipsius directo regimine damnabili negligentia deviatur. Nam licet idem Ordo à sui fundamenti primordiis, per primitivos ejusdem Ordinis Patres munitus & ordinatus extiterit Regularibus Institutis, quæ *Charitatis Charta*, in eodem Ordine communiter nominantur, quibus sydereo semper fulgore præfulsit in Ecclesiæ firmamento; Eodem tamen Ordine jam Capitis sentiente languorem, ad membra ejus dolor immergitur, hactenùs dolere non solita, totius compagine corporis solida dudum, sine macula persistente. Hæc si quidem Charitatis Charta veluti tabula testamenti instituta à prædictis Patribus, & à nonnullis prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus solenniter confirmata, de modo eligendi Cisterciensem Abbatem, & quibus, vacante Cisterciensi Monasterio, cura ejus immineat, necnon de Visitatione Cistercii, & aliis ad hæc pertinentibus formam continet salutarem, à qua utique, sicut fertur, præsumptuosa temeritate receditur, & ejus observantiæ præsumptione temeraria derogatur.

Nota. Ex testimonio hujus Pontif. usque ad illius tempora, Ordinis Cisterciensis *compaginem sine macula persistisse, & membra ejus eatenus dolere non solita* etsi *in Capite*, id est in primis illius Superioribus *sentiret languorem*; ex eo quòd limites uniuscujusque illorum jurisdictioni à Charta Charitatis præscriptos transgrederentur.

Quanquam enim in eisdem Statutis contineatur expressè, *quòd cum idem Monasterium Abbate vacare contingit, quatuor primi Abbates ejusdem Ordinis provideant & sit super*

per eos cura domûs illius, donec in ea fuerit Abbas electus & etiam institutus: Prædictum verò Abbatem, dicti quatuor & aliqui ex aliis Coabbatibus suis qui de corpore Cistercii prodierunt, & quos iidem primi Abbates ac dicti Monasterii Fratres idoneos esse cognoverint; certa die congregati pro futuri substitutione Pastoris, juxta præscriptæ Chartæ tenorem eligere debeant, & eidem Monasterio providere per electionem canonicam de Abbate; tamen ab hujusmodi forma satis deformiter est recessum, quia nec primi quatuor, nec alii Coabbates tractatui ejusdem electionis intersunt; nec ad id etiam requiruntur, imò Prior ejusdem Monasterii diem ad eligendum præfigere, ac Abbates, quos sibi forsan circa suum propositum sperat fore propitios, convocare præsumit; & tandem contra prædictam Charitatis Chartam per Priorem & Monachos dictæ domûs electione præsumpta, dicti primi quatuor electionem taliter celebratam impugnare minimè permittuntur, nec sic electam, licet sit minus idonea, reprobare personam; sed quantumcunque fuerit in persona electâ & in electionis forma peccatum; nihilominùs tamen oportet quòd hujusmodi electio sortiatur effectum.

Iacobus II. Cistercii contra hanc formam, ut supra notavimus, à solis Monachis Cistercii fuerat electus.

Præterea Cisterciensis electus sic assumptus curam à nemine recipit, sed tantummodò sigillum suscipit à Priore: propter quod religiosarum mentium penetralia anxiæ dubitationis pungens subintrat aculeus, & frequenter inter Fratres ejusdem Ordinis dubitatur, an idem Cisterciensis Abbas de ipsis forsan curam non habeat; & per consequens cum opus esset curare non posset eosdem.

Hinc & alius error subsequitur, videlicet quòd Abbas Cistercii qui est pro tempore, à jugo regiminis quando vult nullius interveniente auctoritate se eximit; illud motu proprio, sigillo dumtaxat super Altare posito, dimittendo; per quod non est dubium & utilitati Ordinis detrahi, & tam animarum saluti, quæ absque Pastore dimissæ faciliùs insidiatorum morsibus exponuntur, quàm Iuri derogari; cum se abdicando quis sibi commissum imperium non amittat.

In Visitatione verò Cistercii præmissis detrahi non modicum dicitur Institutis. Nam si quando Visitatores, prout ipsorum officium exigit, & hactenùs juxta Instituta præ-

dicta fieri consuevit, diem ad visitandum Monasterium prædictum assignant: idem Abbas Cistercii in dictorum quatuor primorum Abbatum & intentionis eorum elusionem, non sine gravi ipsorum præjudicio, statuti diei assignationem immutat; & si quando fortasse conveniunt eo tempore, memoratus Abbas qui fuerat visitandus, pro suo arbitrio in Capitulo & visitatione partes Præsidentis usurpans, officium Visitatoris exercet, emergentia negotia expedit, pœnas infert, absolutiones indulget, & pœnitentias juxta suæ arbitrium voluntatis injungit, nonnunquam minas ipsis Visitatoribus incutit quas interdùm exequitur, pœnas eis nihilominùs inferendo. Sicque Visitatorum Iurisdictio eluditur, & inutilis reddita debito frustratur effectu, nonnulla maleficia impunita necessariò relinquuntur: & sicut pluries accidisse dicitur, præfatum Cistercii Monasterium necessariæ correctionis & visitationis debitæ carentia, sæpè in abyssum corruit debitorum, ex quorum gravi pondere totum oportet interdum Ordinem onerari.

In Capitulo quoque Generali, ubi Abbatum Congregatio inibi ex more convenientium, universum Ordinem repræsentat; & ubi de observatione Regulæ, de commodo Charitatis & pacis, ac de animarum salute, juxta præfatæ Chartæ Charitatis tenorem, debet tractari: Statuta eduntur inutilia, juri contraria, & grave inferentia Ordini nocumentum. Porrò quia non solum per malum & inordinatum Pastorum ingressum, verùm etiam per egressum similem seu depositionem eorum, qui utiliter & laudabiliter præsidebant, dictus Ordo miserabilia jam detrimenta sustinuit: de inordinatis institutionibus & destitutionibus Abbatum rumor frequenter ascendit ad Capitulum Generale, ac super hoc tandem, Inquisitoribus contra formam solitam deputatis, nonnunquam evenit, quòd sine sufficienti vel justa causa, viri probatæ virtutis & laudabiliter in ministerio administrationis experti, non sine gravi Ordinis dispendio deponuntur. Cæterùm in Definitoribus eligendis, quorum interest statum totius Ordinis per Definitionum remedia, cùm expedit, reformare: per eundem Cistercii Abbatem prædictis quatuor primis Abbatibus antiqua libertas & consueta licentia denegatur, ita ut ipsi

nec nominare Definitores hujusmodi, sicut consueverunt, nec eligere liberè permittantur, propter quod in Generali Capitulo excitari dissensiones incipiunt, & gravis materia scandali suscitari.

His illud grave nimis & intolerabile ac dispendiosum adjicitur, quòd Cisterciensis Abbas quantumcunque diversis temporibus in visitationibus, electionibus, depositionibus, vel quovis alio modo etiamsi in Capitulo Generali delinquat, nullatenùs proclamatur, nec ejus excessus, licet ex prædicta Charta Charitatis aliud habeatur, ibidem ab aliquo vel aliquibus corriguntur; sicque frequenter evenit, quòd languescentis Capitis morbus in corpus effluit, diversisque gravantur membra languoribus capite non curato.

Ad hæc tam dictus Cisterciensis quàm nonnulli alii Patres Abbates, qui se debent speculum & exemplar Religionis & abstinentiæ Claustralibus & visitandis Fratribus exhibere, sumptuosas faciunt, sicut fertur, & curiosas expensas: carnibus in Monasteriorum Cameris nec debilitatis, nec infirmitatis urgente necessitate vescuntur cum multitudine sociorum, contra Regulæ præceptum, Statuta Patrum, & ipsius Ordinis honestatem, ac grave scandalum plurimorum. Aliàs quoque in suis processibus, nec jus Ordinis nec ordinem juris observant. Nam Electiones Abbatum quantumcunque canonicas unanimiter & concorditer de personis idoneis celebratas, pro libito suæ voluntatis impugnant, personas approbatas utiles & honestas ex confictis reprobando sine aliqua examinatione defectibus, & indebitè recusando, ac inverecundè ponendo maculam in electis. Circa eligendos autem se malitiosè gerentes, Electoribus minas & terrores incutiunt, nec quiescunt donec inutiles, damnosos, & quandoque sinistræ opinionis homines, consanguineos, domesticos, aut alios eorum benevolentiam obtinentes, eligi faciant aut intrudant.

Abbates insuper quos innocentia propria probat insontes, minarum eorundem Patrum Abbatum illatione perterriti, & aliàs ipsorum malitiosis involutionibus circunventi, nonnunquam inviti cedere compelluntur. Et si forsan aliquis velit apud illos juris præsidio relevari, omnis ei

in hoc via præcluditur, & juſtitiæ remedia denegantur. Nam ſi petat articulos ſuper quibus debet haberi proceſſus vel copiam atteſtationum productorum teſtium contra ipſum: in his ejus petitio non auditur nec admittitur, ſuper objectis licet probata non ſint, oblata prorogatio nec ad Superioris audientiam permittitur appellare. Contingit etiam quòd per inquiſitiones clandeſtinas & ſuſpectas quæ interdum ab ipſo Ciſtercienſi, & nonnullis Patribus Abbatibus attentantur, vel etiam nulla inquiſitione præmiſſa, cauſa imò potius occaſione conficta, perſonæ utiles & honeſtæ ſuis dejiciuntur honoribus, à locis & adminiſtrationibus deponuntur, nullo contra eos vitio comprobato, imò de puritate vitæ ac meritis converſationis honeſtæ laudabili eis teſtimonio ſuffragante.

Præterea idem Ciſtercienſis & nonnulli alii Patres Abbates, filios Abbates indifferenter ſine cauſa evidenti vel juſta & eorum Monachos, cum in ipſos ſecundùm antiquam Ordinis conſuetudinem niſi viſitationis tempore juriſdictionem non habeant, citare coram ſe extra proprias Abbatias, & excommunicare, ſuſpendere, interdicere, ac aliàs animadvertere præſumunt in ipſos, & eis frequenter nulla alia citatione ſeu competenti monitione præmiſſa, in virtute obedientiæ, & ſub pœna excommunicationis *latæ ſententiæ*, quòd ad ipſos accedant vel quid aliud faciant, præcipere non verentur. In cumulum autem malorum & illud accidere dicitur, quòd cum aliquod ipſius Ordinis Monaſterium vacare contingit, dictus Ciſtercii Abbas ſigillum ejuſdem Monaſterii recipit, ipſumque nullis ſeris incluſum, Ciſtercium pro ſua voluntate deportat, retinendo ſub umbra cuſtodiæ ipſum ſigillum ad libitum, donec ſit vacanti Monaſterio de Abbate proviſum. Ex quo tam circa obligationes falſas & clandeſtinas, quàm circa alia multa poſſent provenire pericula ejuſdem Ordinis Monaſteriis & perſonis.

Nota. Hæc omnia, utcunque vera eſſent, non ſpectaſſe mores ſed regimen dumtaxat Ordinis ſub Abbate Ciſtercii Iacobo ſcilicet hujus nominis ſecundo.

In his quidem & aliis per quæ, ſicut audivimus, ipſius Ordinis ſplendor caligine infamiæ ac detractionis obducitur, inficitur puritas, gloria maculatur; Nos qui ad eundem Ordinem more pii Patris afficimur, ad ipſum gerimus paternæ compaſſionis affectum. Audivimus enim & veriſimiliter creditur, quòd dum tam cæteris ejuſdem

Ordinis Institutis & Consuetudinibus approbatis, quàm prædictæ Chartæ Charitatis detrahitur, Fratrum charitas vulneratur, subit eorum corda discordia, & qui habitare debuerant in concordiæ unitate concordes, in votorum diversitate discordant, pax extinguitur, accenduntur fomites odiorum, quies Claustralibus debita, in inquietudinem transiens redditur inquieta, cedit silentium in murmurationum susurria & tumultus, sanctæ contemplationis otium impeditur.

Propter quod salubrem ipsius Ordinis statum plenis desideriis affectantes, ac intendentes sic agrum ejus excolere, quòd idem Ordo evulsis inde spinis & tribulis, sparsisque in eo virtutum seminibus, amabilium & acceptorum Domino fructuum affluat ubertate: Dilectioni vestræ in virtute obedientiæ per Apostolica Scripta firmiter præcipimus & mandamus, quatenùs vos vel duo vestrûm personaliter ad præfatum Cisterciense Monasterium, vel ad alia loca quæ ad hæc videritis opportuna accedentes, & habentes præ oculis solum Deum, inquiratis super præmissis & aliis gravaminibus & injuriis à dicto *Cisterciensi* illatis, ut dicitur, tam Monasteriis quàm personis, nec-non & super aliis in quibus similiter Ordinem ipsum audieritis deformatum, sublato appellationis diffugio & absque judiciorum strepitu, sollicitè veritatem. Et convocatis tam Patribus Abbatibus quàm aliis personis ejusdem Ordinis, quorum præsentiam ad hoc videritis opportunam, studeatis Ordinem ipsum per tractatus pacificos & viam concordiæ in præmissis, si Dominus dederit, reformare: Contradictores per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Nonobstantibus quibuslibet consuetudinibus vel Statutis contrariis indictione pœnæ, vel quacunque alia obligatione seu comminatione vallatis; etsi dicatur in eisdem quòd contra ipsa vel aliquod eorum nullus impetret literas Apostolicas, vel à quocunque impetratis seu concessis utatur: ad quæ dilectum filium Abbatem Claravallensem & adhærentes eidem in hujusmodi prosecutione negotii, ac cæteros prosecutores ejusdem volumus non teneri, seu quibuslibet privilegiis, indulgentiis aut aliis literis eidem Ordini vel quibuscunque personis ipsius sub quavis forma verborum ab Apostolica Se-

A dicto Cisterciensi. Vel ex hoc patet, hæc omnia supra memorata à solo Cisterciensi Abbate vel introducta, vel præsumpta.

de conceſſis ; de quibus quorumque toto tenore mentiò fieri debeat ſpecialis , & per quæ præſentium effectus impediri valeat vel differri : aut ſi aliquibus eſt à præfata Sede conceſſum , quòd interdici & excommunicari nequeant vel ſuſpendi. Et indulgentia tibi fili Gaufride vel Fratribus tui Ordinis ab eadem Sede conceſſa , quòd vos intromittere minimè teneamini de cauſis vel negotiis quæ vobis per literas Apoſtolicas committuntur.

Quòd ſi forſan in ejuſdem Ordinis reformatione pacifica , aliqua ſe difficultas ingeſſerit : vos tam ea quæ per hujuſmodi fuerint inquiſitionem inventa , quàm & vias , ſi quas nobis ad ipſius Ordinis tranquillitatem & pacem hujuſmodi tractatus aperient , nec-non & cætera omnia quæ in hac parte duxeritis facienda in ſcriptis redacta , nobis ſub ſigillis veſtris per fidelem nuncium mittere procuretis : præfixo , tam eidem Patri Abbati quàm aliis de quibus videritis expedire , termino peremptorio competenti ; quo per ſe vel per idoneos procuratores noſtro ſe conſpectui repræſentent ; audituri & recepturi quod ad Dei laudem & gloriam ac fidelem ejuſdem Ordinis ſtatum circa præmiſſa, divinâ cooperante clementiâ, duxerimus ſtatuendum. *Datum apud Urbem veterem Idus Martii , Pontificatûs noſtri anno tertio.*

ANNOTATIO.

Theſauro virtutũ ſic præclara veſtra Religio ſuum ſemper aſtrinxit affectum , quòd habetur & in conſpectu Regis æterni placita , & in oculis hominũ gratioſa. Ipſa quidẽ ut columba mitis & humilis , & electa Domini ſpecialis pulchra per totum aſpicitur, omnem à ſe rugam enormitatis abjiciens , & maculã deformitatis excludens , vigilantibus illis qui paterna ſollicitudinu in ea gerant

EN , optime Lector , quô paucorum annorum ſpatio devenit Ordo Ciſtercienſis , interim dum inter ſe de mutua juriſdictione rixantur primarii illius duces. Quis crederet ? Crede tamen , & luge Ordinem quem paulò ante , anno ſcilicet milleſimo ducenteſimo quadrageſimo ſecundo Innocentius IV. tantoperè commendaſſet ac ſpeciali diplomate , ob eximiam perſonarum ipſius ſanctitatem ac ſingularem Superiorum vigilantiam , ab omni aliena viſitatione & correctione exemptum voluiſſet , unius aut alterius Abbatum ejus interveniente diſcordiâ , extraneis judicibus amandatum. Mirare , inquam , Ordinem , ex quo , eodem Innocentio teſte , aliis Ordinibus Reformationis beneficium proveniſſet , alienæ jam inquiſitioni ac reformationi ſubjectum , etſi nihil adhuc per annos centum quadraginta & quod excurrit , vel admodum nihil laxamenti in moribus incurriſſet , ſed nec in regimine , ſi ſolas illas rixas exceperis.

Enimverò , ut hos nævos in eum irrepſiſſe non diffitemur, ſic eum in cæteris integrum perſeveraſſe contendimus , toto illo ſecundo illius ſæculo. Nam à diebus Sancti Bernardi nunquam in majori ſanctitatis exiſtimatione fuiſſe , teſtes ſunt *Stephanus* Epiſcopus Tornacenſis & *Jacobus de Vitriaco* Cardinalis. Nunquam verò plures in eo Sanctos floruiſſe argumento ſunt (ut cæteros taceam) Sanctus *Petrus de Caſtro-Novo* qui ſub Albigenſium perſecutione primus hæreticæ pravitatis inquiſitor & Martyr occubuit. Sanctus *Guillelmus* ex Abbate Caroliloci Archiepiſcopus Bituricenſis : *Joannes de Monte mirabili* Longipontis Monachus : *Theobaldus de Marliaco* Vallium Sernaii Abbas : Sanctus *Martinus* Epiſcopus Saguntinus ; ac inter Moniales Sanctæ Lutgardis *Juliana* Cornelienſis , *Hyldegardis* , *Hedwigis* & *Francha*. Inter Converſos *Simon* Monaſterii Alnenſis & *Arnulphus* Villarienſis. Quid plura ? non ſolùm per illud tempus ex eodem Ordine plures Sancti in Cœlum evolarunt , ſed & plures ex univerſis ferè mundi partibus in hujus Ordinis ſinum tanquam in

azylum sanctitatis se receperunt. Hoc animo ad Pontigniacum *Maugerus* Episcopus Vigorniensis & S. *Edmundus* Archiepiscopus Cantuariensis ambo exules confugerunt. Eodem animo & iisdem temporibus *Adamus* Morinorum Episcopus vir sanctissimus ad Claramvallem: *Valdemarus* Canuti Regis Daniæ filius & Episcopus Sleuvicensis ad Lucellam: *David* Cassiliensis Archiepiscopus ad Cistercium Monachi mox futuri se contulerunt. Et quod mireris teste Matthæo Paris, *Principum Maximus & mundi stupor Fridericus* Imperator hujus nominis II. *Divina gratia prævalente anno* 1250. *absolutus à sententia qua innodabatur & mirè compunctus, assumpto Cisterciensi habitu obiit.*

Iisdem etiam temporibus anno scilicet 1244. Sanctus *Ludovicus*, suffragia & societatem seu fraternitatem Ordinis ambiens, Cistercium & Cisterciense Capitulum Generale unà cum Matre, Vxore & Liberis adiit: Ibique ab ejusdem Capituli Generalis Abbatibus genuflexis exoratus, ut Innocentium IV. Romanum Pontificem ad ipsum confugientem, Majorum suorum exemplo peramanter susciperet, ac ab injuriis prædicti *Friderici* Imperatoris vindicaret: Rex ipse sanctissimus positis, & ipse quoque ad terram genibus, quod postulabatur promisit. Sanè, ut ad plura non excurram, nunquam Ordo ipse Cisterciensis ferventiùs aut frequentiùs quàm per hæc tempora Ecclesiæ Catholicæ collaboravit. Atque ut Innocentii III. Gregorii IX. Innocentii IV. & Alexandri IV. tempora sileam, solus Honorius III. plusquàm centum & quadraginta sive Abbates sive Monachos Cistercienses ad Ecclesiæ negotia procuranda adhibuit; adeò ut nihil nisi per Cistercienses tunc fermè egerint Romani Pontifices.

Mitto plures Cardinales & Episcopos longè plures, * imò & duos Summos Pontifices, nimirùm Gregorium VIII. & Cælestinum IV. ex eodem Ordine per hæc tempora assumptos: inter quos annumerandus veniret *Conradus* ex Abbate Cistercii, Cardinalis Episcopus Portuensis, nisi postulatus & electus obstitisset, & hunc honorem in Cardinalem Hugolinum deflexisset.

* Vide *Ferdin. Vgell.* in sua Ital. Sacra. *Angel. Manriq.* in an. Cisterc. & Dominum *Aubry* in sua Historia Cardinal.

officium, quod ibidem nullæ possint vitiorum spinæ subcrescere, sed ipsa florum honoris et fructuũ honestatis immarcescibili polleat ubertate. Propter hanc etenim sanctæ operationis effectũ, nunquam Ordo veller officio alienæ Visitationis vel correctionis indiguit, sed de ipso aliquibus aliis reformationis beneficium ex providentia Sedis Apostolicæ jam provenit. Cum itaque nos qui ex hujusmodi virtuosis actibus spiritu in Domino exultamus, claris cognoscamus indiciis dictum Ordinem esse aliis rectæ vitæ speculum & salutiferæ conversationis exemplum, quod ipse sicut olim sic & in posterùm ab ejusdem dumtaxat Abbatibus ac Monachis idoneis (quos vos filii Abbates ad hoc provideritis deputandos,) & à nullo alio visitari possit aut corrigi, auctoritate præsentium duximus statuendum. Hæc Innoc. IV. de Ord. Cisterc. ann. 1244. ab eod. Ord. condito an. 146. & ante Constitutionem seu Breve supradictum Vrb. IV. ann. circiter 20.

EPISTOLA

Vrbani IV. Papæ ad Episcopum Lingonensem Philippi Abbatis Claraevallis Conservatoria.

VRBANVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, Venerabili Fratri Episcopo Lingonensi, Salutem & Apostolicam Benedictionem. Circa curam Gregis Dominici nobis, disponente, Deo commissi, Pastoralis officii debitum Apostolicæ celsitudinis studium adhibentes, ad statum Cisterciensis Ordinis quem in nonnullis articulis correctione ac reformatione nuper audivimus indigere, aciem nostræ considerationis direximus. Et dantes intentam operam, prout nobis ex alto permittitur, quòd in solita charitatis & unionis fraternæ soliditate persistat, ac ipsius Ordinis dispendiis obviare volentes, inquisitionem & reformationem super prædictis, cer-

tis personis quas ad id fore speramus idoneas, per nostras literas duximus committendas.

Verùm ne pro eo quod dilecti filii Claravallensis, Savigniacensis & Carevallensis Abbates ac nonnulli adhærentes eis de procuranda & prosequenda ejusdem Ordinis pace ac tranquillitate solliciti circa prædicta operam dedisse creduntur, dilectus filius Cisterciensis Abbas contra ipsos, rancore concepto, ipsos in suis administrationibus vel quocunque alio molestare, ac ipsorum statum quomodolibet immutare vel perturbare aut aliàs inquietare præsumat: Nos eis paterna sollicitudine præcavere volentes, ne prædictum negotium contingat exinde quomodolibet impediri, tenore præsentium inhibemus, ne dictus Cisterciensis Abbas vel quis alius auctoritate ipsius, vel Capitulum Generale ipsius Ordinis, Claravallensem, Savigniacensem, Carevallensem Abbates & adhærentes prædictos in personis, dignitatibus, administrationibus & officiis eorum seu aliàs hujusmodi, pendente negotio, molestare præsumat. Nos enim quicquid contra præsentis inhibitionis nostræ tenorem præsumptum fuerit, ac specialiter omnes suspensionis, excommunicationis vel interdicti, ac etiam privationis vel amotionis sententias, si quas medio tempore contra præfatos Abbates & adhærentes, vel eorum aliquem per dictum Cisterciensem Abbatem vel ejus auctoritate, seu prædictum Capitulum Generale sine speciali mandato Sedis Apostolicæ, plenam & expressam faciente de præsentibus mentionem, proferri; nec-non & processus alios, si quos contra inhibitionem eandem haberi contigerit: ex nunc omninò viribus carere, ac nullius decernimus existere firmitatis.

Quocirca fraternitati tuæ per Apostolica Scripta mandamus, quatenùs per te vel per alium seu alios non permittas prædictos Claravallensem, Savigniacensem & Carevallensem Abbates & adhærentes ipsis, dignitatibus, administrationibus, seu officiis eorum contra inhibitionis & constitutionis nostræ tenorem, à prædictis Cisterciensi Abbate seu Generali Capitulo vel ipsorum auctoritate, hujusmodi pendente negotio, molestari, & molestatores per censuras Ecclesiasticas, appellatione postpositâ, compescendo. Nonobstantibus, si aliquibus à Sede Aposto-

Apostolica sit indultum quòd excommunicari vel interdici nequeant aut suspendi, per Apostolicas literas non facientes plenam & expressam de indulto hujusmodi mentionem, seu quibuslibet privilegiis, consuetudinibus vel Statutis dicti Ordinis quarumvis pœnarum adjectione vallatis, etiamsi dicatur in eis, quòd contra ipsa vel eorum aliquod nullus impetret literas Apostolicas, vel à quocunque impetratis vel concessis utatur, & qualibet alia indulgentia dictæ Sedis generali vel speciali concessa Ordini vel personis, per quam eisdem Abbatibus & adhærentibus vel aliquibus eorum posset super præmissis aliquod obstaculum interponi, & de qua in nostris literis habenda sit mentio specialis. *Datum apud Vrbem veterem decimo quinto Kal. Aprilis Pontificatûs nostri anno tertio.*

EPISTOLA

Vrbani IV. ad Philippum Claravallis Abbatem Electum Macloviensem.

Mandat ei ut electioni de se factæ consentiendo, subeat regimen Macloviensis Ecclesiæ.

VRBANVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, Dilecto filio Philippo electo Macloviensi, quondam Abbati Monasterii Clarævallis Cisterciensis Ordinis, Salutem & Apostolicam Benedictionem. Fili ad notitiam tuam præsentium tenore deferimus, quòd Macloviensis Ecclesia Pastoris solatio destituta, Capitulum ipsius Ecclesiæ vocatis omnibus qui voluerunt, debuerunt & potuerunt commodè interesse, die ad eligendum præfixâ convenientes in unum, & habentes de futuri Pontificis substitutione tractatum; tandem duas electiones in discordia celebrarunt: quibusdam ex ipso Capitulo consentientibus in Dilectum filium Magistrum *Petrum Bonjour* Capellanum nostrum, Camerarium venerabilis fratris nostri Tusculani Episcopi: reliquis verò in Dilectum filium *Gaufridum* Archidiaconum ipsius Ecclesiæ conferentibus vota sua.

Hujusmodi ergo negotio per appellationem ad Sedem Apostolicam legitimè devoluto, dictus Magister Petrus

nolens ambitiosè cum aliquo de Episcopali dignitate contendere; electioni de se factæ taliter non consensit. Præfatus autem Archidiaconus, licet sui juris prosecutioni aliquandiu institisset, demùm tamen videns quòd prædicta Ecclesia gravia ex longiori vacatione incurrere poterat; tam in spiritualibus quàm in temporalibus detrimenta, & volens propter hoc magis ipsius Ecclesiæ commodis quàm propriæ utilitati consulere: Ius, si quod sibi fuerat per electionem hujusmodi acquisitum, in nostris manibus spontè ac liberè resignavit.

Nos verò hujusmodi resignatione ab eo receptâ, volentes eidem Maclovienſi Ecclesiæ sic vacanti de persona idonea celeriter & salubriter providere: cepimus cum Fratribus nostris diligenter de ipsius Ecclesiæ provisione tractare. Et quanquam multæ personæ famosæ, scientiâ præditæ ac honestate præclaræ nobis nominatæ fuerint, quæ suis pensatis meritis; & dignæ forent, & reputarentur idoneæ ad obtinendum ejusdem Ecclesiæ Præsulatum: quia tamen delectabilis odor integræ famæ tuæ, ac amœna vitæ tuæ fragrantia velut ardentium fumi aromatum in conspectum nostrum per multorum fide dignorum testimonium suaviter ascenderunt; in te nostros convertimus oculos nostrumque direximus animum, ac præelegimus te ad exequendum in ipsa Ecclesia Pontificalis dignitatis officium: Et de personâ tua Ecclesiæ providentes eidem, te illi præfecimus in Episcopum & Pastorem; firmâ spe fiduciâque conceptâ, quòd tuæ circumspectionis industriâ, Ecclesiam ipsam in spiritualibus & temporalibus, auctore Deo, multipliciter augmentabit. Et ecce quidam ex Canonicis ipsius Ecclesiæ cum opportunis tibi ad hoc Apostolicis literis latorem præsentium è vestigio subsequuntur.

Cùm igitur divinæ in hoc dispositioni te non deceat quomodolibet obviare, discretioni tuæ per Apostolica scripta in virtute obedientiæ districtè præcipiendo mandamus, ac sincerâ, qua te in Domino Charitate complectimur, suademus; quatenùs contrariis dissuasionibus nullatenùs acquiescens, provisionem hujusmodi de te factam, de cœlesti & Apostolico favore confisus, sublato cujuslibet obstaculo difficultatis acceptes, ac divino & nostro in

hoc beneplacito te coaptans, eidem provisioni devotâ promptitudine ac promptâ devotione sententias reverenter suscipiendo, cum fiducia impositum à Domino tibi onus, & submittendo fortitudinis tuæ collum ad hujusmodi sollicitudinis sarcinam mente stabili deferendam. Sicque curam & administrationem ipsius Ecclesiæ diligenter geras, & salubriter ac utiliter exequaris, ut eadem Ecclesia sub tua vigilantia votivis amplificetur commodis, & optatis, cooperante Domino, consurgat augmentis: Tuque sicut servus fidelis & prudens probatus in pauca fidelis, constitui merearis à Domino super multa. *Datum apud Vrbem veterem decimo quinto Kalendas Novembris Pontificatûs nostri anno tertio.*

EPISTOLA
Vrbani IV. Ad Iacobum Abbatem Cistercii.

Mandat ut Philippum Abbatem Claraevallis ad suscipiendam curam Ecclesiæ Macloviensis compellat.

VRBANVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, Dilecto filio Abbati Cistercii, salutem & Apostolicam Benedictionem. In humeris Apostolicæ servitutis, &c. *Et infrà.* Nos igitur ad ipsam Ecclesiam paternæ pietatis oculos dirigentes, ac volentes opportuna solicitudine præcavere, ne prolixioris dispendia vacationis incurrat, consideravimus ad regimen ipsius Ecclesiæ dilectum filium Fratrem Philippum Maclovienſem electum tunc Abbatem Claraevallis fore multipliciter utilem, cùm habeatur bonitate conspicuus, honestate præclarus, sollicitudine circumspectus, & aliàs diversis virtutibus insignitus. His itaque digna consideratione pensatis, de ipso Ecclesiæ Macloviensi duximus de Fratrum nostrorum consilio providendum, ipsum de plenitudine potestatis Apostolicæ præficientes in Episcopum & Pastorem; sperantes quòd eadem Ecclesia per suæ circumspectionis industriam in temporalibus & spiritualibus salubria, Deo dante, suscipiet incrementa. Ideoque sinceritatem tuam rogamus & hortamur attentè, per Apostolica tibi Scripta mandantes, quatenùs eundem Electum, quòd regimen Ecclesiæ

prædictæ suscipiat, exhortationibus opportunis inducas, & ad id tam nostrâ quàm tuâ, si necesse fuerit, auctoritate compellas. *Datum apud Vrbem veterem 15. Kal. Novembr. Pontificatûs nostri anno tertio.*

EPISTOLA

Iacobi Cistercii Abbatis, Beraldo Abbati Maceriarum.

Mandat ei ut compellat prædictum Claravallensem ad susceptionem Episcopatûs.

VENERABILI & in Christo Charissimo Beraldo Coabbati suo de Maceriis, Frater Iacobus dictus Abbas Cistercii, salutem & sinceram in Domino Charitatem. Cum Pater sanctissimus Summus Pontifex nobis miserit Scripta sua, in quibus nobis præcipit, quòd venerabilem Coabbatem nostrum de Claravalle inducamus ad susceptionem Episcopatûs Ecclesiæ Macloviensis ad quam est electus, vel etiam, si necesse fuerit, auctoritate Sedis Apostolicæ & nostrâ, modis omnibus compellamus. Nos propter infirmitatem corporis impotentes ad mandatum Apostolicum exequendum: Rogamus vos benignè vobis mandantes, quatenùs vice nostra, quam vobis in hac parte committimus, dictum Electum ad susceptionem dicti Episcopatus inducatis efficaciter, & eum, si necesse fuerit, auctoritate Summi Pontificis & nostrâ ad id compellatis modis omnibus vice nostra. Damus autem vobis potestatem plenariam faciendi omnia ad istud negotium pertinentia, quæ nos si essemus præsentes facere valeremus. *Datum anno Dom. 1263. in festo B. Thomæ Martyris.*

EXECVTIO PRÆDICTI MANDATI.

Beraldus seu Gerardus iste fuit 14. Abbas Maceriarum.

HVIVS igitur auctoritate mandati, Nos Frater Beraldus dictus Abbas Maceriarum vos Domne Philippe Claræ-vallis Abbas monemus, rogamus, exhortationibus opportunis inducimus, & in virtute obedientiæ & sub interminatione excommunicationis injungimus, quatenùs regimen Macloviensis Ecclesiæ suscipiatis. *Datum an. Dom. 1263. in die Epiphaniæ apud Villam-Novam super lacum Lausonæ.*

RESPONSIO

Philippi Claraevallis Abbatis suprascriptae Iussioni.

CORAM nobis de Maceriis Abbate Cisterciensis Ordinis executore, à Venerabili Patre Domno Cistercii Abbate tam auctoritate Apostolicâ quàm suâ, literatoriè deputato: proposuit Domnus Philippus Abbas Claraevallis, quòd cum ipso esset in prosecutione itineris sui ad Sedem Apostolicam, pro impetranda absolutione seu relaxatione obedientiae seu curae Episcopatûs Macloviensis à Summo Pontifice sibi nuper injunctae, & usque ad Villam-Novam super lacum Lausonae in prosecutione dicti itineris processisset; cum etiam causâ visitandi Abbatias filias Claraevallis in Lumbardiam intenderet proficisci, nec sine magno incommodo posset intermittere ceptum iter: petebat à nobis & instantiâ quâ poterat supplicabat, quatenùs contra ipsum nihil attentare vellemus, per quod iter praedictum impediri aut retardari deberet.

Petiit etiam à nobis, ut si contra ipsum vellemus procedere: autentici seu literarum Apostolicarum, quarum auctoritate uti intendebamus, copiam faceremus eidem, & transcripta earum traderemus ei nostro sigillata sigillo.

Dixit etiam & respondit, quòd monitioni ipsi factae à nobis praecisè non contradicebat, nec consentiebat eidem: quia super absolutione dictae obedientiae intendebat gratiam Summi Pontificis impetrare si posset, prout superiùs est expressum.

Nos autem dictus Abbas de Maceriis, huic responsioni suae sigillum nostrum apposuimus in testimonium veritatis. *Actum in dicta Villa-Nova die Epiphaniae anno Dom.* 1263. Nos etiam de Quinciaco & de Bono-Monte dicti Abbates ad preces & instantiam dicti Domni Claraevallis Abbatis in veritatis testimonium sigilla nostra praesentibus duximus apponenda. *Actum ut suprà.*

EPISTOLA
Iacobi Cistercii Abbatis, ad Philippum Claræuallensem.

Mandat ei ut sibi occurrat apud Cistercium.

I. CITATIO.

VENERABILI & in Christo Charissimo Philippo Coabbati suo de Claravalle, Frater Iacobus dictus Abbas Cistercii, salutem & sinceram in Domino Charitatem. Auctoritate Domini Papæ nobis in hac parte commissâ & nostrâ, in virtute obedientiæ & sub pœna excommunicationis *latæ sententiæ* si huic mandato non obedieritis, districtè præcipimus, quatenùs omni occasione & excusatione postpositâ, in octava Epiphaniæ instantis, ad nos apud Cistercium veniatis. *Datum Pontigniaci Dominicâ proximâ ante Circumcisionem anno Domini* 1263.

EIVSDEM AB EODEM.
II. CITATIO.

VENERABILI & in Christo Charissimo Philippo Coabbati suo de Claravalle, Frater Iacobus dictus Abbas Cistercii, salutem in Domino sempiternam. Auctoritate Apostolicæ Sedis nobis in hac parte commissâ & nostrâ, vobis in virtute obedientiæ & sub pœna excommunicationis *latæ sententiæ* si huic mandato non obedieritis, districtè præcipimus, quatenùs nobis in octavis Epiphaniæ apud Cistercium occurratis, alioquin contra vos tanquam inobedientem & contumacem procedere minimè differemus. *Datum Pontigniaci anno Dom.* 1263. *in festo S. Thomæ Martyris.*

EIVSDEM AB EODEM.
III. CITATIO.

VENERABILI & in Christo Dilecto Coabbati suo Philippo de Claravalle, Frater Iacobus dictus Abbas Cistercii salutem. Cum de magnis & arduis negotiis vo-

biscum tractare habeamus, vobis in virtute obedientiæ & sub pœna excommunicationis *latæ sententiæ*, si huic mandato nostro non obedieritis, præcipimus & mandamus, quatenùs nobis apud Cistercium in octavis Apparitionis occurratis: tunc enim & de dictis negotiis & de Visitatione Cistercii nos poterimus expedire. Viam autem eundi ad Curiam vobis interdicimus & inhibemus in virtute obedientiæ, & sub pœna excommunicationis *latæ sententiæ*, si mandato nostro duxeritis resistendum. *Datum Pontigniaci anno Dom.* 1263. *in festo sancti Thomæ Martyris.*

EPISTOLA

Iacobi Cistercii Abbatis, Priori & Officialibus Monasterii Claravallis.

Vnde suprà.

FRATER Iacobus dictus Abbas Cistercii, Dilectis in Christo filiis Priori Claravallis vel tenenti Conventum ejusdem domûs, Suppriori, Cellerario, medio Cellerario, Portario, Bursario, Sacristæ, Infirmario & Magistro Conversorum, Salutem in Domino sempiternam. Cùm de magnis & arduis negotiis habeamus tractare cum Abbate vestro, & ipse irrequisitâ licentiâ nostrâ festinet ire ad Curiam: præcipimus vobis omnibus & singulis in virtute obedientiæ, & sub excommunicationis *latæ sententiæ* pœna; si statim non obedieritis, quatenùs visis præsentibus vel audito tenore earum fideliter laboretis; ita quòd citatio quam Frater Galterus Monachus noster lator præsentium tradet vobis vel alicui vestrûm, Abbati vestro per fidelem & expeditum nuntium ubicunque fuerit, quantò expeditiùs fieri poterit, transmittatur. Tibi autem, fili Prior, vel ei qui tenet Conventum, eadem districtione præcipimus, quatenùs venias ad nos apud Fontenetum feriâ sextâ ante Apparitionem Domini, nobis quid super his factum fuerit relaturus. *Datum Pontigniaci anno Dom.* 1263. *Dominicâ ante Circumcisionem.*

ORATIO

Philippi Abbatis Claraevallensis habita coram Vrbano Papa & Cardinalibus pro abdicando Episcopatu Macloviensi.

QVONIAM, ut ait Beatus Augustinus, bonorum ingeniorum insignis indoles, est in verbis verum amare non verba: Senecâ etiam attestante qui sic ait; Oratio quæ veritati dat operam, incomposita debet esse & simplex. Hinc est quòd juxta cujusdam Legislatoris exemplum, verborum inanium excludimus captiones superfluas, præfationes commendatitias, adulatorias, pomposas, monasticæ vitæ repugnantes, respuimus. Veniá igitur petitâ, in præsentia præcipui Patris patrum, principale propositum propalabo: supplicans eidem Patri, nec-non & Patribus conscriptis ipsius Coadjutoribus fidelibus Fratribus & amicis, ut nostris sibi præcognitis dignentur annuere piis votis. Est autem intentionis meæ articulus principalis: quòd cum mihi, Pater sancte, administrationem Episcopatûs Macloviensis duxeritis injungendam, ex intimis cordis affectibus sanctæ paternitati vestræ humiliter supplico & devotè, quatenùs excusationes meas quantùm ad hoc, & rationes super hoc inferiùs assignandas, exaudire velitis, humilem & utilem petitionem meam affectu paterno favorabiliter prosequentes.

Sunt etenim tres præcipuæ & ut videtur necessariæ rationes, quibus à suscipienda ejusdem Ecclesiæ cura possim & debeam rationabiliter & efficaciter excusari. Prima est scripti juris auctoritas. Secunda juris districtio naturalis. Tertia favorabilium & piissimarum precum pia viscera pii Patris pulsans imò cogens humilitas. Auctoritas scripti juris propositum meum adjuvat in hac parte; quia ut dicit Beatus Gregorius, sicut justum est ut nemo crescere compellatur invitus: ita censendum puto ne quisquam insons Ordinis sui ministerio dejiciatur invitus. Si igitur justum est ut crescere non compellar, consequens est injustum esse si crescere, hoc est, de Monachatu ad Præsulatum ascendere

74. D. C. Gesta.

ascendere cogar invitus: nec etiam à ministerio Claræ-vallensis regiminis sine culpa mea debeo dejici, ut ultima pars auctoritatis insinuare videtur. In quodam etiam prædecessorum vestrorum canone memini me legisse, quòd ipse contra Archiepiscopum Ravennatem, super hoc quod ipse quendam invitum ordinaverat in Episcopum, invehitur ita dicens. *Denuntiamus autem quod si post hoc aliquid tale præsumpseris, & aliquem sive Episcopum sive Presbyterum vel Diaconum invitum fortè credideris ordinandum: ordinationes tibi Ravennatis Ecclesiæ noveris auferendas.* Apparet igitur quòd ille Archiepiscopus subditum ad susceptionem Episcopatûs cogere non debuit, cùm ex illo facto, cum pœnæ interminatione à Summo Pontifice severiter fuerit reprehensus. Præterea cùm ad Episcopatum vocatus, ad docendi seu prædicandi officium sublimetur, & dicat Beatus Hieronymus (Monachus ipse & Monachorum doctor, speculum & exemplar) *quòd Monachus non docentis, sed plangentis habet officium, qui vel se vel mundum lugeat, & Domini pavidus præstoletur adventum:* apparet quòd si Episcopatum susciperem, & ab eo quod mihi incumbit recedere comprobarer, & alienum officium usurparem. Ad quod accedit auctoritas B. Gregorii dicentis. *Nemo potest Ecclesiasticis obsequiis deservire & in Monastica Regula ordinatè persistere, ut ipse districtionem Monasterii teneat, qui quotidie cogitur in ministerio Ecclesiastico permanere.* Cùm igitur juxta auctoritatem prædictam sese non compatiantur Ecclesiastica administratio, & Monastica disciplina: (maximè his diebus quibus circa prælationes, jurisdictiones, possessiones & litigiorum disceptationes & his similia, Ecclesiæ viget occupatio, fervet zelus) non debeo, ut videtur, cogi suscipere Episcopatum, qui mihi vel auferat vel minuat Monachatum. Hæc de juris auctoritate ad præsens sufficiat expressisse: salvis tamen in omnibus Summi Pontificis plenariâ potestate, & illorum reverentiâ & honore, quos Dominus ita suæ benedictionis rore perfudit, ut sciant manum ponere in ambobus, & ita *illud facere*, id est, Monasticum, ut *istud*, id est, Ecclesiasticum *non omittant*; isti enim à dicta regula canonum prædictorum excipiuntur, non sub ejusdem vinculis constringuntur.

74. D. C. ubi ista.

XVI. Q. 1.

Ibid.

Ratio juris naturalis auctoritate quoque fulcita, sufficiens etiam & ipsa videtur, ut Episcopatum suscipere non compellar. Quia cùm dicat Apostolus, *qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat:* Et Beatus Augustinus scribat Apostolum exponere voluisse quid sit Episcopatus, quia nomen est *operis* non *honoris;* græcum enim est nomen inde dictum, quòd ille qui præficitur, illis quibus præficitur superintendat, curam illorum gerens: ut intelligat se non esse Episcopum, qui præesse diligit non prodesse. Et rursùm, cùm Abbas Claraevallis majorem & diffusiorem operis curam gerat, quàm Episcopus Macloviensis; magis etiam Monacho conveniat Monachorum cura, quàm sæcularium, præsertim cùm & regulariter vivere, & regulariter regere valeat greges suos: apparet quòd suscipiendo Episcopatum, non desiderarem sed potiùs desererem *bonum opus:* Et potiùs viderer (quòd avertat Altissimus) ambitiosè appetere fastigium dignitatis & declinare observantias regulares, quàm gregi Dominico superintendere, & ipsi debitam impendere servitutem. Terribiliter etiam noster Chrysostomus ore suo aureo intonat auribus Monachorum. *Quicunque desideraverit primatum in terra, inveniet confusionem in cælo: nec inter servos Christi computabitur, qui de primatu tractaverit.* Et iterùm. *Nec unusquisque festinet quomodo aliis major appareat, sed quomodo omnibus inferior videatur: quoniam non qui major fuerit in honore, hic justior; sed qui justior, ille major.* Unde festinare debemus, ut inferiores apparere possimus; & nos qui terrena reliquimus ut ad cœlestia festinemus, primatum in terris modis omnibus fugere debemus: ne fortè in ipsum, unde surrexisse confidimus, relabamur. Præterea rationabile non videtur, ut ego de loco meo ad alium transferar ita citò; cùm illuc me de alio loco, ubi non multo tempore steteram, *nuper transtulerit* obedientia regularis: Senecâ dicente. *Nusquam est qui ubique est. Non coalescit planta quæ sæpè transfertur.* Non etiam esset rationabile tot & tales filios, imò tot utriusque sexûs millia personarum proprio Patre invitos orbare, & de ipso aliis paucioribus providere: cùm etiam lex mundana durum reputet & iniquum separari invitos filios à parentibus, vel è contra.

VIII. Q. I.

LX D. cap. multi Sacerdotes.

Nuper transtulerit, ex Monasterio scilicet Fulcardimontis ad Monasteriũ Claraevallis.

Nec est contrarium intentioni meæ illud quod legitur in quodam canone. *Sicut locus regiminis desiderantibus negandus est, ita fugientibus offerendus* Item nec illud. *Sicut qui invitatus renuit, quæsitus refugit, sacris Altaribus est admovendus: sic qui ultro ambit vel importunum se ingerit, est procul dubio repellendus.* Nec lex illa quæ dicit. *Invitatus refugiat, rogatus discedat: nec erit dignus Sacerdotio nisi fuerit ordinatus invitus.* Nam hæc omnia intelliguntur secundùm determinationem Sanctorum Gregorii & Augustini, quorum primus dicit. *Sicut toto desiderio debemus occupationem fugere; ita si desit qui prædicet, occupationis onus libenti necesse est animo subire.* Cùm igitur non desit qui prædicet, apparet quòd ad officium prædicandi non debet non prædicator invitus urgeri. Et alter, scilicet Beatus Augustinus. *Otium sanctum quærit gratia veritatis, negotium justum suscipiat necessitas Charitatis.* Iam igitur suscepto à me necessariò Charitatis officio, durum nimis & asperum videretur, quod propter incognitos mihi forsitan pauciores, tot & tales relinquerem chariores, non sine derogatione justi negotii.

VIII. Q. I. C. in scripturis. I. Q. VI.

Tertia ratio ad hoc ipsum, erit favorabilium precum humilitas à pio Patre nullatenùs repellenda. Iustas enim & pias preces non exaudire non licet. Sic enim Beatus Innocentius Papa sentire & consentire videtur, cùm ait. *Pro vestra ergo, Charissimi Fratres, & sententia & postulatione Episcopum habetote Fontinum, licitum est ita constituere ut deprecamini; nostram in melius conversam sententiam labori vestro & testimonio competentem suscipite*, &c. Ecce propter instantiam precum Romanus Pontifex sententias majorum suorum resolvit, condemnato veniam præbet, absolutum petentibus restituit. Si ergo iste Innocentius nonobstantibus quibuscunque difficultatibus Episcopum restituit Clero postulanti, quantò facilius erit pietati paternæ suis Religiosis pueris Clarævallensibus suum nec damnatum, nec adhuc translatum dimittere qualemcunque Pastorem? Et ad hoc facit id quod Beatus Gregorius scribit Desiderio Episcopo dicens. *Cùm multa nobis de vestris studiis fuissent nuntiata, ita cordi nostro innata est lætitia, ut negare ea quæ sibi vestra fraternitas concedenda deposcit minimè valeremus.* Prædecessorum igitur vestrorum, pie Pa-

XXXV. Q. IX. c. Veniam.

XXX. VI. D.

ter, piis vestigiis inhærentes, filiis vestris ClaræVallensibus tam bonis, tam caris, tantisque eorum obsecrationibus pium velitis præbere consensum, & utinam sicut Innocentius dixit *vestrum habetote Fontinum*, & vos ipsis dicatis *vestrum habetote Philippum*: Et cum Beato Gregorio eorum preces non admittere vos arbitremini non valere. Illum utinam specialis dilectionis affectum exhibentes eisdem, & eam ipsis gratiam impendentes quam Beatus Gregorius cuidam Monasterio Francorum concessit, cujus Abbatem in Episcopum nullatenùs eligi permisit, ne fortè occasione Episcopatûs Monasterium aliquod detrimentum pateretur. Ecce enim casus nostro consimilis, imò idem; & utinam quod Beatus Gregorius fecit Monasterio supradicto, vobis placeat vestræ facere Clarævalli in signum specialis & præcipuæ charitatis, quæ circa vos est coronæ Fratrum quasi plantatio cedri in Monte Libano. Sic enim de quodam alio Summo Sacerdote & ei assistentibus in Ecclesiastico legitur. His itaque prælibatis vobis, sanctissime Pater, vero & sincero affectu supplico humiliter & devotè, quatenùs me ab administratione prædicta & injuncta mihi obedientia, non tam propter rationes allatas (cùm præter potestatem Iuris vos fatear habere plenitudinem potestatis) sed propter innatam & datam à Deo vobis benevolentiam & vestræ viscera pietatis, me liberaliter absolvatis, ut ad charissimos filios vestros Claræ-Vallenses cum gaudio spirituali revertar, præmisso nihilominùs præcursore qui ipsos de gratia sibi facta à vobis lætificet & confortet, quos in recessu meo reliqui miserabili mœstitudine & irremediabilibus lacrymis fatigatos. Scimus etenim quod ipsi numerant dies absentiæ nostræ sicut legitur de Parentibus junioris Tobiæ. Cæterùm si propter novitatem meam & officium insuetum in prædictis excedendo deliqui, pro excessu peto misericordiam, & veniam pro defectu.

XVI. Q. c. hic est.

EPISTOLA

Prioris & Monachorum Cœnobii Claravallensis ad Theobaldum Regem Navarræ.

Vt ejus apud Romanum Pontificem interventu, eorum Abbas Philippus ab Episcopatu suscipiendo excusetur.

ILLVSTRISSIMO & specialissimo Domino suo Theobaldo Dei gratiâ Regi Navarræ, Prior Claravallensis, & universi Claravallenses: Salutem & pio patrocinio consulendo æternæ vitæ præmia promereri, & à Rege Regum sui Regni gubernaculo fœliciter in Domino pace perpetua stabiliri. Dominationem vestram credimus non latere quot & quantas adversitates & tribulationes nos vestri pueri tam pro cessione seu amotione Patris & Abbatis præcedentis, quàm pro vocatione præsentis pertulimus his diebus. Nunc verò quod ad cumulum nostræ perturbationis accedit, Dominus Papa, nescimus quo spiritu seu consilio ductus, hunc Pastorem nostrum nobis cum instantia & difficultate concessum nuper quem vix valuimus obtinere, & quem nobis utilem credimus & necessarium nec-non & Ordini universo, nobis auferre intendit & transferre ad Pontificis dignitatem, videlicet ad Macloviensis Ecclesiæ Præsulatum, prout exhibitor præsentium vobis dicet. Unde cùm nos devoti vestri, si ipsius dilectissimi Pastoris nostri, cujus fama vobis innotuit, providentia privaremur, irremediabiliter turbaremur: circa successoris verò provisionem non minorem, immo longè majorem, ut verisimiliter suspicamur, molestiam pateremur, quàm circa provisionem istius, de quo loquimur, Patris nostri, cui nihil opponi poterat sustinuimus paulò ante: Clarissimam & nobis Charissimam Dominationem vestram ad pedes Regiæ dignitatis flexis genibus & fusis lacrymis, votivis suspiriis humiliter provoluti, per viscera misericordiæ Dei nostri requirimus & rogamus affectu quo possumus ampliori, quatenùs erga Summum Pontificem, erga quem, ut intelleximus, efficacissimam gratiam obtinetis, nec-non & circa alios amicos vestros, efficaciter pium desiderium promovere velitis, ne idem Pastor

noster vobis & Ordini nostro universo, & vobis & Regno vestro necessarius, nobis & vobis ullatenùs auferatur; quod nulla ratione posset contingere, nisi cum turbatione ipsius, & nostra & totius Clarævallensis Generationis, nec-non & cum periculo seu dispendio Ordinis universi. Valete in Domino.

SUBSCRIPTIO QUINQUE ABBATUM filiationis Claravallensis.

Nos autem Trium-fontium; de Igniaco, de Bullencuria, de Ripatorio & de Longo-Vado Abbates, omnibus suprascriptis fidem attestamur, Regiam Excellentiam ex intimis cordis affectibus humiliter exorantes, quatenùs dictorum Prioris & Collegii Clarævallensis, & nostras in hac parte preces devotissimas; favore & exauditione dignissimas dignemini favorabiliter exaudire: super hoc vestri gratia faciente, ut & nobis & Ordini remaneat pius Pastor, Consiliarius prudens pariter ac fidelis; qui & vobis & vestris fideliter serviat & assistat, cùm se locus obtulerit & facultas; & nos qui vestri sumus, pro vobis & vestris orare, & vestræ Dominationi servire ferventiùs & devotiùs teneamur, & universitas Ordinis prædicti Patris patrocinio non privetur; quod ipsi cederet ad irreparabile detrimentum.

EPISTOLA

Philippi Claravallensis ad Coabbates suos & ad cæteros Ordinis Cisterciensis Abbates pro reformatione dicti Ordinis sibi adhærentes.

Rogat ut in fidem prædictæ adhæsionis huic ejus Epistolæ sigilla sua apponant.

VENERABILIBUS in Christo Patribus & Coabbatibus suis universis ad quos præsens Epistola dirigetur, Frater Philippus dictus Abbas Claravallis: Salutem in Domino sempiternam. Cùm juxta canonicas & legitimas sanctiones, quod tangit omnes, ab omnibus debeat approbari, & ubi versatur majus periculum, cautius sit agendum: Hinc est quòd nos experientiâ monstrante

videntes ipsius nostri albi Ordinis, quondam candidæ puritatis, à suis, quod dolentes recolimus, exorbitando principiis, mutari colorem optimum, & in contrarium transmutari, de remedio quærendo curamus; quod quidem periculum, sicut omnes tangit filios Ordinis & alumnos, & eorum mentes metu terribili concutit & percellit: ita ab omnibus Ordinis Pastoribus & Patronis quærenda sunt remedia, & communicanda jam quæsita, quibus occurri valeat & succurri periculis supradictis, ut sic in tam immani & immenso periculo, tantò cautiùs agatur, quantò perniciosiùs pericula negliguntur; & quod tangit omnes amatores Ordinis, ab omnibus communiter approbetur.

Noverit igitur vestra Charitas nobis cara, dulcissimi Patres Ordinis ac Pastores, & maximè vos Beatissimi Bernardi filii & Vicarii speciales, qui suæ videlicet Clarævallensis Generationis ubique mediatè vel immediatè administratis curas, exercentes excubias Pastorales: quòd nos non sine magnis rerum corporis & turbatæ mentis impendio, dispendio & pavore ut singulis singula referantur, fidelissimo ac ferventissimo Coabbate & Coadjutore nostro videlicet Savigniacensi Abbate, nobis semper assistente & communicante consilium & juvamen, Deo propitio & principaliter operante, interveniente nihilominùs nostrorum consilio amicorum, ad ea quæ reformationem nostri Ordinis respiciunt & ad ipsius pertinent bonum statum, per nos & alios erga Summum Pontificem operam dedimus, & ex affectu laboravimus cum effectu. Cujus laboris effectum & fructum in literis Apostolicis usuali radio poteritis intueri, & vobis pleniùs & planiùs declarari poterit organo vivæ vocis. Verùm quia jam factis alia facienda succedunt, rogamus vos in Domino Iesu Christo, per aspersionem sanguinis ejusdem Agni immaculati, in quo lavit nos à peccatis nostris, & in quo laverunt cives cœlestis curiæ stolas suas; & per amorem & zelum quem habetis ad decus Ordinis & decorem, charitatem vestram fiducialiter exhortantes, quatenùs circa reformationem deformitatis prædictæ, & circa restaurationem deperditorum Ordinis, audito priùs & pleniùs intellecto quomodo Deus, cujus providentia in sui dispositione non fallitur, nostræ inten-

tionis proposito jam providit, & illud per ministerium sui Vicarii Domini nostri Summi Pontificis disposuit & proponit, in hoc opere suo, Dei adjutores & nostri cooperatores esse velitis: ut in sancto & honesto nostræ renovationis proposito viriliter persistentes, devotis orationibus & aliis hostiis spiritualibus, consiliis salutaribus, corporalibus etiam laboribus, nec-non & contributione, cùm opus fuerit, substantiæ temporalis, sarcinam oneris incumbentis, juxta consilium *Ietro*, in plures partito onere, leviùs comportemus,

Consideremus igitur, Charissimi, quòd omnes nos experimentali didicimus documento, turbationes & tribulationes in nostro Ordine suboriri, tyrannicas dominationes obrepere, suscitari calumnias, scandala non curari, fervorem remitti, devotionem minui, dissolutiones augeri, nutriri rancores, exerceri vindictas, refrigescere charitatem, honestas inhonestate dehonestari personas, & in locis regiminis irreligiosas & ambitiosas, (ut de turpibus taceamus ad præsens) & prorsus insufficientes intrudi. Ex quibus prædictis deformitatibus nostri conturbantur & contribulantur affectus, animarum nostrarum inquietudinem sustinemus. Ut igitur animabus nostris requiem invenire possimus, Domini nostri Iesu Christi, circa reformationem nostri Ordinis, quem idem Dominus ordinavit, multiplicavit, composuit & ornavit, onus leve tantò leviùs quantò devotiùs comportemus. Quibus deformitatibus emendatis, indubitanter juxta Beati Augustini testimonium, *ordinate in ipso Ordine quiescemus*, eodem Augustino dicente, *minus ordinata inquieta sunt, ordinantur & quiescunt.*

Porrò quamvis de vestra, quantùm ex nobis est, satis simus sinceritate securi; ut tamen aliorum quorumlibet dubitatio & oblocutio conquiescat, & ut alii ad hoc ipsum faciliùs inclinentur, & ut judicum seu executorum nostrorum mentes, ad executionem nostri negotii efficaciùs excitentur: præsentem Epistolam ad vos duximus destinandam, ut in signum & recognitionem approbationis nostri propositi, & quod ratum habeatis & gratum quicquid per nos & per eos, quos in hoc communi negotio elegerimus consiliarios & ministros, fuerit procuratum

&

& rationabiliter ordinatum; & quod vobis placeat nobis assistere in præmissis, & fideliter adhærere & competenter contribuere in prosecutione Reformationis prædictæ, & utilitatis totius Ordinis & honoris ejusdem: & quod ad hoc vos & vestras Ecclesias obligatis, sigilla vestra, si vobis æquum, utile & honestum videbitur, præsentibus literis appendatis: attendentes si placet, quòd ego vester qualiscunque minister intuitu Dei & Ordinis, & vestræ societatis amore, aliqua quæ ab aliquibus non contemnenda videntur, ante ingressum Ordinis à me possessa contempsi, & majora etiam post eundem ingressum mihi nuper oblata cum gravi labore & quasi importuno conamine respuendo rejeci, vobis compatiens, me vobis offerens, pro vobis multis laboribus & nonnullis periculis me exponens. Unde nec decet, nec expedit, nec oportet ut in expeditione vestræ libertatis & pacis, me quasi hominem sine adjutorio dimittendo contemnere, & contemnendo dimittere debeatis.

INSTRVMENTVM ADHÆSIONIS.

NOS autem Abbates, quorum sigilla unà cum sigillo Venerabilis Patris Domni Claræyallensis Abbatis prædicti præsenti schedulæ sunt appensa, eidem Clarævallensi in omnibus prædictis fideliter & firmiter adhærentes, universa & singula suprascripta libenter & liberaliter approbamus: eaque pro bono statu Ordinis rata habemus & grata; & ad executionem seu prosecutionem & completionem prædictorum juxta tenorem præscriptum nos & domos nostras, quantùm secundùm Deum possumus, obligamus specialiter & expresse. *Datum*, &c.

EPISTOLA
Vrbani Papæ IV. ad Iacobum II. Cistercii Abbatem.

Mandat ei in virtute obedientiæ, ut processum contra Abbatem Clarævallensem & ejus Officiales inceptum rescindat, & ne de cætero Reformationem sui Ordinis impedire præsumat.

VRBANVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, Dilecto filio Abbati Cistercii, Salutem

& Apostolicam Benedictionem. Olim inter multa quæ diversimodè sollicitudinis Apostolicæ studia distrahebant; ad Cistercienſem Ordinem qui dicebatur non modicùm in aliquibus deformatus; mentem nostram specialiter convertentes, Venerabili Fratri nostro Episcopo Trecensi & Dilectis filiis Abbati Majoris Monasterii Turonensis & Fratri Gaufrido de Bello-loco Ordinis Prædicatorum; viris utique prudentiâ præditis & discretionis maturitate dotatis, sub certa forma direximus scripta nostra, ut juxta datam eis à Deo prudentiam circa ipsius Ordinis Reformationem intenderent, & ad id operam sollicitam exhiberent. Gerebamus enim in votis & gerimus, ut idem Ordo eò magis præservetur à noxiis & potioribus proficiat incrementis; quò magis coruscat privilegio sanctitatis; & quò illustrat amplioris nitore luminis aulam Dei.

Tu verò ex hoc minùs debita turbatione commotus; ut fertur; nec intentionis nostræ puritatem attendens; quasi molestum tibi foret in hac parte beneplacitum Sedis Apostolicæ; contra Dilectum filium Abbatem Claræval-lensem; qui tanquam vir strenuus; timoratus, Religionis zelator & Ordinis, ceptum à nobis hujusmodi negotium prosequi dicitur, & quosdam Officiales ejusdem hac occasione pro tuæ libito voluntatis ad aliqua diceris processisse, quæ, si vera sint, nobis meritò displicent, & tuæ non modicùm derogant honestati, cùm per ea videaris Reformationem dicti Ordinis impedire.

Unde cum prosperum & pacificum ipsius Ordinis statum plenis desiderare ac promovere tenearis affectibus; per te-ipsum vigilem operam impendendo, ne quicquam in eo deforme appareat vel nocivum: devotionem tuam rogamus & hortamur attentè, per Apostolica tibi scripta in virtute obedientiæ districtè præcipiendo mandantes, quatenùs processum contra dictos Abbatem & Officiales habitum, absque difficultatis obstaculo studeas revocare; nec aliquatenùs impedias quo minùs dicti Episcopus, Abbas & Frater commissi sibi partes officii liberè juxta nostrarum literarum continentiam exequantur: pro certo sciturus, quòd cùm Reformatio dicti Ordinis plurimùm cordi nobis existat, & nostra intersit circa id Apostolicum impartiri favorem, non possemus æquanimiter tolerare,

quin opportunum adhiberemus remedium, si forsan, quod non credimus, inobedientiæ vitio non vitato super præmissis, mandatum Apostolicum præterires. *Datum apud Vrbem veterem quinto Idus Junii Pontificatûs nostri anno tertio.*

EPISTOLA
Vrbani IV. ad Philippum Claravallensem.

Mandat ut negotium dictæ Reformationis viriliter & ex animo prosequatur.

VRBANVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, Dilecto filio Abbati Claravallensi, Salutem & Apostolicam Benedictionem. Olim inter multa, &c. *Vt suprà in præcedenti.* Sed Dilectus filius Abbas Cisterciensis ex hoc minùs debita turbatione commotus, ut fertur, nec intentionis nostræ puritatem attendens, quasi molestum sibi foret in hac parte beneplacitum Sedis Apostolicæ, contra te, qui negotium ipsum prosequi diceris, & quosdam Officiales tuos hac occasione pro suæ libito voluntatis ad aliqua processisse dicitur, quæ meritò nobis displicent, & suæ non modicum derogant honestati, cùm per hoc videatur Reformationem ipsius Ordinis impedire. Quare ipsum rogandum duximus & hortandum, dantes ei in virtute obedientiæ nostris literis, districtiùs in præceptis, ut per seipsum absque difficultatis obstaculo processum hujusmodi revocare procuret; alioquin circa id partes auctoritatis nostræ, sicut expediet, apponemus. Unde tu cùm, veluti vir industrius, Religionis zelator & Ordinis, ac constantiæ virtute munitus, Deo plus quàm homini deferre debeas, &, ut speramus, intendas, cùm etiam in ejusdem prosecutione negotii gratum ipsi Deo reddas obsequium: devotionem tuam rogamus & hortamur attentè, per Apostolica tibi scripta mandantes, quatenùs propter hujusmodi memorati Abbatis molestias non frangaris, nec ab ejusdem negotii prosecutione desistas: quinimò ferventer & prudenter procures, & facias erga illud quod utile fuerit, & secundùm Deum videris expedire. Nos enim hujusmodi & alia præfati Abbatis impedimenta, si opus fuerit, oppor-

Eximia prædicti Philippi Clarævallensis commendatio.

tuno, prout res exegerit, remedio compescemus. *Datum apud Vrbem veterem quinto Idus Junii Pontificatûs nostri anno tertio.*

EPISTOLA
Ejusdem ad eundem,

Vt nonobstante qualibet appellatione subditorum suorum excessus corrigere non desistat juxta sui Ordinis Instituta.

VRBANVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, Dilecto filio Abbati Claravallensi, Salutem & Apostolicam Benedictionem. Ex parte tua fuit propositum coram nobis, quòd nonnulli Abbates tibi subjecti, frequenter, ne ad eorum correctionem prout ad tuum spectat officium procedere valeas, frustratoriæ appellationis obstaculum interponunt; sicque te propter hoc ab hujusmodi correctione cessante, ipsorum excessus remanent impuniti, super quo provideri tibi per Sedem Apostolicam postulasti. Nolentes igitur quòd trahatur ad peccatorum diffugium, quod ad oppressorum subsidium dignoscitur institutum: præsentium tibi auctoritate concedimus, ut appellatione frivolâ nonobstante circa correctionem prædictorum liberè procedere valeas juxta tui Ordinis Instituta. *Datum apud Vrbem veterem quinto Idus Junii Pontificatûs nostri anno tertio.*

EPISTOLA
Ejusdem Vrbani Papæ ad Nicolaum Episcopum Trecensem.

Iubet ut mandatum Apostolicum pro dicti Ordinis Reformatione ipsi directum, abjecta omni cunctatione, exequatur.

VRBANVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, Venerabili Fratri Episcopo Trecensi, Salutem & Apostolicam Benedictionem. Circa reformandum statum Ordinis Cisterciensis, quem audivimus in pluribus deformatum, instantiâ multæ sollicitudinis excitati, ad te tuosque Collegas cum fiducia mentem nostram convertimus, & super ipsius Reformatione Ordinis, vobis sub

certa forma direximus scripta nostra, sperantes quòd cùm in hoc Dei negotium ageretur, mandatum Apostolicum in hac parte sollicitè prosequi & celeriter exequi curaretis. Vos autem sicut accepimus, non sine gravi jactura dicti Ordinis ad quorumdam suggestionem procedere in eodem negotio hactenùs omisistis.

Unde nolentes quòd Charitatis vinculum tam sanctæ Religionis & Ordinis, cujusquam subjaceat dispendio læsionis; vel solitus nitor ejus alicujus deformitatis nebulis obducatur: fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenùs providè pensans quòd cordi gerimus, & inter cætera quæ nobis votiva sunt, specialiter affectamus, ut status ejusdem Ordinis, favente divina Clementia, plenè & solidè reformetur; Te in executione prædicti mandati sollicitum & studiosum exhibeas, & tam tu quàm prædicti Collegæ, sicut caram habetis gratiam Apostolicæ Sedis & nostram, in eodem negotio juxta formam vobis traditam, quibuslibet morâ & difficultate postpositis, procedatis. *Datum apud Urbem veterem Non. Julii Pontificatûs nostri anno tertio.*

EPISTOLA

Ejusdem Urbani Papæ ad Philippum Claraevallensem.

Indulget ipsi & adhærentibus ne cogi possint ad Capitulum Generale Cistercii aut ad alia loca sibi suspecta personaliter accedere durante negotio dictæ Reformationis.

URBANUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI, Dilecto filio Abbati Claravallensi Ordinis Cisterciensis, Salutem & Apostolicam Benedictionem. Nuper ad Reformationem Cisterciensis Ordinis, quem multorum relatione didicimus in pluribus deformatum, sollicitudinis nostræ studium convertentes, Venerabili Fratri nostro Episcopo Trecensi suisque Collegis super Reformatione hujusmodi facienda, sub certa forma direximus scripta nostra. Verùm sicut fide dignorum assertione recepimus, Abbas Cisterciensis cum sibi adhærentibus non veritus patenter ostendere sibi processum Refor-

mationis ejusdem, nostrumque in hoc beneplacitum displicere; sed & molestam ferens Reformationem eandem, & illam diversis modis impediens, prosequentes ipsam persequitur, & tibi potissimè, qui es Religionis zelator & Ordinis, ad prædictam Reformationem tanquam filius benedictionis intendis, tuoque Monasterio ac cæteris tibi in hoc adhærentibus exhibet se multipliciter molestum, non solùm ipsum Monasterium & Officiales ipsius ac prædictos tibi adhærentes per inordinatos gravando processus; sed & in personam tuam struendo, prout fertur, insidias, & si facultas suis adesset ausibus, in eam injuriosæ captionis manus injiceret: sperans quòd, te taliter hujus negotii prosecutioni substracto, nullus de cætero idem negotium prosequi attentaret.

Nos igitur nolentes tam sancto, tam pio deesse negotio, sed potiùs tantis obviare periculis, & opportunum adhibere super his remedium intendentes: devotioni, tuæ ut durante memorato negotio Reformationis hujus, tam tu quàm prædicti adhærentes ad proximum Generale Capitulum dicti Ordinis seu aliàs Cistercium, vel ad alia loca tibi & eisdem adhærentibus suspecta, personaliter accedere minimè teneamini, & ad id compelli minimè possitis absque mandato Sedis Apostolicæ speciali, faciente plenam & expressam de indulto hujusmodi mentionem, auctoritate præsentium indulgemus. Nonobstantibus aliquibus consuetudinibus seu statutis præfati Ordinis, juramento, confirmatione Apostolica seu quacunque alia firmitate vallatis. Nos enim omnes suspensionis, excommunicationis, interdicti seu privationis sententias & quoslibet alios processus, si quos contra hujusmodi indulti nostri tenorem à quocunque promulgari contigerit, decernimus irritos & inanes. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc nostræ concessionis paginam infringere, vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. *Datum apud Vrbem veterem* XVI. *Kal. Augusti Pontificatus nostri anno tertio.*

EPISTOLA

Ejusdem ad eundem & adhærentes ejus.

Ipsis, ne pendente lite, prædictæ Reformationis teneantur contribuere ad expensas ab Abbate Cistercii factas aut faciendas, indulget.

VRBANVS, &c. *ut supra.* Et *infra.* Verisimiliter insuper dubitatur, quòd idem Abbas conceptum contra te ac prædictos adhærentes rancorem; te ac ipsos vestraque Monasteria in expensis & aliis, captatâ si potuerit occasione, gravabit. Ne igitur idem Abbas te ac adhærentes eosdem per hæc & similia gravamina cogat à tam sancti piique negotii prosecutione desistere: devotioni tuæ, ut durante memorato negotio Reformationis ejusdem, contribuere in aliquibus expensis ab eodem Abbate Cistercienſi vel ei adhærentibus factis aut faciendis, nisi pro urgenti necessitate ac evidenti utilitate ipsius Ordinis, ac de totius vel majoris partis ipsius communi consensu & voluntate processerint, minimè teneamini, & ad id compelli aliquatenùs non possitis, auctoritate præsentium indulgemus. Nonobstantibus aliquibus, &c. *ut supra in præcedenti.*

MANDATVM

Iacobi Abbatis Cistercii Abbatibus de Prulliaco & de Barbello.

Mandat eis ut Philippo Claraevallensi Abbati diem dicant qua præsto sit apud grangiam Prulliaci quæ dicitur *des Choux.*

VENERABILIBVS & in Christo charissimis Coabbatibus suis de Prulliaco & de Sacro Portu, Frater Iacobus dictus Abbas Cistercii, Salutem in Domino sempiternam. Rogamus vos vobis benignè mandantes, quatenùs ad Venerabilem Coabbatem nostrum de Claravalle personaliter accedentes, ipsum peremptoriè citare curetis, ut feriâ sextâ ante festum Beatæ *Potentianæ* Virginis XVII. Kal. Iunii in grangia quæ dicitur *des Choux* ad Abbatiam Prulliaci Senonensis Diœcesis pertinente, perso-

naliter compareat coram nobis, tractaturus nobiscum super quibusdam arduis negotiis tangentibus nos & ipsum & nostrum Ordinem universum. Et nihilominùs super his quæ sibi dicentur, prout Statuta Ordinis exigunt, responsurus. Hanc autem citationem peremptoriam facimus, quia negotium celeritatem desiderat, & laboribus personarum Ordinis ac expensis parcere affectamus: Et ut ad hæc exequenda alter *nostrúm* alterum non expectet, quid inde feceritis nobis per vestras literas rescribentes; & eidem nihilominùs injungentes, ut in signum citationis factæ & ab eo receptæ, sigillum suum præsentibus apponere non moretur. *Datum in festo Beati Roberti Abbatis anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo quarto.*

Fortasse vestrûm.

RESPONSUM

Philippi Abbatis Clarævallis prædictæ citationi.

VENERABILI in Christo Patri Domno Abbati Cistercii, Frater Philippus Abbas Clarævallis, &c. Venerabiles & in Christo dilectos Coabbates nostros de Igniaco, de Valleclara, de Valle-Regis ad proponendas seu allegandas causas absentię nostræ, quare videlicet hac die Veneris nostram præsentiam in grangia *des Choux* ad Abbatiam Prulliaci Senonensis Diœcesis pertinente, vestro conspectui minimè præsentamus, ad vos duximus destinandos; quibus super prædictis & super aliis quæ vobis ex parte nostra extra judicium seu extra formam judicii duxerint intimanda, fidem si placet adhibere velitis. *Datum apud Rosarum Monasterium.*

RATIONES ET CAVSÆ

Philippi Abbatis Clarævallis.

Hæ sunt rationes excusantes Abbatem Clarævallis apud Abbatem Cistercii.

DICATIS Domno Abbati Cistercii, quòd nimis arctavit terminum peremptorium, cum inter diem citationis factæ, & diem assignatam ad respondendum, non fuerint

fuerint nisi quatuor-decim dies, nec causa dictæ arctationis sufficiens in dicto citatorio continetur. Præterea in dicto citatorio non continetur causa sufficiens; quare debeamus citari personaliter. Præterea prosecutionem negotii Inquisitionis seu Reformationis in Ordine Cisterciensi faciendæ, & quibusdam certis personis commissæ; & gratiæ à Summo Pontifice super hoc nobis factæ, inniti intendimus & vacare. Circa quam prosecutionem turbari non debemus; nec in aliquo molestari; juxta Apostolicarum continentiam literarum. Sunt & aliæ multæ rationes quas circa hoc, & circa alia nobis & nostris illata gravamina quæ proponemus, si judiciarium subire debemus examen, suo tempori reservamus.

SENTENTIA

Excommunicationis & Interdicti in personas & Conventum Claraevallis à Iacobo Abbate Cistercii lata.

VNIVERSIS præsentes literas inspecturis, maximè personis Ordinis Cisterciensis, Frater Iacobus dictus Abbas Cistercii, Salutem in Domino sempiternam. Noveritis quòd nos ad Abbatiam Claravallis filiam nostram personaliter accedentes gratiâ visitandi, in personas ejusdem Abbatiæ ad dictam visitationem nos recipere recusantes, sententiam inferiùs annotatam in scriptis protulimus in hæc verba.

Nos Frater Iacobus dictus Abbas Cistercii, Te Priorem Claravallis filiæ nostræ Lingonensis Diœcesis; & Cellerarium ac omnes administratores Abbatiæ prædictæ Claravallis; quia nos venientes ad prædictam Abbatiam gratiâ visitandi secundùm nostri Ordinis Instituta, noluistis admittere ad ejusdem visitationis officium exequendum; sed quantùm in vobis fuit, de facto in hac parte nos jure nostro privastis, excommunicamus in scriptis: Conventum verò dictæ domûs scilicet Claravallis, à Divinis suspendimus: Totum Monasterium memoratum supponen-

tes cum Capellis & Oratoriis quæ in eo sunt, interdicto. *Datum in Villa quæ dicitur* Musselevesque, *anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo quarto in festo Apostolorum Philippi & Iacobi.*

MANDATVM

Iudicum à Sancta Sede pro Reformatione Ordinis Cisterciensis delegatorum, ad vocandos in jus Abbatem Cistercii aliosque ejusdem Ordinis Abbates, ut coram prædictis Iudicibus ad constitutam sibi diem compareant, in executionem Brevis seu Rescripti Apostolici ad eos pro eadem Reformatione directi.

NICOLAVS Dei gratiâ Trecensis Episcopus, Stephanus Abbas Majoris Monasterii, Frater Gaufridus de Bello-loco Ordinis Prædicatorum, Dilectis sibi in Christo de Barro super Albam, de Barro super Sequanam, & de Brena Decanis Christianitatis, Salutem in Domino. Mandatum Domini nostri Summi Pontificis recepimus super quibusdam, quæ Domnum Abbatem Cistercii & nonnullas alias Ordinis ejusdem personas, & ipsius Ordinis statum & Reformationem contingunt: ad quod Mandatum exequendum prout in literis Apostolicis continetur, apud Lingonensem civitatem in crastino festi S. *Mariæ Magdalenæ* intendimus convenire.

Quare vobis auctoritate Apostolica nobis in hac parte commissâ mandamus, quatenùs dictum Abbatem Cistercii & ejusdem loci Priorem, nec-non & de Firmitate, de Pontigniaco, de Claravalle, de Morimundo, de Tribus Fontibus, de Maceriis, de Longovado, de Caroloco, de Crista, de Quinciaco, de Valle-clara, de Igniaco, & de Bullencuria Abbates, vos tres vel duo ex vobis, tertio non expectato, in domibus propriis vel ubi eos inveneritis, peremptoriè citetis & moneatis eosdem, quatenùs dictis die & loco infra horam tertiam compareant coram nobis, ut ad executionem mandati ejusdem juxta tenorem ip-

sius, prout Dominus dederit, ratione prævia procedatur. Si verò prænominatas personas commodè nequiveritis invenire, citationes & monitiones prædictas in eorum Abbatiis publicè faciatis, prout juri consonum videritis & consentaneum rationi. Valete in Domino. Nomina citatorum & quicquid inde feceritis, nobis per vestras patentes literas infra dictum terminum significare curetis. *Actum anno Domini 1264. mense Maio.*

RENVNTIATIO
Dictæ citationis factæ.

REVERENDO Patri ac Domino Nicolao Dei gratiâ Trecensi Episcopo, & Viris Religiosis & honestis Domno Stephano Abbati Majoris Monasterii Turonensis, & Fratri Gaufrido de Bello-loco de Ordine Prædicatorum: de Barro super Albam, de Barro super Sequanam & de Brena Decani Christianitatis, Salutem & paratam ad eorum beneplacita voluntatem, cum reverentia & honore. Noveritis nos juxta tenorem literæ mandati vestri ad nos ex parte vestra auctoritate Apostolica literatoriè destinati, ad Religiosos viros de Cistercio, de Firmitate, de Pontiniaco, de Morimundo, de Crista, de Igniaco & de Valle-clara Abbates, & ad Priorem Cistercii personaliter accessisse, & eos omnes (quos in quadam grangia quæ dicitur *les Choux*, ad Abbatiam Prulliaci Senonensis Diœcesis pertinente invenimus congregatos,) de mandato vestro & auctoritate prædicta peremptoriè citavisse, & monuisse eosdem ut in civitate Lingonensi in crastino B. *Mariæ Magdalenæ* infra horam tertiam compareant coram vobis, ut tunc ad executionem mandati Apostolici ad vos directi, juxta tenorem ipsius, prout Dominus dederit, ratione prævia procedatur; & omnia ritè & solenniter complevisse quæ continentur in vestris citatoriis literis ad nos missis, quantùm ad personas superiùs nominatas. Domnum verò Clarævallensem Abbatem ac de Tribus-Fontibus Coabbatem suum, quos apud Rosayum in Bria invenimus, citavimus, & monuimus ut dictis die, horâ & loco compareant coram vobis, juxta formam su-

periùs annotatam. *Actum decimo-quinto Kalendas Iunii videlicet feriâ sextâ proximâ ante Dominicam quâ cantatur* Cantate *anno Domini* 1264.

LITERÆ
Guidonis Episcopi Lingonensis.

Subdelegat vices suas Abbatibus Druensi & de sancto Vrbano, nec-non & Magistro Andreæ sancti Machuti Cantori, pro conservatione Abbatis Clarævallis & adhærentium eidem pendente lite dictæ Reformationis.

GVIDO Dei gratiâ Lingonensis Episcopus, Iudex seu Conservator à Domino Papa datus viris Religiosis Clarævallensi, Savigniacensi, & Carævallensi Abbatibus & adhærentibus eisdem; Viris Religiosis de Monasterio Druensi, & de sancto Vrbano Abbatibus Cathalaunensis Diœcesis, & Magistro Andreæ Cantori sancti Machuti de Barro super Albam, Salutem in Domino. Noveritis nos mandatum Domini Papæ recepisse sub hac forma. Vrbanus Episcopus, &c. *ut suprà.* Quia igitur pluribus & arduis impediti negotiis, executioni præmissorum personaliter ad præsens vacare non possumus: vobis & cuilibet vestrûm in solidum, quantùm ad prædicta, committimus vices nostras, quousque easdem duxerimus revocandas. *Datum anno Domini* 1264. *Dominicâ quâ cantatur* Misericordia Domini.

EXECVTIO
Præcedentis Mandati contra Abbatem Cistercii per Magistrum Andream Cantorem Ecclesiæ sancti Machuti de Barro super Albam.

NOS Magister Andreas Capellanus Domini Papæ, Cantor Ecclesiæ sancti Machuti de Barro super Albam, vices gerens in hac parte Reverendi Patris D. Guidonis Dei gratiâ Lingonensis Episcopi, Iudicis seu Conservatoris à Domino Papa dati viris Religiosis Clarævallensi, Savigniacensi & Carævallensi Abbatibus & adhærentibus eisdem; Vobis Domne Abbas Cistercii auctori-

tate Apostolica inhibitum & constitutum esse nuntiamus, & nos etiam auctoritate prædicta in hac parte nobis commissa, vobis inhibemus sub pœna suspensionis & excommunicationis, si dictam suspensionem per octo dies sustinueritis, quas in vos ferimus in scriptis ex nunc, si contra inhibitionem & constitutionem Apostolicam & nostram venire præsumpseritis: ne pendente negotio inquisitionis dictis personis commissæ, super quibusdam ad Ordinis Cisterciensis Reformationem pertinentibus, vos vel alius auctoritate vestra Abbates Clarævallis, Savigniaci, Carævallis & adhærentes eisdem, in personis, dignitatibus, administrationibus & officiis eorum seu aliàs molestare præsumatis.

Nos enim quicquid contra prædictarum inhibitionis & constitutionis tenorem præsumptum fuerit, & specialiter omnes suspensionis, excommunicationis vel interdicti, ac etiam privationis vel amotionis sententias, si quas medio tempore seu dicto pendente negotio, contra præfatos Abbates & adhærentes prædictos vel eorum aliquem, per vos vel vestra auctoritate, seu per Capitulum Generale dicti Ordinis sine mandato Sedis Apostolicæ, plenam & expressam faciente de literis Apostolicis super hoc dicto Lingonensi Episcopo directis mentionem, proferri: nec-non & processus alios, si quos contra inhibitiones prædictas haberi contigerit, quas sententias & quos processus jam dicta Sedes Apostolica viribus carere decrevit, ac nullius existere firmitatis, denuntiamus non tenere.

Cæterùm, quia post datam dictarum literarum, & etiam post adventum Clarævallensis Abbatis in prosecutione dicti negotii existentis, vos in Priorem, Cellerarium ac omnes administratores prædictæ Abbatiæ Clarævallensis prædicto Abbati suo adhærentes excommunicationis: in Conventum ejusdem domûs eidem Abbati similiter adhærentem suspensionis: in totum memoratum Monasterium, & in Capellas, & Oratoria ejusdem, interdicti sententias de facto tulistis; statum prædictorum, quantùm in vobis est, immutando, de facto & eos sic & aliàs perturbando: vos monemus auctoritate prædicta, quatenùs dictas sententias, quas Dominus Papa jam decernit nullius esse firmitatis, & nos eas prædicta auctoritate denuntia-

mus irritas & inanes, sicut eas de facto tulistis, infra triduum revocetis; & per loca in quibus eas promulgari fecistis seu etiam nuntiari, quamprimùm poteritis revocetis seu revocari faciatis: alioquin vos ex nunc suspendimus à Divinis. Quam suspensionis sententiam si per septem dies sustinueritis, vos ex nunc in scriptis excommunicamus: & tam suspensum quàm excommunicatum nuntiari faciemus, ubi & quando ratione prævia nobis videbitur expedire; processuri ulteriùs contra vos prout dictaverit ordo juris.

Vobis etiam, Domne Cistercii Abbas, protestamur & offerimus, quòd si in aliquo excessimus, vel in aliquo vos gravavimus: parati sumus in continenti excessum corrigere & revocare gravamen, si tamen dicere potueritis de dictis gravamine & excessu. *Datum & actum anno Domini* 1264. *decimo-septimo Kalendas Junii præsentibus de Igniaco, de Valle-clara, de Ripatorio & de Moris Abbatibus, qui sigilla sua unà cum nostro præsentibus apposuerunt in testimonium veritatis.*

EPISTOLA I.

Sancti Ludovici Regis Francorum ad Philippum Claraevallis Abbatem.

Iubet adesse ad diem constitutam pro componendis exortis inter ipsum & Abbatem Cistercii controversiis.

LVDOVICVS Dei gratiâ Francorum Rex, Dilecto sibi in Christo Abbati Clarævallis, Salutem & Dilectionem. Datum est nobis intelligi, quòd gravis suborta est dissensio inter Abbatem Cistercii & vos ac Monasterium vestrum, ex qua grave posset in Ordine vestro scandalum generari, quod quidem nobis plurimùm esset grave. Verùm quia libenter vellemus interponere partes nostras, ad hoc quòd posset sedari hujusmodi dissensio penitùs & sopiri: Rogamus vos quatenùs ad nos veniatis, ita quòd die Iovis proximâ ante Ascensionem Domini Parisiis ad nos sitis; Nos enim Abbati Cistercii mandamus hoc idem. *Datum apud Bellum-montem die Lunæ post Inventionem sanctæ Crucis.*

EPISTOLA II.

Sancti Ludovici Regis Francorum ad eundem.

Rogat ut sententias suspensionis & excommunicationis in Abbatem Cistercii à Decano Barri latas curet revocari.

LVDOVICVS Dei gratiâ Francorum Rex; Dilecto sibi in Christo Abbati Claraevallis; Salutem & dilectionem. Cùm Abbas Cistercii & vos ad certam diem ad nos debeatis personaliter interesse, pro discordiis pacificandis inter vos & ipsum exortis: Rogamus vos & requirimus; quatenùs contra dictum Abbatem nihil interim attentatis, & si quas monitionis, suspensionis, interdicti vel excommunicationis sententias attentari per aliquos procurastis, faciatis & procuretis sine moræ dispendio revocari seu relaxari; ut cùm ad nos venietis, possimus commodiùs & efficaciùs intendere ad pacificandas discordias antedictas. *Datum Parisiis Dominicâ quâ cantatur* Cantate.

EPISTOLA.

Philippi Claraevallis Abbatis ad sanctum Ludovicum Regem Francorum.

Vnde suprà.

ILLVSTRISSIMO Domino suo Ludovico Dei gratiâ Francorum Regi, Frater Philippus dictus Abbas Claraevallis suorum minimus Monachorum: Salutem in eo qui dat salutem Regibus. Sublimitatis vestræ literas recepimus, continentes ut si quas sententias contra venerabilem probatum nostrum Domni Cistercii Abbatem attentari per aliquos fecissemus, eas revocari seu relaxari sine moræ dispendio faceremus, super quo etiam Dignationi vestræ placuit nos rogare. Ad quod Dominationi vestræ nobis Christianissimæ humiliter respondemus, quòd cùm per venerabiles quosdam Coabbates nostros, quos ad prædictum Patrem nostrum Abbatem Cistercii specialiter miseramus, ut nobis voluntatem ipsius Abbatis super revocatione sententiarum, quas tulerat in personas & Mona-

sterium Claræ vallis; prout ipsum per vestras literas rogavistis, referrent, nobis constitisset quòd non acquiescebat vestris precibus in hac parte; executores à judicibus nostris auctoritate Apostolica deputati; metas mandati sibi injuncti transgredi non volentes; officium sibi commissum prout visum sibi fuit, rationabiliter, ut credimus, impleverunt; quo completo, ad propria recesserunt, quorum copiam ad præsens habere non possumus: & etiam si præsentes essent, ad revocandas sententias prædictas compellere non possemus; prout hæc omnia supradicta, Deo dante, vivâ voce pleniùs & planiùs exponemus, hac instanti die Iovis quâ coram vobis debemus Parisiis comparere. Super quo Illustrissimam Dominationem vestram cum omni humilitate & subjectione quâ possumus in Domino requirimus, & rogamus affectu quo possumus ampliori, quatenùs æquanimiter sustinere velitis, si ad præsens pro vobis non facimus quod facere non valemus; cùm illi pro quibus vos rogastis, pro nobis facere noluerint quòd facere potuerunt.

EPISTOLA

Philippi Claræ vallis Abbatis ad Priorem suum.

Certiorem eum facit de compositione inter se & Abbatem Cistercii inita tam super absolutione mutua à Censuris utrinque latis, quàm super aliis quibusdam articulis.

FRATER Philippus Abbas Claræ vallis, Dilecto filio Priori suo; &c. Cum inter Domnum Cistercii Abbatem & nos; super quibusdam sententiis ab ipso in vos & alios administratores domûs nostræ, nec-non & Conventum nostrum & Monasterium, & Oratoria & Capellas; & à Venerabili viro Magistro Andrea Decano Christianitatis Barri super Albam, in eundem Cistercii Abbatem auctoritate Apostolica promulgatis, de Coabbatum nostrorum consilio, intervenientibus viris venerabilibus & discretis ex parte Domini Regis Franciæ ad hoc specialiter deputatis, ordinatum fuit sub hac forma.

CON-

CONVENTIO SUPER ABSOLUTIONE *prædicta.*

CUM Domnus Abbas Cistercii tulerit sententiam excommunicationis in Priorem & omnes administratores Clarævallis, & suspensionis in Conventum, & interdicti in Ecclesiam, Oratoria & Capellas dicti Monasterii; Ad instantiam Electi Macloviensis & Magistri Ioannis Trecensis Archidiaconi Bajocensis, tractantium ex parte Domini Regis super pace reformanda, inter dictum Abbatem & suos ex una parte, & Abbatem Clarævallis & suos ex alia: Actum est pro bono pacis, quòd ad petitionem dicti Clarævallensis, dictus Cisterciensis committeret vices suas & potestatem eidem Clarævallensi relaxandi dictas sententias, vel nullas denunciandi, vel absolvendi ab eisdem, prout inquisitâ de plano veritate, idem Clarævallensis viderit expedire.

Actum est etiam, quòd ad petitionem dicti Cisterciensis, idem Clarævallensis procurabit absque moræ dispendio bona fide, quòd Magister Andreas Cantor Ecclesiæ sancti Machuti de Barro super Albam, executor sive Iudex datus à Reverendo Patre Lingonensi Episcopo, Iudice sive Conservatore dato à Sede Apostolica Abbati Clarævallis & sibi adhærentibus, qui sententias suspensionis & excommunicationis sub certa forma dedit in dictum Cisterciensem, committet vices suas Abbati Firmitatis relaxandi dictas sententias, vel denunciandi nullas, vel absolvendi ab eisdem, inquisitâ veritate de plano prout viderit faciendum. Quòd si de jure non posset committere, idem Clarævallensis procurabit dictam commissionem fieri per Episcopum supradictum.

Actum est etiam, quòd Domnus Cistercii super excessibus & injuriis illatis ei & suis, ut dicitur, à Monachis & Conversis Clarævallis, vel aliquo eorum, eligat unum Abbatem de sua linea, & Clarævallensis alium de sua similiter: & isti duo de plano & sine strepitu juris inquirent de dictis excessibus & injuriis hinc inde commissis, ut dicitur, & facient emendari prout viderint faciendum. *Actum & datum Parisiis anno Domini* 1264. *præsentibus Electo Macloviensi, Magistro Ioanne de Trecis Archidiacono Bajo-*

censi, Venerabilibus Abbatibus de Cistercio, de Firmitate, de Pontiniaco, de Claravalle & de Morimundo.

Nos igitur Frater Iacobus dictus Abbas Cistercii Venerabilem Coabbatem nostrum de Eleemosyna: & nos Frater Philippus dictus Abbas Claraevallis Venerabilem Coabbatem nostrum de Saviniaco eligimus & nominamus ad praedicta, juxta supradictam formam fideliter exequenda, ratum & gratum habituri quicquid per ipsos super praemissis fuerit ordinatum.

ARTICVLI

In pactionem adducti inter Abbates Cistercii & Claraevallis pro Reformatione Ordinis sui in praesentia S. Ludovici Regis Francorum.

De Visitationibus.

Circa hos articulos notandum est Constitutionem subsequentem D. Papae Clemen. IV. ex iis fermè esse confectam.

IN his articulis continetur, primò quòd nullus Pater Abbas vel Visitator proroget vel protelet visitationem suam ultra triduum continuum. Item quòd nullus Visitator Officiales amoveat vel personas emittat, nisi de consilio & consensu proprii Abbatis, & quatuor ad minùs Seniorum domûs. Item quòd nullus inquisitiones clandestinas fiat. Item vacante domo nullus Officiales amoveat. Item citationes personarum sub aliqua comminatione non faciant. Item nullus Abbas tempore visitationis in Abbatia quam visitat carnes comedat, nisi graviter infirmetur. Item assignatio diei ad visitationem Cistercii, ad quatuor primos pertinet absque mutatione aliqua facienda.

De Electionibus.

Item de vacatione Cistercii, infra quatuor dies denuntiabitur quatuor primis. Item ad electiones quatuor primorum Abbatum, assignabitur terminus ad minùs per quindecim dies, ut filios suos possint convocare. Item in omnibus Ordinis electionibus, Prior de consilio Cellerarii & trium vel quatuor Seniorum Electores eliget. Item nullus Pater Abbas Electores de caetero poterit cogere, vel eisdem sub aliqua forma praecipere, ut ei vota sua propalent vel denudent ante Spiritus Sancti invocationem. Item nullus Pater Abbas aliquem inter caeteros Electores poterit nominare. Item Patres Abbates personam electam,

dum tamen sufficiens fuerit, secundùm Ordinis Instituta non audeant refutare, pœna super hoc taxanda. Item nullus dicat; *talem vel talem eligatis: talem vel talem non eligatis*, pœna super hoc taxanda. Item nullus aliquod munus vel servitium petat, vel peti faciat ab aliquo Coabbate suo: gratis tamen oblatum suscipere licet, pœna taxanda est.

Item de Capitulo Generali. Eleemosynæ datæ Capitulo Generali, per duos Abbates recipiantur quos Abbas Cistercii nominabit: quorum unus sit de linea Cistercii, & alter de linea Clarævallis. Item quòd nullus de cætero possit Ordinem obligare; sed si aliqua necessitas emerserit, Abbas Cistercii & quatuor primi convocent de suis, quorum consilio faciant quicquid fuerit super hoc faciendum. Item Literæ præsentatæ Capitulo Generali alicujus personæ Ordinis nostri infamiam continentes, Abbati Cistercii & quatuor primis legantur. Item Iudices dati à Capitulo Generali, de cætero aliis non committant vices suas nisi de consensu partium. Item ea quæ proposita fuerint in Capitulo Generali contra Abbatem Cistercii, notentur & per Definitores definiantur si aliter non potuerint expediri.

De Capitulo Generali.

Item in his quæ sequuntur est deliberandum. De Pœnitentiis & remissionibus injungendis in visitatione Cistercii. De Carta visitationis facienda, idem. Item de numero equorum & evectionum Abbatum Ordinis. Item de vecturis & quadrigariis Ordinis, quòd nihil recipiant in grangiis, nisi ad diem quo pernoctaverint & mensuram & bachinum non deferant. Item quatuor primi vice paterna approbabunt vel reprobabunt electionem Cistercii. Item de nominatione Definitorum in Capitulo Generali. Item quòd nihil definiatur quod non sit notatum in Capitulo Generali. Item quando controversia est inter Definitores, quid sit agendum. Item de Inquisitionibus committendis. Item de intrusis & malè depositis, & injustè deponentibus. Item Definitiones factæ de consensu Definitorum non revocentur. Item de expensis superfluis. Item de portatione reddituum Capituli Generalis quam petunt Clarævallensis & Morimundensis in Divione. Item concordatum est quòd in visitatione Cisterciensi, omnes tam

Articuli rursùs examinandi.

Abbates quàm Monachi qui voluerint, proclamationes facient, tam in Capitulo Monachorum quàm Conversorum. Item ad electionem Cistercii assignabitur terminus trium hebdomadarum. De Cura animarum quam petit Abbas Cistercii per totum Ordinem, denegatur. Item de correctione culparum per Ordinem universum quam petit Abbas Cistercii, similiter denegatur.

LITERÆ SEU CODICILLI *Nicolai Abbatis Morimundi.*

Testatur tam suo quàm totius filiationis suæ nomine, prædicto Claræ-vallensi Abbati se adhærere velle circa prosecutionem dictæ Reformationis.

VNIVERSIS præsentes literas inspecturis, maximè personis Cisterciensis Ordinis, Frater Nicolaus dictus Abbas Morimundi, Salutem in Domino sempiternam. Universitati vestræ tenore præsentium fieri volumus manifestum, quòd nos propter utilitatem Ordinis nostri, nec-non decus pariter & decorem, Venerabili in Christo Patri Domno Abbati Claræ-vallis, quantùm ad prosecutionem Inquisitionis & Reformationis super statu ejusdem Ordinis, Reverendo in Christo Patri Dei gratiâ Trecensi Episcopo, & Religiosis & honestis viris Abbati Majoris Monasterii, & Fratri Gaufrido de Bello-loco de Ordine Prædicatorum à Sede Apostolica commissarum, secundùm tenorem Rescripti Apostolici, quantùm secundùm Deum possumus, firmiter adhæremus: & nos promittimus in posterùm usque ad finem dicti negotii, in omnibus quæ ad utilitatem ejusdem Ordinis pertinere constiterit & honorem, firmiter & fideliter adhæsuros. Promittentes bona fide eidem Claræ-vallis Abbati, & omnibus aliis sibi adhærentibus in hac parte, quòd nos eisdem in prosecutione prædicta pro bono statu Ordinis, consilium & auxilium per nos & per nostros fideliter impendemus. Promittentes etiam bona fide, quòd omnes Generationis nostræ Abbates ad hoc, prout commodè poterimus, efficaciter inducemus ut prædicto Claræ-vallensi secundùm formam prædictam adhæreant in præmissis. *Actum anno Domini 1264. die Beati Vrbani Papæ & Martyris.*

EPISTOLA
Philippi Claræuallensis Abbatis ad D. Othonem Cardinalem Episcopum Tusculanum.

Odo seu Otho de Castro-Rufo Abbas Monasterii Grandis Sylvæ ab Innocentio IV. in Concilio Generali creatus est Cardinalis Episcopus Tusculanus anno Domini 1244. & mortuus anno 1273.

REVERENDO Patri ac Domino Tusculano Episcopo, Frater Philippus dictus Abbas Claræuallis suus qualiscunque Monachus & Sacerdos, Salutem & devotæ subjectionis obedientiam cum dilectione sincera. Statum nostrum & negotiorum Ordinis exhibitor præsentium vobis exponet, & Magister Petrus vester & noster, vobis per literas sibi missas poterit pleniùs explicare. Super quibus negotiis dulcissimam Paternitatem vestram in Charitate Christi affectu filiali requirimus & rogamus, quatenùs in psis, quantùm secundùm Deum & honestatem vestram, & decus nostri Ordinis & decorem videritis expedire, piæ paternitatis seu paternæ pietatis consilium adhibere velitis. Verùm, quia timemus quòd propter turbationem negotii & sævitiam Cisterciensis turbatoris, non sit nobis tutum hoc anno intrare domum Cistercii tempore Capituli Generalis: Rogamus vos in Domino Iesu Christo affectu quo possumus ampliori, quatenùs nos & nobis consentientes, qui sumus plusquàm *quingenti Abbates*, tres partes totius Ordinis merito & numero excedentes, quantùm ad hoc excusatos habere velitis, & apud Dominum Papam & alios excusetis, prout secundùm Deum videritis faciendum.

Quingenti Abbates. Si, ut sæpiùs in sequentibus asseritur, tres partes prædicti Ordinis non excedebant numerum quingentorum Monasteriorum, ut sanè non excedebant tunc temporis: Vanitatis ac mendacii notâ non vacat, quod cõmuniter à nonnullis sine ullo fundamento jactatur in vulgus, nimirum hunc Ordinem ad duo Monas-

Porrò quia Abbas Vrsicampi filius noster, sine causa cum detrimento domûs suæ & scandalo plurimorum, contra mandatum nostrum, spretis nostris monitionibus solenniter verbis & literis sibi factis, ad Curiam, ut asserit, properare proponit itinere jam arrepto: iterùm fiducialiter vos rogamus, quatenùs apud Summum Pontificem, cui Dominus Rex Franciæ super hoc dirigit scripta sua, velitis interponere partes vestras, ut idem Abbas cum indemnitate domûs suæ ad propria remittatur; vel sigillum domûs suæ cum consilio Domini Portuensis per aliquem

fidelem Monachum vel Abbatem nobis cautè mittatur, vel saltem ejusdem sigilli ipsi interdicatur abusus.

Cæterùm, quia Dominus Rex super Reformatione Ordinis nostri in præjudicium, ut timemus, & retardationem dictæ Reformationis & mandati Apostolici, pia tamen intentione & bono zelo, non tamen secundùm scientiam, ut videtur, volens interponere partes suas, terminum satis prolixum, videlicet ad crastinum B. *Magdalenæ* à nostris Iudicibus assignatum, ad importunam instantiam aliquorum, qui sibi timent & expectare detrectant examen justitiæ seu indaginem veritatis, usque ad Octavam Assumptionis Dominæ nostræ, quasi quodammodo violentis precibus nos prorogare coëgit. Si placet vestræ pietati piè rogetis eundem, ut tam sanctum sanctæ Reformationis nostræ propositum ulteriùs non impediat aut retardet, salvâ tamen in omnibus pace suâ; ita quòd nec vos pro nobis, nec nos vobiscum, vel etiam sine vobis incurramus indignationem ipsius. In hoc enim non modicùm gravati fuimus, quòd propter tractatus quosdam in ipsius præsentia Parisius nos vocavit, & diù nos ibidem detinuit sine fructu, cum multis expensis & multitudine Coabbatum. Sed & dictum futurum terminum Parisius voluit assignari, ubi in conspectu omnium populorum confundimur & gravamur, & ubi inimici justitiæ & adversarii veritatis, iniquos Religioni & paci contrarios, quot volunt, inveniunt Advocatos, pacis & justitiæ subversores. Benè & diù valeat vestra nobis præclara & perchara Paternitas in Domino Iesu Christo. Vestra nobis experta Charitas, & nostra tam ingens quàm urgens hactenùs nobis inexperta necessitas, vobis fiducialiter scribere nos compellunt. *Datum*, &c.

[Margin note: ...teriorum millia excrevisse. Nunquam enim, ut patet vel ex ipsa eorundem Monasteriorũ omnium Tabula, quæ apud Cistercium conservatur, eorum omnium numerus ad millenarium accessit, tantùm abest ut eum unquam superaverit. Ex iis verò omnibus vix sexcenta supersunt in tota Europa, si Moniales exceperis.]

EPISTOLA

Ejusdem adversus Ægidium Abbatem Vrsicampi.

Removet eum ab administratione bonorum temporalium dictæ Domûs.

VNIVERSIS præsentes literas inspecturis, Frater Philippus dictus Abbas Clarævallis, Salutem in Domino sempiternam. Cùm nos Domnum Ægidium Abbatem Vrsicampi propter nonnullas alienationes rerum & jurium

[Margin note: *Ægidius* iste Abbas Vrsicampi pro Abbate Cistercii Romã profectus, partes ejus ibidem sustinuit, usque ad finem præsentis negotii. Hinc à Claravallensi in eum intentata suspensio.]

dictæ domûs ab ipso minùs rationabiliter attentatas; & propter immoderatas & inordinatas expensas frequenter ab ipso factas sine causa, in ejusdem domûs præjudicium & gravamen: & quia etiam contra consilium Seniorum domûs suæ, spretis etiam monitionibus nostris de comparendo coram nobis, ut super prædictis & super statu domûs suæ & super aliis nobis redderet rationem, canonicè & rationabiliter sibi factis; fingens se longiùs ire, nostram præsentiam, justitiæ & æquitatis examen latitando & subterfugiendo circa partes Burgundiæ, diutiùs declinavit: per hoc etiam sui quodammodo accusator effectus, prout de his omnibus nobis sufficienter extitit facta fides, meritò habeamus de dilapidatione suspectum.

Nos eidem domui filiæ nostræ nobis immediatè subjectæ, contra alienationum & obligationum pericula, quibus possumus remediis ad præsens præcavere volentes, bonorum virorum interveniente consilio, eundem Abbatem suspendimus ab administratione bonorum temporalium dictæ domûs: interdicentes eidem omne genus alienationis. Item facultatem mutui contrahendi, nisi hoc faciat de Prioris & Cellerarii & aliorum administratorum dictæ domûs consilio & consensu. Hoc autem universis mercatoribus & aliis quibuscunque, ad quos notitia pervenerit hujus rei, tenore præsentium intimamus; denuntiantes eisdem, quòd si de cætero cum dicto Abbate mutui obligationem vel aliud cujuscunque generis contractûs, contra prædictam formam inire præsumpserint: dicta domus Vrsicampi ipsis super dictis contractibus aut mutuis non erit obnoxia, nec tenebitur respondere. Nos etiam Claræ-vallis Abbas dictæ domûs Pater, eandem sicut tenemur pro viribus juvabimus in hac parte. *Actum in dicta Abbatia Vrsicampi anno & die*, &c.



EREMODICIVM

Contra Abbates Cistercii, Firmitatis & Maceriarum, à supradictis Sanctæ Sedis Apostolicæ Iudicibus & Inquisitoribus delegatis, decretum.

ANNO Domini 1264. in crastino Beatorum Iacobi & Christophori, ad quam diem viva voce citaveramus, Nos Nicolaus Dei gratiâ Trecensis Episcopus, Frater Stephanus Majoris Monasterii Turonensis Abbas, & Frater Gaufridus de Bello-loco de Ordine Prædicatorum, de Cistercio, de Firmitate, de Morimundo, de Maceriis, de Crista, de Valle-clara, de Igniaco, de Bullencuria, de Longovado, & nonnullos alios Cisterciensis Ordinis Abbates, Priorem Cistercii & Subpriorem, Cellerarium & Medium-Cellerarium, Portarium & Sacristam, Causidicum, & nonnullos alios dicti Ordinis Monachos ut comparerent coram nobis Lingonis, perhibituri testimonium veritati, super his quæ in Rescripto Apostolico ad nos directo continentur, & quibusdam aliis quæ statum & Reformationem Cisterciensis Ordinis contingunt, de Cistercio, de Firmitate & de Maceriis Abbatibus, Priore Cistercii, Subpriore, Cellerario, Medio-Cellerario, Portario, Sacristâ, Causidico coram nobis minimè comparentibus, & per contumaciam absentibus à comparentibus coram nobis, & multis aliis dicti Ordinis personis, quarum testimonium ad hoc credimus opportunum, priùs receptis juramentis ad examinationem & inquisitionem diligenter faciendam, processimus diligenter secundùm traditam nobis formam, continuando de die in diem usque ad festum Beati Petri ad Vincula. *Datum in vigilia dicti festi.*



MANDATVM

MANDATVM

Testimonii iterùm denuntiandi Abbatibus de Cistercio & de Firmitate & aliis; cum indictione mulctæ nisi compareant ad diem sibi condictam.

NICOLAVS Dei gratiâ Trecensis Episcopus, Stephanus Abbas Majoris-Monasterii Turonensis, & Frater Gaufridus de Bello-loco de Ordine Prædicatorum Inquisitores à D. Papa deputati, super quibusdam quæ statum & Reformationem Ordinis Cisterciensis contingunt, Dilectis sibi in Christo Officiali Cabilonensi, & Magistro Richardo Clerico Domini Regis Navarræ, Canonico Beatæ Mariæ de Valle-Pruvinensi, Salutem in Domino Iesu Christo. Mandatum Domini nostri Summi Pontificis recepimus, super quibusdam quæ Domnum Abbatem Cistercii & nonnullas alias Cisterciensis Ordinis personas, statumque & Reformationem ipsius Ordinis contingunt: ad quod mandatum exequendum, juxta tenorem Apostolicarum literarum apud Lingonas in crastino Beatæ *Mariæ Magdalenæ* convenimus; ad quam diem de Cistercio, de Firmitate, de Pontiniaco, de Quinciaco Abbates, & nonnullas alias dicti Ordinis personas citari feceramus, ut coram nobis comparerent dicta die infra horam tertiam, ut ad executionem dicti mandati procederetur prævia ratione. Qua die dictis de Cistercio, de Firmitate, de Maceriis Abbatibus, & nonnullis dicti Ordinis personis coram nobis personaliter comparentibus, lecto in præsentia ipsorum & plurium aliorum Apostolico Rescripto ad nos directo, & ejusdem Rescripti eisdem copiâ factâ, super quibusdam ex parte ipsorum propositis, continuavimus dictam diem usque ad diem Iovis proximè subsequentem.

Qua die Iovis continuatâ, prædictisque comparentibus coram nobis, interrogavimus dictos de Cistercio, de Firmitate, de Maceriis Abbates & Priorem Cistercii, si aliqua vellent dicere seu proponere, tam pro se quàm pro aliis Coabbatibus & Monachis suis, tam contra personas

suas quàm contra Scriptum Apostolicum ad nos directum. Quibus nihil, tam contra nostras personas, quàm contra ad nos directum Rescriptum Apostolicum, proponentibus; dictos de Cistercio, de Firmitate & de Maceriis Abbates, Priorem Cistercii, Subpriorem, Causidicum, Cellerarium, Medium-Cellerarium, Sacristam & alios omnes de Cistercio qui tunc erant coram nobis præsentes, vivâ voce citavimus ut comparerent coram nobis Lingonis, ad diem Sabbati in crastino Beatorum *Iacobi* & *Cristophori* infra horam tertiam, ad perhibendum testimonium veritati, super his quæ in Rescripto Apostolico continentur: & ad procedendum ulteriùs in negotio nobis commisso juxta traditam nobis formam; qui dictis die & loco minimè comparuerunt coram nobis, licet per totam dictam diem à nobis fuerint expectati, & licet eorum contumaciâ exigente, animadvertere potuissemus & possemus in eosdem.

Nos tamen favore Religionis & ob Ordinis Cisterciensis reverentiam, contra ipsos mitiùs agere cupientes, vobis mandamus in virtute obedientiæ & sub pœna excommunicationis: quatenùs prædictos de Cistercio, de Firmitate, de Maceriis Abbates, Priorem Cistercii, Subpriorem, Cellerarium, Medium-Cellerarium, Portarium, Sacristam, Causidicum in domibus propriis, vel ubi potuerint inveniri, per vos, per alium vel per alios quos ad hoc idoneos videritis, peremptoriè iteratò citetis, & moneatis eosdem, ut coram nobis personaliter compareant apud sanctum Dionysium in Francia propè Parisios: quem locum, ad exequendum mandatum Apostolicum, congruum ex certis causis reputavimus & etiam opportunum, infra horam tertiam in Octava Assumptionis Beatæ *Mariæ* Virginis, perhibituri testimonium veritati, super his quæ in Rescripto Apostolico ad nos directo continentur; & super quibusdam aliis, quæ statum & Reformationem dicti Ordinis Cisterciensis contingunt, & ad procedendum ulteriùs in dicto negotio nobis commisso, secundùm traditam nobis formam. Intimantes nihilominùs eisdem quòd sive venerint, sive non: nos in dicto negotio nobis commisso secundùm traditam nobis formam procedemus, prout juri consonum esse nobis videbitur & consentaneum rationi.

In executione verò hujus mandati nostri, alter vestrûm alterum non expectet: si verò prædictos invenire nequiveritis, citationes prædictas in domibus propriis eorum publicè nuntietis, seu nuntiari faciatis. Quid inde feceritis, nobis per vestras literas patentes rescribatis. *Datum anno Domini 1264. feriâ quartâ ante festum Beati Petri ad Vincula.*

ANNOTATIO.

Plura hujusmodi mandata pluribus aliis personis facta sunt; in eorumque executionem non solùm Abbates de Cistercio & de Firmitate, sed etiam Abbates ClaræVallis, Morimundi, Pontiniaci, Prulliaci, Regalis-Montis, Ioyaci, Quinciaci, Vallium-Sernaii, & aliorum quamplurimorum Monasteriorum Abbates, Officiales & Monachi ad testimonium veritati perhibendum super dicta Reformatione, coram prædictis Iudicibus sunt evocati. Sed instrumentis circa hæc confectis ad literam exscribendis, supersedeo; cùm si quæ in iis scitu necessaria sint, ex subsequenti relatione abundè perspicua futura sint.

RENVNTIATIO SEV PROCESSVS VERBALIS

Inquisitionis factæ à supradictis Iudicibus & Inquisitoribus super Reformatione Ordinis Cisterciensis Summo Pontifici Vrbano quartò transmissus.

SANCTISSIMO Patri ac Domino Vrbano Dei gratiâ Summo Pontifici. Nicolaus divinâ miseratione Trecensis Episcopus, Stephanus Abbas Majoris-Monasterii Turonensis cum omnimodæ subjectionis obedientia pedum oscula Beatorum. Noverit vestra sanctissima Paternitas, quòd nos, ut obedientiæ filii, pro executione negotii super Reformatione Ordinis Cisterciensis nobis à vestra Sanctitate commissi, apud Lingonas termino à nobis quibusdam personis dicti Ordinis juxta ejusdem mandati seriem assignato, personaliter accedentes; cùm in primis extra figuram judicii Reformationi prædictæ per tractatus pacificos, ad turbationis & scandali materiam restringendam, & ut parceretur laboribus & expensis, diligenter vacare vellemus: invenimus Claravallensem & Morimundensem Abbates, & quàm plures alios adhærentes eisdem, in eodem tractatu tractabiles & benignos; & se ad ea quæ pacis sunt humiliter & favorabiliter inclinantes. Postmodùm verò in ejusdem Reformationis negotio humiliter & reli-

Abbates Claravallis & Morimundi ad pacem & concordiam faciles: Cisterciensis verò non ita.

giosè, nullo ex parte ipsorum interveniente advocatorum patrocinio, procedentes; Domnum verò Cisterciensem & suos plusquam vellemus, &, ut videtur, plusquam Religiosam honestatem deceret, & ipsis & dicto negotio expediret, invenimus difficiles in præmissis, & à pacis tractatu inter prædictos Abbates, ad preces & instantiam Domini Regis Franciæ super reformatione quorundam articulorum Chartæ Charitatis ut dicitur, & ut à pluribus fide dignis; qui dicto tractatui non solùm interfuerunt, imò & mediatores fuerunt Parisiis, concordato: quem etiam tractatum taliter, ut supra scripsimus, concordatum, in quadam schedula sigillo cujusdam Abbatis de Generatione Pontiniacensi videlicet Abbatis Caricampi de voluntate & mandato Cisterciensis Abbatis, ut à fide dignis accepimus, sigillatâ, videmus planiùs & pleniùs comprehensum, non sine nostra & multorum nobis assistentium admiratione, nescimus quo ducti consilio, recedentes: Reformationi etiam pacificæ dicti Ordinis circa principaliores articulos Chartæ Charitatis, videlicet circa electionem & confirmationem Cisterciensis Abbatis, & electionem Definitorum, & statum Capituli Generalis, nec-non & circa visitationem Monasterii Cisterciensis, quæ in vestræ Sanctitatis Literis præcipua & prima videntur, acquiescere; nullo, ut nobis visum fuit, prætenso rationis judicio, recusantes.

Cæterùm, cessante per ipsos, ut dictum est, Reformatione pacificâ coram nobis, officium nobis commissum de plano & sine strepitu exercere volentibus secundùm traditam nobis formam, cum Advocatorum multitudine numerosa, qui cùm linguas in contrarium docuerint, abstinere nesciunt à strepitibus turbulentis; idem Abbas Cisterciensis & sui, suam nobis præsentiam præsentarunt. Lectis verò Literis vestræ Sanctitatis super dicta Reformatione ad nos directis, & aliis diligenter impletis, quæ ad ingressum dicti negotii pertinebant, & dicto Cisterciensi & suis factâ sufficienti copiâ prædictorum; unus de prædictis Advocatis nomine dicti Cisterciensis Abbatis, ipso Abbate assertionem ipsius expressè in hoc & in aliis sequentibus approbante, petiit inducias ad deliberandum super Rescripto Apostolico: asserens inter cætera nomine ejusdem Cisterciensis Abbatis, quòd cùm in eodem Rescripto fieret

Inducias petiit idem Abbas Cistercii pro Capitulo Generali celebrando.

expressa mentio de Capitulo Generali; necesse habebat idem Cisterciensis Abbas, pendente termino seu intervallo deliberationis prædictæ, super contentis in Litera Apostolica cum eodem Capitulo seu cum Abbatibus congregandis, ibidem habere consilium & tractatum; & per consequens intendebat differre & eludere dictæ Reformationis negotium, usque dum transisset Capitulum Generale.

Quibus auditis, cùm per septem septimanas & ampliùs à die istius processûs habiti coram nobis, distaret adhuc prædictum Capitulum Generale: habitis super his consilio & tractatu multorum & magnorum virorum jurisperitiâ & facti experientiâ præditorum; attendentes etiam quòd prout in Literis vestris ad dictos Cisterciensem & Clarævallensem Abbates directis, perspeximus evidenter quòd negotium dictæ Reformationis cordi vobis existit, imò quòd idem negotium Dei est & ad ipsum pertinet, prout Vos ejus Vicarius in Litera ad eundem Claræ vallensem directâ asseritis evidenter, quod etiam credimus firmiter esse verum; Considerantes etiam quòd juxta prædecessorum vestrorum sententiam, talibus strepitibus Dei servos diutiùs non decet involvi; Item quòd in prædicta Reformationis Litera continetur, quòd occasione turbationis cujusdam, quæ circa Definitorum electionem anno præterito in eodem Capitulo mota fuit, jam inceperint excitari dissensiones, & gravis materia scandali suscitari; quibus dissensionum & turbationum periculis ante dictum Capitulum ex injuncto nobis in virtute obedientiæ officio, quibus poteramus remediis succurrere tenebamur, ne fortè plaga prædicta, quæ jam desierat esse recens, indurata extrinsecùs obductione tumidæ & lividæ cicatricis, debitæ curationis non sustinentis attactum: intrinsecùs verò corruptionis contactu contracta & concreta sanie, minùs sanabilis redderetur in Capitulo subsequenti, opportuno remedio interim non quæsito; Item quòd per septem septimanas & ampliùs adhuc distabat tempus Capituli Generalis; Recogitantes etiam diligenter quòd nobis commissa non erat judicialis indagatio, sed potiùs testium examinatio, inquisitionis officium & tractatus pacificus & relationis merum nobis ministerium incumbebat; Item attento quòd prædicti Claræ vallensis & Morimundensis Abbates

Visis ac perpensis cavillis & ludificationibus Abbatis Cisterciensis & adhærentium ejus, Iudices præfati causam sibi indictam inire cœperunt.

cum magna multitudine sibi adhærentium Coabbatum pro se & suis Generationibus, qui, ut dicitur & firmiter asserebatur, plusquàm tres partes totius Cisterciensis Ordinis repræsentant; & sic etiam totum Ordinem repræsentare videntur: *Petitâ veniâ more monastico*, devotè, constanter & humiliter supplicabant; ut in prædicto Reformationis negotio, de plano & absque judiciorum strepitu & advocatorum tumultu procederemus, juxta traditam nobis formam; Perpenso etiam quòd ex tenore citatorii, cujus per multum temporis; videlicet per duos menses & ampliùs, copiam habuerant, satis poterant esse instructi, an contra personas nostras esset ab ipsis aliquid proponendum. Item, quia eidem Abbati obtulimus copiam literæ bullatæ, ut videre posset an in ea in filo aut Bulla aut aliàs posset aliquod vitium deprehendi, offerentes eidem Abbati & suis quòd ipsos super his audiremus pacificè & modestè. Considerantes etiam quòd cùm super negotio Reformationis Ordinis universi, nostrum deberemus Officium seu ministerium exercere; necesse habebamus in diversis & distantibus locis terminos assignare diversos; & si in singulis terminis esset ad petitionem quorumlibet dilatio concedenda: ipsum negotium, cujus tamen acceleratio vobis est cordi, ex infinita seu quasi interminabili prorogatione periret. Præterea, articuli Abbatem Cistercii & domum Cistercii contingentes in dictæ Reformationis Litera comprehensi: vel ad facta propria vel ad Chartam respiciunt Charitatis. Item super illis omnibus ad instantiam Domini Regis Franciæ, Parisiis longè ante satis tractatum fuerat spatiosè, prout nobis constitit per fide dignos, & per Literam quandam patentem; ut suprà dictum est, nec-non & per ipsum Cisterciensem Abbatem & suos: qui etsi concordationem articulorum negaverint, tamen recognovere tractatum, & quòd causâ deliberandi cum suis tunc Parisiis præcisè distulerant respondere. Unde cùm nec factum proprium, nec seriem Chartæ Charitatis ipsis ignorare licuerit, & satis, ut dictum est, instructi esse potuerint ex deliberatione jam dicta: prædictam dilationem talem à talibus videlicet Religiosis, qui quod procurare & accelerare debuerant, differre & impedire sine causa rationabili nitebantur; non reputatis, ut videbatur, Literis eidem Abbati

Petitâ veniâ more Monastico, id est, genibus flexis & articulis digitorũ ad terram positis.

Cisterciensi, non sine timenda & tremenda comminatione à vestra Sanctitate transmissis; & de consilio talium, hoc est, advocatorum circumstrepentium à nobis taliter postulatam: prudentium virorum, ut dictum est, interveniente maturo & deliberato consilio; non duximus admittendam; sed ipsum Cisterciensem & alios sibi adhærentes Abbates præsentes citavimus nominatim; ut sequenti die Sabbati post festum B. *Mariæ Magdalenæ* comparerent personaliter coram nobis, super negotio dictæ Inquisitionis seu Reformationis nobis commissæ, perhibituri testimonium veritati.

Die verò Iovis post dictum festum soluto auditorio, idem Cisterciensis Abbas advocatorum suorum stipatus caterva, ad nos simul inventos accessit; tenens propriis manibus quandam schedulam, & legens in ea cujusdam appellationis scripturam, fundatam super expectatione ipsius Capituli Generalis, quam à nobis petiit sigillari. Cui respondimus, quòd eam nobis traderet, & quòd communicato consilio cum sapientibus, eidem super hoc responderemus breviter quod respondendum ratione prævia videremus. Quod de advocatorum suorum consilio, sub eo prætextu quòd essent ibi quædam emendatione indigentia, facere recusavit: promittens quòd eam nobis remitteret emendatam, quod tamen facere non curavit. Appellatio Abbatis Cisterciensis.

Subsequenter verò dictis citatis dicta die Sabbati non comparentibus, ad executionem mandati vestri processimus diligenter secundùm traditam nobis formam, & per diversas & competentes assignationes & continuationes dierum: ad quos dies eundem Cisterciensem Abbatem & adhærentes prædictos citari fecimus competenter, & diversis locis, prout opportunum videbamus; convocavimus, & diligenter examinavimus multos testes usque ad numerum, ut nobis visum fuit, dicto negotio competentem. Inter quos, plures fuerunt provectæ ætatis, Religiosæ auctoritatis, & sanctæ æstimationis Abbates; alii similiter Seniores honesti, qui diù Abbates fuerunt, sed nunc ab administratione vacant; alii Monachi Notarii vel similes, qui cum Abbatibus suis quandoque fuerunt in visitationibus & electionibus, tam Cistercii quàm & aliarum domorum; alii puri claustrales, qui de his quæ apud ipsos acta sunt, & Iterata citatio absentium. Examen & Inquisitio Testium.

ſcire poterant & exprimere veritatem. Hæc idcirco veſtræ ſcribimus Sanctitati, quia propter diverſos & diverſorum conditiones & ſtatus, aliqui prædictorum de aliquibus deponunt articulis; qui de aliis nihil ſciunt.

Illud tamen non duximus omittendum, quòd nonnulli Abbates & Monachi de aliis Generationibus, veſtræ Sanctitatis propoſito & dictæ Reformationis remedio conſentientes, concordant; & quotquot de illis Generationibus coràm nobis citati fuerunt, aut juraverunt de veritate dicenda, aut fuerunt jurare parati. Abbas enim de Ioyaco in Briâ; & Abbas de Quinciaco cum quibuſdam de ſuis Monachis qui ſunt filii immediatè Pontiniaci; juraverunt liberaliter & libenter. Cellerarius etiam & Subprior Pontiniaci parati fuerunt jurare, ſed eis pepercimus & ex cauſa. Qui etiam dixerunt nobis firmiter aſſerentes; quòd Conventus Pontiniaci Abbati proprio, quando receſſit ab ipſis cauſâ eundi ad Curiam cum Ciſtercienſi Abbate, interdixerunt ne ſigillum dictæ domûs alicui appellationi apponeret; nec ob illam cauſam, Eccleſiam ſuam mutuum contrahendo, aliqua ratione ſeu occaſione gravaret. Abbas autem de Regalimonte filius Ciſtercii ſe juraturum promiſit, ſed ei pepercimus ad inſtantiam aliquorum, & ex cauſa manifeſta. Abbas verò de Barbello de Generatione Ciſtercii, prima fronte noſtræ reſtitit voluntati, & ad inſtantiam quorundam Monachorum Ciſtercienſium, qui tunc ad impediendum veſtrum propoſitum præſentes erant Pariſiis, coram nobis dixit, quòd appellationi Ciſtercienſis adhærebat, & eam etiam pro ſe & ſuo Monacho, & quibuſdam Monachis Prulliaci, qui tunc aſſiſtebant eidem, per cujuſdam advocati conſilium & miniſtrum innovavit. Poſt receſſum verò Ciſtercienſium Monachorum ad nos rediit, & appellationi prædictæ ipſe & ſui renuntiaverunt expreſſè, & ſuper hoc literas ſuas patentes idem Abbas veſtræ omninò, quantùm ad hoc, voluntati conſentiens nobis dedit.


Pleriquè Abbates & Monachi filiationis Ciſtercienſis & Pontiniacenſis prædictæ Reformationi manus dederunt.

Quibus omnibus ritè & ſolennitate quâ decuit, adimpletis, proceſſus noſtros & literas ſeu memorialia eorundem ordinavimus, & continuavimus diligenter. In quibus ea quæ per noſtræ inquiſitionis officium potuimus invenire, nec-non & cætera omnia quæ in hac parte duximus facienda,

da, diligenter in scriptis redacta, juxta mandati vestri tenorem, vobis transmittimus per fidelem nuntium ut credimus, videlicet præsentium portitorem. Vias autem ad pacem Ordinis per tractatus pacificos cum Cisterciensi & Firmitatensi Abbatibus, cùm ipsi ab initio, ut suprà dictum est, contrarii concordiæ extiterint & rebelles; nec cum Pontiniacensi, cùm nunquam comparuerit coram nobis, quamvis ipsum frequenter citaverimus ad procedendum in negotio juxta traditam nobis formam, & sic per consequens tam ad inquisitionis officium quàm & ad pacis tractatum cùm per ipsos steterit, qui viam pacis forsitan non cognoverunt, non potuimus invenire, nec per consequens rescribere non inventâ.

Cisterciensis, Firmitatensis, & Pontiniacensis usque ad finem negotii, prædictæ Reformationi rebelles.

Cæterùm, de Cistercio, de Firmitate, de Pontiniaco, de Claravalle, de Morimundo & de Saviniaco Abbatibus præfiximus terminum peremptorium, videlicet in crastino B. *Andreæ* Apostoli; ut tunc per se vel per procuratores idoneos vestro se conspectui repræsentent; audituri & recepturi quod ad Dei laudem & gloriam, ac fœlicem ejusdem Ordinis statum circa præmissa; cooperante divinâ Clementiâ, duxeritis statuendum. Hanc autem relationem nos facimus Nos Episcopus Trecensis & Abbas Majoris-Monasterii Turonensis, in absentia Religiosi viri Fratris Gaufridi Collegæ nostri, qui cum Domino Rege Franciæ tunc in remotis agebat: qui quibusdam, quandiu potuit, interfuit de prædictis, prout satis apparebit per acta.



AVCTORITAS

Data Magistris Cononi Canonico Belenensi, & Richardo Clerico D. Regis Navarræ & Canonico Beatæ Mariæ de Valle-Pruvinensi, ad diem dicendam Abbatibus de Cistercio, de Firmitate, de Pontiniaco, de Claravalle, de Morimundo & de Saviniaco, quâ præsto sint Romæ Sententiam ac Iudicium super præmissis à sancta Sede accepturi.

NICOLAVS miseratione divina Trecensis Ecclesiæ Minister humilis, & Stephanus Abbas Majoris-Monasterii Turonensis, Inquisitores à Domino Papa deputati super quibusdam quæ statum & Reformationem Cisterciensis Ordinis contingunt, Dilectis suis in Christo Magistris Cononi Canonico Belenensi, & Richardo Clerico Domini Regis Navarræ Canonico Beatæ Mariæ de Valle-Pruvinensi, Salutem in Domino sempiternam. Cùm nos de inquirendo super aliquibus quæ dictos statum & Reformationem contingere dignoscuntur, mandatum Domini nostri Summi Pontificis receperimus speciale, & eidem referendo quæ per inquisitionem nostram fuerunt inventa, & de termino peremptorio competenti præfigendo Abbati Cisterciensi & aliis dicti Ordinis personis, de quibus nobis videretur expedire, quo per se vel per procuratores suos se Apostolico conspectui repræsentent; auctoritate dicti mandati nobis commissi vobis præcipiendo mandamus, quatenùs dictum Abbatem Cistercii, nec-non de Firmitate, de Pontiniaco, de Clara valle, de Morimundo, de Saviniaco Abbates peremptoriè citetis, ut in crastino B. *Andreæ* Apostoli, quem terminum eisdem competentem & peremptorium assignavimus, per se vel per idoneos procuratores suos Apostolico conspectui se repræsentent; audituri & recepturi quod ad Dei laudem & gloriam, ac fœlicem dicti Ordinis statum, dictus Summus Pontifex, divina cooperante Clementia, circa præmissa duxerit statuendum. Si verò

Nota: ex tenore hujus Mandati & Citationis faciendæ sex illos dumtaxat Abbates in ea nominatos Romam evocari, ut vel ex hoc conjicias Reformationem in his actis totius inclamatã & tanto sudore conquisitam nõ tam mores Ordinis universi quam jurisdictionem prædictorum sex Abbatum spectasse.

dictos Abbates præsentes non inveneritis; dictas citationes in eorum Abbatiis publicetis, & quid super hoc feceritis, nobis per vestras patentes Literas rescribatis. In executione verò dicti mandati nostri, alter vestrûm alterum non expectet. *Datum Parisiis anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo-quarto, pridie Kalendas Septembris.* Redditæ Literæ latori earundem, mandato nostro executo.

EPISTOLA

Archiepiscopi Senonensis ad Rom. Pontificem Vrbanum IV. pro Reformatione Ordinis Cisterciensis deprecatoria.

SANCTISSIMO Patri ac Domino Vrbano Dei gratiâ Summo Pontifici, eadem gratiâ Senonensis Archiepiscopus pedum oscula Beatorum. Cùm inter Religiones à multis citrà temporibus institutas, Cisterciensis Ordo, auctore Deo, prærogativam obtinuerit specialem, ut & ipsorum Monachorum Religiosa pietas, & eleemosynarum largitio & hospitalitas gratiosa, & Sedis Apostolicæ, nec-non Pontificum & Regum, & aliorum nobilium & magnatum immunitates indultæ, & concessa privilegia protestantur; & nos statum Religionis prædictæ vacillare, imò veriùs periclitari videamus in multis, & maximè circa institutiones Abbatum, ex quorum scilicet pastorum destitutione vel statu, gregis monastici pendet destructio vel tutela. Hinc est, quòd Ordinem ipsum singulari quadam prærogativa Charitatis prosequentes & ejus compatientes periculis, attendentes etiam super dictis institutionibus præcipiti motu factis, nullo justo examine præcedente, & super aliis multis novitatibus à novis noviter, ut dicitur, introductis, apud nos scandala suboriri; circa quæ prędicta & alia quantùm ad Ordinis bonum statum, Reformationis remedium dederat dictus Ordo, nec ad sui Reformationem sufficiat, ut intelleximus, propter discordantium contrarias voluntates: Sanctitatem vestram per viscera misericordiæ Dei nostri, & amorem Beatissimæ Matris Dei, quæ est Mater dicti Ordinis & Magistra, & Beati Bernardi ejusdem Ordinis Patris, Pastoris pariter & Patroni, devotis precibus, affectu quo possu-

mus ampliori in Domino requirimus humiliter & rogamus, quatenùs circa prædicta, vestra paterna pietas adhibere dignetur sollicitudinem pii Patris. Valeat & vigeat benè & diù vestra sancta Paternitas in Domino Iesu Christo. *Datum anno* 1264.

EPISTOLA

D. Margaretæ Comitissæ Flandriæ ad eundem Vrbanum Papam pro eadem Reformatione promovenda.

SANCTISSIMO, &c. Comitissa Flandriæ, &c. Cùm inclitæ recordationis prædecessores nostri Ordinem Cisterciensem, & præcipuè generosam Generationem seu clarissimam lineam Clarævallis, speciali quadam prosecuti fuerint charitate, eundem Ordinem in suo territorio plantantes, dotantes pariter & ditantes; Et nos, quasi legitimo quodam seu hæreditario jure ipsorum vestigiis inhærentes, quadam prærogativâ sinceræ dilectionis eundem Ordinem piæ devotionis affectibus amplectamur, prout Monasteria dictæ lineæ Clarævallis tam Monachorum quàm Virginum, intra metas nostræ judiciariæ potestatis, à dictis prædecessoribus nostris & nobis speciosè, pretiosè, nec-non & spatiosè fundata, & eorundem Monasteriorum numerosi & Religiosi Conventus reipsa exhibent & ostendunt. Hinc est, quòd cùm vos eidem Ordini in aliquibus sui partibus casus seu præcipitii periculum patienti, pio & paterno compatientes affectu, officium Reformationis ejusdem Ordinis, quibusdam certis Religiosis & circumspectis personis duxeritis injungendum: vestræ sanctæ Paternitati seu paternæ Sanctitati, non quantùm debemus, sed quantùm sufficimus, ad gratiarum consurgimus actiones, affectu quo possumus ampliori in Domino vos rogantes humiliter & devotè; quatenùs opus Domini, divino quodam motu, ut credimus, piè, prudenter & fœliciter inchoatum, nonobstantibus quorumlibet contrariis assertionibus, forti & fœlici compendio consummare velitis. Credimus enim firmiter & fiducialiter attestamur, quòd hujus negotii perfecta prosecutio, Deo ad

gloriam, omnibus amatoribus ejusdem Ordinis ad lætitiam, Vobis ad salutem, & ad ejusdem Ordinis bonum statum & decus cedere debeat & decorem. Cæterùm, Ecclesiam Clarævallensem nobis charissimam, & ipsius Ecclesiæ nobis in Christo dilectum Abbatem recommendamus in Domino cum affectu. *Actum eodem anno quo suprà.*

EPISTOLA
Sexdecim Abbatum Ordinis Cisterciensis ad eundem & in eundem finem transmissa.

SANCTISSIMO Patri ac Domino Vrbano Dei gratiâ Summo Pontifici, de Claravalle, de Morimundo, de Tribus-Fontibus, de Crista, de Igniaco, de Signiaco, de Valle-clara, de Monasteriis, de Longo-vado, de Ripatorio, de Claro-fonte, de Bullencuria, de Escureyo, de Moris, de Dulci-valle, & de Gratia-Dei dicti Abbates, cum omnimodæ subjectionis obedientia pedum oscula Beatorum. Noverit vestra Paternitas sancta seu paterna Sanctitas, quòd nos omnes in crastino Beatæ *Mariæ Magdalenæ* in civitate Lingonensi, pro negotio Reformationis nostri Ordinis præsentes fuimus, parati tam per tractatus pacificos, quàm per viam inquisitionis absque dilationum dispendio, & judiciorum strepitu, & advocatorum patrocinio, in negotio procedere supradicto; & in prædictis per omnia nos habere, prout in Literis judicum seu executorum vestrorum ad vos directis, videre poteritis, si placet, contineri. Quorum circumspectam experientiam, industriam & peritiam, & circa dictum negotium adhibitam diligentiam in Domino commendamus: asserentes bona fide & securâ conscientiâ, vera esse ea quæ de tractatu dictæ Reformationis, in prædictis judicum ad vos directis Literis, continentur.

Verùm, quia Domnus Cisterciensis Abbas cum tribus tantùm Abbatibus tunc sibi adhærentibus, contra vestræ Sanctitatis intentionem, ad impediendum nostræ Reformationis remedium pernecessarium, quantùm in se est, de sexdecim advocatorum suorum consilio, appellationis obstaculum interjecit: timore & turbatione percellimur,

tercio, de Firmitate; de Pontiniaco, quæ tres Generationes ad quartam partem Ordinis non attingunt; sunt multi Abbates qui corde & animo, occultè tamen propter metum, non dicimus Iudæorum, sed aliquorum forsitan Pharisæorum, nobis adhærent: quorum attentis auribus si sonaret vel brevis sonitus levis auræ, quod placeret Sanctitati vestræ firmum, salubre & velox adhibere remedium in præmissis, securè & apertè, & quia securè ideò apertè nobis indissolubiliter adhærerent; & sic non esset divisionis opprobrium, super quo contra nos detractionis suæ susurriis nos apud Principes diffamando, mentiti sunt adversarii veritatis. Sed per omnia benedictus Deus, quia mentita est iniquitas sibi: Ideò per Dei gratiam & per Vicarii sui paternam & piam providentiam, de proximo stabilietur & consolidabitur illorum individua unitas, quos Christi amor congregavit in unum. NOTA.

Ex verbis enim paternis necessarium, ut videtur, elicitur argumentum, quòd nos citò debeas expedire. Mihi enim tuo qualicunque Claræuallensi Philippo, tuorum minimo Monachorum tua Dignatio nuper scripsit, quòd in hujusmodi prosecutione negotii magis Deo quàm hominibus deferre deberem, & quòd in hoc reddebam obsequium gratum Deo. Si igitur negotium istud Dei est, id est quia Dei est, ut asserit verax asseveratio Summi Patris, quomodo à singulari & à Summo Dei Vicario negligi poterit opus ejus, ut sub languida dissimulatione languescat, & sic, quod avertat Altissimus, longo languore vilescat? Sic enim loquimur, Pater sancte; sic nos stimulant & invitant Religionis amor, zelus Ordinis & sanctæ desiderium libertatis. Sumus enim de misericordia Dei & de paterna sanctitate securi, tametsi ita loquamur, quod per vestræ ministerium Sanctitatis citò liberabit nos liberator noster de inimicis nostris iracundis. Tibi specialissimo protectori ex abundanti clamat fiducialiter Ordo noster; *accelera ut eruas nos.* Valeat vestra nobis semper præclara Paternitas in Domino Iesu Christo, qui conservet vos nobis & nostro Ordini & universali Ecclesiæ sanctæ suæ per tempora longiora. Scimus enim, Pater sancte, quòd tempore *Vrbani secundi* Papæ Ordo noster extitit primordialiter institutus: & confidimus quòd tempore Domini nostri Vrbani Papæ NOTA.

moderni, erit suæ primitivi candoris gloriæ restitutus. *Datum Lingonis anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo-quarto, Dominicâ post festum Beatorum Iacobi & Christophori.*

EPISTOLA

Sancti Ludovici Regis Francorum ad eundem Vrbanum IV. Pontificem Romanum.

Commendat ei negotium prædictæ Reformationis Ordinis Cisterciensis.

SANCTISSIMO Patri ac Domino Vrbano Dei gratiâ Summo Pontifici, &c. Cùm nos Ordinem Cisterciensem speciali quadam prærogativâ dilectionis specialiter prosequamur, & nos statum Religionis ejusdem vacillare imò potiùs periclitari, quod dolentes recolimus, videamus in multis; & maximè circa institutiones & destitutiones Abbatum, ex quorum scilicet pastorum destitutione vel statu, gregis monastici pendet destructio vel tutela: nec-non & circa alias novitates à novis noviter, ut dicitur, introductas, cum stupore & perturbatione multorum non solùm popularium, sed & Pontificum, Principum & Magnatum, observantias dicti Ordinis ab antiqua stabilitate & sinceritate non modicum exorbitare cernamus, nec ad sui Reformationem, ut intelleximus, propter discordantium contrarias voluntates sufficiat dictus Ordo: Sanctitati vestræ per viscera misericordiæ Dei nostri, & amore Beatissimæ Virginis Matris Dei, & Beati Bernardi ejusdem Ordinis Patris, Pastoris pariter & Patroni, ex affectu quo possumus ampliori humiliter supplicamus, quatenùs circa Reformationem status Ordinis supradicti in præmissis, in quibus eundem Reformatione constiterit indigere, vos quem solum habent in his & aliis necessitatibus singulare refugium, exhibere dignemini sollicitudinem pii Patris.



EPISTOLA

EPISTOLA

D. Ioannis Toletani Monachi Claravallis primùm Presbyteri Cardinalis sancti Laurentii in Lucina, ac subinde Cardinalis & Episcopi Portuensis, ad Philippum Claravallis Abbatem.

Hortatur ad prosecutionem Reformationis Ordinis Cistercienfis.

Ioannes Toletanus Anglus & Monachus Claravallis ab Innocentio IV. creatus est Cardinalis anno 1244. & mortuus anno 1274. Lugdun. in Concilio Generali.

VENERABILI in Christo Patri Domno Abbati Claravallensi, suo semper familiari amico. Frater Ioannes Portuensis & sanctæ Rufinæ Episcopus, Salutem & arrepti prosperitatem itineris cum spirituali gaudio & cum solatio sospitatis. Vocamini fœliciter os lampadis ad tollendam lippitudinem, & ad procurandam limpiditatem totius Ordinis: quod genus procurationis nullus usque modò fuit ausus aggredi propter bonum Reipublicæ in spiritu judicii & fervoris. Procedatis igitur viriliter ut prosequamini negotium, cujus fundamentum est communis utilitas, licet aliter aliqui sentiant quorum est opinio phantastica velut tempestas.

EPISTOLA

Philippi Claravallensis Abbatis ad Ioannem Portuensem Episcopum Cardinalem.

REVERENDO Patri ac Domino suo Domino Portuensi, Salutem, &c. Super literis vestris vestro à vestra Paternitate transmissis, de lampade & limpiditate & lippitudine subtiliter & eleganter facientibus mentionem, vobis regratior quantùm possum. Cæterùm, quæ circa nos sunt & nostros postquàm intravimus Claramvallem de Curia revertentes, tam prospera quàm adversa; Charissimus vester Magister Petrus *Bon-jour* Cancellarius, juxta quod scripsi eidem plenè & planè verbis & literis, si vestræ placeat

Charitati, poterit explicare; illud tamen nolo quod ab alio mendicetis: quod Domnus Morimundensis cum tota sua Generatione corde & animo, consilio & auxilio nobis adhæret efficaciter & apertè, ut in transcripto literarum suarum & in literis quas Summo Pontifici destinamus, videre poteritis contineri. Quarum literarum vobis copiam faciet idem Petrus. Benè & diù valeat vestra Paternitas per omnia nobis cara. Charissimo vobis Conventui Clarævallis, super injuriis & molestiis sibi contra Deum & jura & Ordinis honestatem impudenter & imprudenter illatis, compatiatur vestra paterna pietas ex affectu, qui affectus appareat in effectu.

EPISTOLA
Philippi Abbatis Clarævallensis ad Cancellarium Curiæ Romanæ Magistrum Michaëlem de Tolosa.

SVO specialissimo Cancellario Curiæ, &c. Suus Claræ-vallensis Abbas, &c. Literas Dominæ Comitissæ, &c. *Et infrà.* Unum est in quo esset adhibenda cautela, videlicet quid nobis agendum sit tempore Capituli Generalis. Cùm enim ultra tres partes Ordinis habeamus nobiscum nostri propositi ferventissimos participes & consortes, & super quo Cisterciensis Abbas & Monachi cum sibi adhærentibus de Firmitate, de Pontiniaco Abbatibus, qui propter suum perniciosum ingressum de suo præcipitio non immeritò sibi timent ultra quàm dici vel scribi posset, sint nimiâ impatientiâ, indignatione, nec-non & perturbatione permoti: multùm nobis est non immeritò formidandum, his diebus sub his periculis in Cisterna Cistercii nos includi occasione dicti Capituli Generalis. Cæterùm, si tunc Cistercium non intremus, Abbas Cistercii forsitan propter scripta Ordinis, & propter antiquam consuetudinem & possessionem Capituli Generalis in Cistercio celebrandi, in nos animadvertere per sententias excommunicationis & aliàs per fas & nefas, jure vel injuriâ, juxta inolitam sibi & consuetam sævitiam, non tardabit. Contra hujusmodi periculum, an Litera protectionis seu conservationis

ad Episcopum Lingonensem directa nobis sufficiat, videatis; instantes erga Dominum nostrum Summum Pontificem *per vos & Dominos Cardinales Tusculanum, Portuensem, Albanensem*, quibus hoc nostrum periculum intimetis, ut idem Summus Pontifex nobis quantùm ad hoc consulat & succurrat, scribendo eidem Episcopo Lingonensi, ut nobis & nostris per se vel per alium, juxta formam quæ ad hoc videbitur opportuna, auctoritate Apostolica nobis consulat in hac parte; vel aliàs nobis studeat vestra nobis indubitata sinceritas provideri. Consilium autem super hoc adhibendum, per aliquem de nostris qui in Curia morantur, cùm primùm potueritis, transmittatis. Hoc enim vel simile circa hoc remedium, multùm nobis & nobis adhærentibus erit necessarium; & ad consolationem cedet pariter & cautelam.

Episcopus Albanensis, cujus hic mentio fit, vocabatur *Radulphus de Chevriers* patriâ Matisconensis, Episcopus Ebroïcensis: ac subinde Episcopus Cardinalis Albanensis ab Vrbano IV. creatus an. 1261.

EPISTOLA

Philippi Clarævallis Abbatis ad D. Otobonum Tituli sancti Adriani Diaconum Cardinalem.

DOMINO OTOBONO, &c. Quoniam, ut dicitur, tempore indigemus ut aliquid maturiùs peragamus. Hinc est, quòd cùm propter negotiorum multitudinem, tum propter temporis angustiam positus in angustia, negotii nostri Ordinis & processus usque nunc habiti, ad præsens non possum vobis ad plenum seriem referare. Frater tamen Godefridus Monachus noster & vester, vobis dictum negotium, prout eidem scripsi, verbis & literis planiùs & pleniùs explicabit. Quocirca dilectissimam nobis Paternitatem vestram ego & Clarævallenses pueri, quos Dominus dedit mihi, vice & nomine universitatis Ordinis nostri, per viscera misericordiæ Dei nostri, & per aspersionem sanguinis Agni immaculati Iesu Christi Domini nostri super omnia benedicti, affectu quo possumus ampliori in Domino requirimus & rogamus, ad vos de nostra tribulatione fiducialiter clamantes: quatenùs in nostræ Reformationis negotio, quod sine gravi & grandi periculo dilationem non capit, juxta quod idem Frater Gode-

Cardinalis Otobonus ab Innocentio IV. avunculo suo creatus est Cardinalis ann. D. 1251. ac tandem Summus Pontifex electus post mortem Innocentii V. & Adrianus V. nuncupatus: sed cùm sedisset diebus quinque supra triginta, mortuus est 18. Aug. ann. 1276.

fridus vos pleniùs informabit, velitis piè & paternaliter interponere partes vestras. Nomine & vice universitatis nostræ, ideò diximus: quia cùm Nos & Morimundensis Abbas, qui cum nostris Generationibus tres partes Ordinis & ampliùs repræsentamus, unà cum aliis Generationibus adhærentibus nobis, simus in dicta Reformatione unanimes & concordes, repræsentamus Ordinem universum; illis extra Ordinem existentibus, ut videtur, qui contra Ordinem se opponunt. Valeat in Domino Iesu Christo vestra nobis præclara Paternitas benè & diù sicut volumus & oramus. Vestrum enim negotium Deo, in orationum suffragiis à nostris & nostræ Generationis Monachis & Virginibus sollicitè conquirendis, fideliter procuramus. Iterùm valete. Oremus pro invicem ut salvemur.

EPISTOLA

Philippi Claræuallis Abbatis ad Dominum Ioannem Toletanum Cardinalem & Episcopum Portuensem.

Interim dum illum conveniat, certiorem eum facit & per Epistolam & per Nuntios de successu negotii dictæ Reformationis.

REVERENDISSIMO Domino suo, &c. Frater Philippus, &c. Quoniam ad vos solennes & fideles nuntios, videlicet exhibitores præsentium præsentialiter destinamus, qui Paternitati vestræ statum nostrum & nostri negotii verbis & literis pleniùs explicabunt: & quia de proximo ipsos sequi proposui, Domino disponente; non est opus ad præsens vobis Epistolam verbosam mittere vel diffusam. Cæterùm, intentionem nostram & nobis adhærentium circa Reformationem nostri Ordinis, ex tenore Literarum quas à Domino Rege Franciæ & Prælatis quàm pluribus ad Summum Pontificem impetravi: necnon & rebellionem Domni Cisterciensis Abbatis ex tenore relationis factæ ad eundem Summum Pontificem per executores negotii supradicti, quorum omnium, si placet, transcripta videbitis, poteritis intueri. Unde cùm de vestra sincerissima fidelitate seu fidelissima sinceritate; necnon & paterna dilectione indubitabiliter nos, videlicet uni-

versitas Ordinis ad nostræ Reformationis remedium aspirantes, & jam ipsius processu prospero præcedente, quia tempus miserendi nostri Ordinis confidimus, imò perspicimus advenisse: à facie olei misericordiæ Dei & Summi Pontificis ejus Vicarii, computrescente jugo iniquæ & indebitæ servitutis, & incipientibus tenebris detestandæ deformitatis evanescere & dispergi, in Domino lætanter & fiducialiter respirantes, esse necessarium non putamus pro tam pio & sancto negotio preces vestræ porrigere Sanctitati, quia cum pium sit & sanctum negotium, ad vestræ piæ Sanctitatis officium non pertinere non potest, nec potestis negligere quod est vestrum. Valeat in Domino Iesu Christo vestra reverenda Paternitas, in Domino per omnia nobis cara. Alia quædam latores præsentium vobis intimabunt, quos in Domino Iesu Christo recommendamus vestræ prædictæ Sanctitatis consilio & favori.

EPISTOLA.

Philippi Claravallis Abbatis ad D. Odonem Cardinalem Episcopum Tusculanum.

Certiorem eum facit de statu Ordinis & domûs suæ, non solùm per Epistolam sed per Abbatem ad ipsum hac de causa transmissum.

SANCTISSIMO & in Christo Reverendissimo Patri Domino Tusculano, &c. Frater Philippus dictus Abbas Claravallis, suorum minimus Monachorum & suus ad serviendum promptissimus Capellanus, & juxta quod Deus administrat devotus Sacerdos, non solùm per obedientiam Charitatis & paternæ subjectionis amorem, verùm & per manûs impositionem & Sacerdotalis ministerii impensam ministerialiter & infusam spiritualiter spirituali unctione; Salutem, & paratam ad ejus beneplacita promptissimam voluntatem cum omni reverentia & honore. Amantissime & Reverendissime Pater, scribendi vobis ad præsens speciosam & spaciosam Epistolam, occupationum & negotiorum inevitabilis & repentina necessitas licentiam non permittit. Veruntamen Venerabilis Pater dilectus vester in Christo Charissimus filius & Coabbas noster Caravallis, quod ad præsens

scribere non sufficimus, vivâ voce supplebit. Vobis nihilominùs ea circa quæ nostra versatur intentio, articulatim in quadam schedula comprehensa, sub sigillo consilii, si vobis placuerit, fideliter commendabit. Ad quæ audienda utinam vos moveat & piæ causæ veritas, & quorumdam immoderata severitas & usurpata auctoritas, & vestra pia Paternitas seu paterna pietas, quam erga me qualemcunque filiolum vestrum non dubito vos habere. Quid autem illa verba prætendant (immoderata severitas, & usurpata auctoritas) dictus Abbas vobis, si necesse fuerit, & verbis & literis explicabit. Qui etiam statum nostrum & infirmitatum præcedentium, & convalescentiæ subsecutæ, & tribulationum iisdem infirmitatibus permixtarum, nec-non & bonum statum domûs nostræ, & persecutiones quas pertulit his diebus, vobis pleniùs enarrabit. Non tamen super hoc in aliquo vestra pia Paternitas contra me vestrum aliquid sinistrum suspicetur, videlicet quòd mea supra firmam petram Christum fundata Charitas perturbetur, aut, quod absit, exorbitet à tramite veritatis; cùm hujusmodi tribulationes & infirmitates non solùm æquanimiter patiar, verùm etiam & in his glorier & delecter cum Apostolo dicente. *Gloriamur in spe filiorum Dei; non solùm autem in hoc, sed & gloriamur in tribulationibus: scientes quia tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò spem, spes autem non confundit.* Scio etiam non solùm auctoritate scripturæ, sed & experimento docente, illum qui dicit, *cum ipso sum in tribulatione.* Et de infirmitatibus dicit Apostolus. *Libenter gloriabor in infirmitatibus.* Hæc, Pater amantissime, fiducialiter vobis scribo incompositè, breviter & succinctè. Sed scio quòd omnia hujus languentis & præcipitis Epistolæ peccata, Charitas præcipuè paterna velabit, quæ operit multitudinem peccatorum. Valeat benè & diù Paternitas vestra in Domino Iesu Christo.



EPISTOLA

Ejusdem Philippi Claraevallensis Abbatis ad universos Generationis Claraevallis Abbates.

Rogat ut apud Claramvallem conveniant circa festum Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis.

VENERABILIBUS in Christo Patribus Generationis Clarævallensis Abbatibus universis, ad quos præsens Epistola dirigetur. Frater Philippus dictus Abbas Clarævallis, Salutem & sinceram in Domino Charitatem. Cùm super ingentibus & urgentibus universas & singulas personas Ordinis tangentibus negotiis, necesse habeamus mutuum & maturum habere colloquium & tractatum, vestram affectu quo possumus ampliori in Domino rogamus & requirimus Charitatem, vobis nihilominùs cum ea quam scimus & possumus benignitate mandantes, quatenùs nonobstante quocunque usu contrario, omnes rectâ viâ versus Claramvallem Charissimam & Clarissimam Matrem vestram velitis ita dirigere gressus vestros, quòd in solennitate Nativitatis Virginis gloriosæ Matris Dei, vel etiam postea cùm primùm potueritis, ingressu Cistercii prætermisso, nobiscum & cum cæteris Coabbatibus nostris in dicta Claravalle personaliter intersitis, ut tunc ibidem prosperitatem negotii Ordinis nostri, quod Dominus & B. Virgo per ministerium Vicarii sui Domini nostri Summi Pontificis inchoavit fœliciter & promovit, vobis plenè & planè verbis & literis exponamus; & super dicti negotii ulteriori processu, & super aliis agendis negotiis dictum Ordinem contingentibus, communicato invicem consilio, interveniente etiam Sanctissimi Patris nostri pariter & Patroni B. Bernardi patrocinio, devotè & fiducialiter invocato Deo medio, quod disponendum videbitur, disponamus. Valete in Domino Iesu Christo, ita circa præmissa devotè & viriliter vos habentes, quòd Religionis vestræ fervor & devotionis affectus appareant in effectu. *Datum Parisius de consilio & assensu Domni Savigniacensis & Trium-Fontium & multorum aliorum, qui ibidem propter consilium convenerant Coabbatum, Anno Domini 1264. in crastino Beati Bartholomæi Apostoli.*

EPISTOLA

Ejusdem ad Abbatem sancti Anastasii.

Hortatur eum ad restaurationem dicti Monasterii.

VENERABILI in Christo, &c. Abbati sancti Anastasii, Frater Philippus, &c. Cùm juxta legis divinæ præceptum, parentibus honor & reverentia debeatur; & juxta legis humanæ statutum, nihilominùs tamen divinitùs institutum, non minùs parentibus quàm liberis necessitatem patientibus oporteat provideri, & debitam alimoniam ministrari. Hinc est, quòd Charitatem vestram in Domino commendamus, super hoc quod vos tanquam filius obedientiæ absque contradictionis obice Ordini nostro piè & promptè parendo, parentis vestræ, id est Matris videlicet Abbatiæ cui nunc præestis, benignè compatientes læsæ æstimationis & sinistræ provisionis periculo; nec-non & dispendio paupertatis, de regimine filiæ honestæ & pacificæ & locupletis, ad regimen illius famæ, ut dicitur, & rerum naufragium patientis non tam ascendere quàm condescendere voluistis, ut per vestram Religiosam & circumspectam solertiam, honorem & famæ recuperet honestatem, in qua fœliciter, vestro perseverante consilio, perseveret. Rogamus igitur & hortamur, sollicitudinem vestram affectu quo possumus excitantes, quatenùs circa restaurationem deperditorum superiùs expressorum, diligénter & efficaciter insistatis. Quia tantò circa prædicta erit laudabilior vestra diligentia, quantò perniciosior neglectus extitit usque modò. Summus etiam Pontifex & Cardinales & cives, vestram Religiosam industriam tantò acceptabiliùs amplectentur, quantò de prædictæ domûs notissima & mœstissima sibi desolatione dolebant. Cæterùm, Charitatem vestram volumus non latere, quòd disposueramus dictam domum personaliter visitare, cui compatimur misericorditer ex affectu, consilium vobis & auxilium & ipsi domui pro viribus impensuri: sed occupationum turba & revertendi cogens necessitas nostrum propositum impedivit. Valete in Domino Iesu Christo. Si hoc anno secundùm consuetudinem & constitutionem Ordinis venire debetis ad Capitulum Generale, ita vestrum

iter

iter accelerare velitis, ut ante dictum Capitulum aliquandiù simul esse possimus, ut de prædictis & quibusdam novis & arduis, utilibus tamen & necessariis totius Ordinis negotiis, vobiscum & cum cæteris Coabbatibus nostris possimus habere spaciosum consilium & tractatum. *Datum, &c.*

LITERÆ

Assertoriæ Procurationis Abbati Monasterii de Ripatorio, factæ pro mutuo contrahendo tam Abbatis Claravallis, quàm totius Generationis Claravallensis nomine.

UNIVERSIS, &c. Frater Philippus, &c. Noveritis quòd nos Domno Theobaldo Venerabil. Coabbati nostro de Ripatorio latori præsentium, Procuratori à nobis constituto in Curia Romana, dedimus potestatem liberam & mandatum speciale contrahendi mutuum, usque ad summam quam voluerit, & sibi videbitur expedire pro negotiis nostris & nostri Ordinis procurandis & utiliter expediendis. Promittentes bona fide & sub obligatione omnium bonorum Ecclesiarum nostrarum, & Generationis nostræ Ecclesiasticorum & mundanorum, nos plenariè & integrè soluturos prædictam summam pecuniæ illi vel illis mercatoribus, qui dictam summam pecuniæ dicto Abbati Theobaldo Procuratori nostro duxerint mutuandam, locis & terminis secundùm conventiones seu pactiones inter ipsum Procuratorem & mercatores, cum quibus jam dictum mutuum fuerit contractum, initas & præfixas. Adjicientes nihilominùs & obligantes bona Ecclesiarum nostrarum, sub forma qua superiùs, ad resarciendum seu restituendum mercatori vel mercatoribus prædictis omnia damna, quæ postquàm ab ipsis fuerimus requisiti, propter defectum seu dilationem solutionis dictæ summæ, eosdem incurrere contigerit vel habere. In cujus rei testimonium præsentibus literis sigillum nostrum duximus apponendum. *Datum anno Domini 1264. in crastino Beati Mauricii Martyris.*

EPISTOLA

D. Beraldi de Neapoli Ecclesiæ Romanæ Subdiaconi & Notarii, ad Philippum Claræ-vallis Abbatem super morte Vrbani IV.

VENERABILI in Christo Patri Religioso viro Dei gratiâ Claræ vallis Abbati, Beraldus de Neapoli Ecclesiæ Romanæ Subdiaconus & Notarius cum devotione, Salutem & paratam ad beneplacita voluntatem. Credimus ad vos infaustis rumoribus pervenisse, quòd fœlicis recordationis Urbanus Papa IV. die Iovis in crastinum B. Remigii apud Perusum viam universæ carnis ingressus, debitum humanitatis exolvit, corpus solo, spiritumque sub spe divinæ misericordiæ, ut dicitur, polo reddens. Verùm, Pater & Domine, non vos terreat ipsius obitus quoad negotium inchoatum, sed de Deo illiusque Genitrice confidite, ad cujus honorem idem negotium inchoastis. Nos quoque consideratis ipsius qualitate negotii, serie processûs & ordine, cujus tenorem novissimè destinastis, cæterisque tam amicorum nostrorum & Ordinis, quàm aliis ejusdem negotii fulcimentis, speramus & pro certo confidimus, quòd quemcunque Dominus in Apostolorum Principis Sede locaverit, habebit præfatum negotium promotorem: Nec illud omittimus, quòd Domini Cardinales à die Lunæ post obitum Domini memorati de successoris substitutione tractantes, licet inveniantur huc usque inefficaciter laborasse; quia tamen ubi præcipiet Altissimus, procul dubio parebit effectus: semper est omnimodis confidendum, quòd pietatis oculo Ecclesiam suam, quam proprio sanguine acquisivit, oriens ex alto respiciet, humiliabit corda tumentia, & seditiones sedens vincet diffidentes: & ut gregem suum diutiùs sine Pastore non deserat, illos qui sibi sapientes sunt, in astutia sua comprehendet.

Cæterùm, quia non decet in materia ista vagari, ne forsan plusquàm expedit stylus excurrat; in illo spes Ecclesiæ residet, qui supra firmam Petram ædificavit eandem, apud ipsum per vos & cæteros nostri Ordinis supplicatio-

nibus devotis insistite, orationibus supplicate, ut eidem Ecclesiæ suæ sanctæ de tali dignetur providere Pastore, qualem turbati quasi per singulas partes suas necessitas exigit orbis terræ. Sanè vestrum, Pater, adventum propter vacationem Ecclesiæ, cùm non credatur diutiùs duratura, non credimus retardandum: sed cùm appropinquaveritis Curiæ ad duas dietas, vel circa, maximè si (quod absit) audieritis Ecclesiæ nondum esse provisum, nuntium præmittatis, amicorum, prout expedire videbitis, expectaturi consilium per eundem. Ad hæc licet de oblatis, per vestras novissimas literas Paternitati vestræ assurgamus ad gratias; pro beneficiorum tamen vestri Ordinis communione concessa, Nos vestrum & ipsius Ordinis totaliter profitemur, parati ad vestra & ipsius Ordinis commoda impendere ac superimpendere nos & nostra. *Datum Perusii* 10. *Octobris.*

EPISTOLA

D. Ioannis Cardinalis Episcopi Portuensis universis Abbatibus apud Claramvallem congregatis.

Renuntiat eis mortem Vrbani IV. & mentem Successoris ejus circa Reformationem Ordinis Cisterciensis.

VENERABILIBVS in Christo Patribus & amicis Charissimis, universis Abbatibus & maximè de Claravalle lineariter descendentibus in festo Nativitatis Gloriosæ Virginis, seu etiam tempore Generalis Capituli in dicta Claravalle vel ubicunque congregatis: Frater Ioannes miseratione divinâ Portuensis & sanctæ Rufinæ Episcopus ac *Monachus Claravallis*, Salutem & malis in mundo crebrescentibus tantò vehementiùs amplecti scutum patientiæ, quantò acerbiùs tribulationum insurgunt turbines, & patientiam nituntur jaculis impugnare.

Hic apertè se Monachum Claravallis profitetur; erat autem natione Anglus. De quo hi versus apud *Papir Masson. in Vrban. IV. leguntur.* Alter quem fovit Cistercius Ordo, Ioannes Nomine, Natalis Anglica terra sibi.

Dies tempestatum sunt in januis, & bellorum discrimina undique debacchantur. Religioni non parcitur, & ubi creditur adesse securitas, ibi citiùs inciditur in spoliatorum insidias. Ductores seducunt quos deducunt per devia, & irruunt in personas: vel si personis deliberant

parcere, rebus contenti quas invenerint in sacculis, tunc arbitrantur misericorditer agere cum talibus, & in facinoribus exercere opera pietatis. Horum causam & occasionem, iniquitates nostras esse puto; & sic imminet urgens necessitas, ut sicut pullulat iniquitas sæviens, sic insurgat justitia puniens: nam aliud remedium non habemus. Et utinam quilibet nostrûm in familia cogitationum, sensuum, motuum & affectuum decentem operetur justitiam; nam ut transeamus damna temporalia, & dissimulemus corporalia flagitia, totus Ordo non sentiret dissensionum tribulos, quæ omnia minantur Charitatis excidium & ruinam. Et ecce, Patres amantissimi, jam Charta Charitatis impugnationem patitur à capite, & ab illis impetitur specialiter, à quibus creditur originaliter per Sanctorum Patrum collationes primitùs processisse. Credebatis vos bona fide curasse languorem qui dominabatur in centro vestri capitis, sed non curastis Babylonem, cùm adhuc remaneat confusio primaria, primitivæ sapiens vestigia tempestatis.

Prima quidem quæstio quam suscitavit Dominus Urbanus, non processit, eo mortuo, ad plenæ discussionis indaginem: quia *successor ejus* apertis attestationibus & multis in eis turpitudinibus visis, propter Ordinis reverentiam procedere noluit ad examen. Placuit enim circa certos articulos non paucos nec modicos, quibus Ordo premebatur graviter, remedium bonæ moderationis apponere: & in illis absque Domini Papæ præsentia, disponente Pontificis futurorum bonorum clementiâ, *partes fuerunt unanimiter concordatæ.*

Successor ejus. Ex hoc patet hanc Epistolam scriptam non solùm post electionem Clementis IV. verùm etiam post istius causæ ventilationem.

Partes fuerunt unanimiter concordatæ; eò faciliùs quòd jam antea Parisiis in præsentia Sancti Ludovici Regis circa pleraque convenissent.

De residuis autem articulis sic idem Dominus competenter ordinavit, quòd exceptis duobus articulis de Definitoribus, quæcunque ipse disposuerat utrinque pro bono pacis extitit toleratum. Quos articulos non definiendos, committet ipse Dominus Papa viris fide dignis, qui debent illos in Capitulo coram omnibus proponere, & rationibus hinc & inde propositis, pro & contra diligenter intellectis, antequàm per illos in aliqua parte judicetur, quid audierint & intellexerint mandanti fideliter intimare. Et hoc habuimus ab ore suo ad omnem sanctitatem consecrato quatuor Cadinales; credentes

firmiter, quòd ea quæ processerunt de labiis suis, irrita non faciet : & hujus rei juramento non præstito testes sumus.

Quapropter, Patres Charissimi, hîc opus hîc labor est, ut sitis constantes, unanimes, longanimes; ut fiat illis bonis viris, quos *mandator* vocat incorruptibiles, evidenter & efficaciter per vivas voces & mortuas de non admittendis infernalibus articulis plena fides. Nec à vestro recedat occipitio, quanti fervoris eratis ab initio, quando Venerabilis Pater noster Domnus Abbas Claræ-vallensis vobis in libertatem proclamantibus, & ipsum humiliter interpellantibus, assumpsit negotium. Assistatis ergo eidem qui vester pugil factus est, & indefessus athleta, non minùs viriliter quàm potenter, donec opus quod ferventer incepit, quod sapienter prosequitur : ad honorem Claræ-vallensium & salutem totius Ordinis fœliciter fuerit expeditum.

Mandator nempe Clemens IV.

EPISTOLA

Ejusdem Cardinalis & Episcopi Portuensis ad Abbatem Morimundi.

Hortatur ut constanter Abbati Claræ-vallensi adhæreat, & spem ingerit prosperi successus dictæ Reformationis.

VENERABILI in Christo Patri & amico charissimo Abbati Morimundi & universis Coabbatibus de Morimundo lineariter descendentibus, Frater Ioannes miseratione divina Portuensis & sanctæ Rufinæ Episcopus & Monachus Claræ-vallis, mundo mori & Christo vivere, & sub jugo Ordinis jugiter permanere; imò sic meditando rimari quod deficit, ut orando sitis solliciti ne quid desit. Quod semel deliberare placuit, iterùm displicere non debet juxta formam canonis, in eo casu potissimùm quando res quæ placuerat, nanciscitur plus virtutis. Semel placuit Charitati vestræ Venerabili Patri nostro Domno Abbati Claræ-vallis, zelanti & laboranti pro libertate & salute totius Ordinis consentiendo & cor tribuendo fiducialiter adhærere sub testimonio literarum bonæ fidei, jam per Altissimi gratiam & ipsius Abbatis industriam

negotium fœliciter initiatum, ad fœliciorem processit progressum. Et sic non est ultra locus pœnitentiæ, nec occasio displicentiæ, quin eidem debeatis in tam pii prosecutione negotii fraternæ charitatis glutino copulari. Unde cùm Dominus Papa jam decreverit duos articulos de Definitoribus committendos *viris fide dignis*, ut illos in Capitulo proponant & audiant, & intelligant quod pro illis vel contra illos dicatur à partibus: Vos igitur monemus & hortamur bona fide consulentes, quatenùs interim deliberetis cum sapientibus & Deum timentibus, quid sit utilius opponendum contra duos articulos, ne in statutum transeant, & nos cum transeuntibus, ad damnum irreparabile transeamus. Sciendum tamen quòd per illum odibilem & abominabilem binarium in Generali Capitulo proponendum, quia nondum est in rerum natura, nec erit volente Domino, nequaquam in aliquo casu judicabitur: sed hoc ordinabitur, per illos fide dignos, quod responsiones factæ & rationes allegatæ super infernalibus articulis in judicium non deductis, secretissimè & cautissimè ad Curiam remittantur. Et tunc si fuerint aliqua, quæ Summum Pontificem in contrariam opinionem dirigere debeant, satis credimus quòd non dedignabitur ordinationem commutare in melius: & hoc habuimus ab ore suo ad omnem sanctitatem consecrato quatuor Cardinales; credentes firmiter quòd ea quæ processerunt de labiis ejus irrita non faciet, & hujus rei juramento non præstito testes sumus.

Viris fide dignis Inter illos præcipuus fuit Guido S. Laurentii in Lucina Presbyter Cardinalis, cujus ordinationem circa duos illos articulos infra exhibituri sumus.

PROCVRATIO

Philippi Abbatis Claræuallensis, Iacobo de Piperno Monacho Claræuallis concessa.

VNIVERSIS præsentes Literas inspecturis, Frater Philippus dictus Abbas Claræuallis, & ejusdem loci Conventus, Salutem in Domino Iesu Christo. Noverit universitas vestra, quòd nos constituimus & ordinamus Domnum Iacobum de Piperno Domini Papæ &

Reverendi Patris Domini Iordani Sanctorum Cosmæ & Damiani Diaconi Cardinalis, Capellanum & Monachum Monasterii Fossæ-novæ, voluntate, assensu & mandato ipsius Domini Iordani Cardinalis loco nostri & omnium adhærentium nobis, nostrum Procuratorem legitimum Syndicum seu Actorem ad omnes lites & quæstiones motas & movendas in Ordine & extra Ordinem, tam in Curia Clericali quàm etiam Laïcali, ad agendum, excipiendum, replicandum, appellandum, appellationem prosequendum, & in Romana Curia impetrandum privilegia, literas tam supplices quàm legendas; & ad contradicendum & conveniendum ante Iudices, nec-non & ad omnia & singula faciendum in præmissis quæ potest & debet facere verus & legitimus Procurator Syndicus sive Actor. Dantes eidem etiam potestatem & speciale mandatum constituendi vel substituendi alium seu alios Procuratores, & revocandi ipsos, quoties viderit expedire. Promittentes nos ratum habituros & firmum, quicquid prædictus Procurator Syndicus sive Actor, vel substituti ab ipso, duxerint faciendum. In cujus rei testimonium præsens procuratorium nostri roboratum sigilli munimine duximus eidem Iacobo concedendum. *Datum anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo-quinto, in octava Apostolorum Petri & Pauli.*

Iordanus Conti ex Campania Rom. ab Vrb. IV. factus est Cardinalis Tituli Sanctorum Cosmæ & Damiani.

RESCRIPTUM
Domini Papæ Clementis IV. ad Abbatem Cistercii.

Absolvit eum à sententiis excommunicationis, suspensionis & interdicti in eum & adhærentes latis.

CLEMENS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI, Dilecto filio Abbati Cistercii, &c. *Et infrà.* Fœlicis recordationis Vrbanus Papa prædecessor noster intellecto dudum quòd Cisterciensis Ordo erat collapsus in pluribus, ad ipsius Ordinis Reformationem intendens: Venerabili Fratri nostro Episcopo Trecensi, & Dilectis filiis Abbati Majoris-Monasterii Turonensis, ac Fratri Gaufrido dicto de Bello-loco de Ordine

Prædicatorum per suas Literas sub certa forma commisit negotium ejusdem Reformationis. Super hujusmodi autem negotio inter personas Cisterciensis Ordinis dissensionis materiâ suscitatâ ; & dilecto filio Claraevallis Abbate aliisque sibi adhærentibus in hac parte prosequentibus negotium memoratum : contigit per Episcopum suosque Collegas prædictos, in te tibique adhærentes, licet post appellationem de facto solùm, ut asseris, varias excommunicationis & suspensionis sententias promulgari. Cùm autem in hujusmodi dissensione, vitatis anfractibus litigiorum, provisionis nostræ compendio salubre per Dei gratiam duxerimus remedium apponendum, & prosperum ac tranquillum statum ipsius Ordinis multipliciter affectemus, ut omnis tollatur in eo turbationis occasio ex prædictis : Universas & singulas prædictas excommunicationis, suspensionis & interdicti sententias, in te ac prædictos tibi adhærentes occasione hujusmodi negotii, à prædictis Episcopo & Collegis suis vel quibuscunque aliis secundùm statuta ejusdem Ordinis promulgatas, ad cautelam relaxamus de plenitudine potestatis, tecum & cum prædictis adhærentibus super irregularitate, si quam occasione prædictarum sententiarum forsitan contraxistis, nihilominùs dispensantes.

RESCRIPTUM

Ejusdem ad Abbates Claraevallis & Morimundi in eundem finem.

CLEMENS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI, Dilectis filiis Claraevallis & Morimundi Monasteriorum Abbatibus Cisterciensis Ordinis Lingonensis Diœcesis, Salutem & Apostolicam Benedictionem. Fœlicis recordationis Urbanus Papa prædecessor noster intellecto dudum quòd Cisterciensis Ordo erat collapsus in pluribus, ad ipsius Ordinis Reformationem intendens : Venerabili Fratri nostro Episcopo Trecensi, & Dilectis filiis Abbati Majoris-Monasterii Turonensis, ac Fratri Gaufrido dicto de Bello-loco de Ordine Prædicatorum negotium hujusmodi Reformationis in eodem Ordine

Ordine faciendæ per suas literas sub certa forma commisit. Super eodem autem negotio inter personas ipsius Ordinis dissensionis materiâ suscitatâ, & vobis & nonnullis aliis vobis adhærentibus in hac parte prosequentibus negotium memoratum, idem prædecessor noster vobis & adhærentibus prædictis gratias, indulgentias & privilegia diversa occasione memorati negotii duxerit per suas literas concedenda, quæ tenuistis, & quibus, ut dicitur, usi fuistis; propter quod à nonnullis asseritur, vos & adhærentes eosdem privationis, amotionis seu depositionis pœnas, ac excommunicationis & alias varias sententias secundùm Statuta ipsius Ordinis incurrisse. Cùm autem in dissensione hujusmodi, litigiorum vitatis anfractibus, provisionis nostræ compendio salubre per Dei gratiam duxerimus remedium apponendum, & prosperum ac tranquillum statum ipsius Ordinis multipliciter affectemus, ut omnis tollatur in eo turbationis occasio ex prædictis: Universas & singulas excommunicationis, suspensionis & interdicti sententias, pœnas quoque amotionis, privationis, depositionis & quascunque alias, ac etiam maculam seu notam infamiæ, si quas vos & prædicti adhærentes impetrando literas, gratias, indulgentias seu privilegia prædicta, tenendo ipsa vel eis utendo secundùm Statuta ipsius Ordinis, forsitan incurristis, ex officio nostro relaxamus, remittimus & abolemus omninò; vos, si opus est, & adhærentes ipsos restituentes in integrum de plenitudine potestatis, & vobiscum & cum ipsis adhærentibus super irregularitate, si quam contraxistis occasione hujusmodi, misericorditer dispensantes: ac nihilominùs decernentes, sententias & pœnas prædictas his quæ per vos & adhærentes ipsos seu auctoritate vestra, seu ipsorum adhærentium medio tempore acta sunt aliquatenùs non obstare, quo minus, dummodo aliàs ritè habita fuerint, plenum robur obtineant firmitatis. Nonobstantibus quibuscunque prædicti Ordinis consuetudinibus, Constitutionibus seu Statutis, juramento, confirmatione Sedis Apostolicæ, seu quacunque alia firmitate vallatis quibus quoad præmissa, nec-non & quoad obtinendum, tenendum præsentes literas, & utendum ipsis & beneficio earundem, vos & adhærentes prædictos volumus non te-


neri. Decernentes nihilominùs ex nunc irritum & inane si secùs fuerit attentatum. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ relaxationis, remissionis, abolitionis, restitutionis, dispensationis & constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraïre. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & Beatorum Apostolorum ejus Petri & Pauli se noverit incursurum. *Datum Perusii Kalendis Iulii Pontificatùs nostri anno primo.*






ADMONITIO
IN SEQVENTEM
D. PAPÆ CLEMENTIS IV.
CONSTITVTIONEM.

CVM inter se diù multumque disceptassent Abbas Cistercii, cæterique primi quatuor Ordinis Cisterciensis Abbates de mutua Iurisdictione, & maximè temporibus Innocentii III. Honorii III. & Vrbani IV. Romanorum Pontificum, tandem Guido Grossus patriâ Narbonensis, ex Archiepiscopo Narbonensi, S. Sabinæ Cardinalis, Vrbano IV. sub nomine Clementis IV. successit VIII. Februarii ânno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo quinto, eodemque anno quinto Idus Iunii primas Apostolatûs sui curas Ordini Cisterciensi inter has discordias periclitanti consecravit. Itaque coronatus Viterbii VIII. Kal Martii jussit adesse coram tum Abbatem Cistercii, tum âlios quatuor primarios ejusdem Ordinis Abbates: eorumque discordiam ex varia intelligendæ Chartæ Charitatis ratione manantem, singulas illius ordinationes interpretando ac nonnullas immutando, summâ prudentiâ composuit in eum qui sequitur modum.





CONSTITUTIO
D. PAPÆ CLEMENTIS IV.
PRO INTERPRETATIONE CHARTÆ CHARITATIS, ET COMPOSITIONE PRÆDICTÆ DISCEPTATIONIS.

CAPUT PRIMUM.

Eximia Ordinis Cisterciensis commendatio.

Anno Dom. 1165. Cistercii 167.



LEMENS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI, ad perpetuam rei memoriam. Parvus fons qui crevit in fluvium, & in lucem solemque conversus, in aquas plurimas redundavit, Cisterciensis est Ordo perlucidus, qui à sui ortûs exordio parvus & humilis abjectione habitus, tenuitate substantiæ, humilitatis professione, ac numero professorum, sub fontis metaphora non indignè describitur, cui diversarum illi proprietatum conformitate conformis non immeritò comparatur.

Ex his verbis patet evidenter, hunc Ordinem nihil adhuc laxamenti passum in moribus, nihilque inter Superiorum suorum discordias, vel admodùm nihil, amisisse primigeniæ sanctitatis.

Hic est enim fons hortorum irriguus cæteras rigans Religiones & Ordines, ac in ipsos exemplis salutaribus scaturisans. Hic est fons amœnus varietate virtutum, præclarus munditiæ puritate, pietate patens, indeficiens sanctitate: quorum merito sic excrescere meruit, ut fontis nomen excedens fluvius censeatur. Cujus processus laudabilis de virtute in virtutem; ut Deum Deorum in Sion videat, gradientis universalis Ecclesiæ lætificat unitatem, in qua per meritorum evidentium claræ lucis splendorem adeptus, quasi stella matutina resplendet in medio nebulæ mundi hujus, & in ea splendidos emittens radios instar Solis, velut aquæductus de Paradiso proveniens, in aquas

redundat plurimas, hortum plantationum suarum, cœtus scilicet Claustralium quos produxit, aquis irrigans gratiarum, & vino spiritualis lætitiæ fructum inebrians partûs sui.

Hujus siquidem Ordinis sacra Religio, à suæ institutionis auspiciis quasi deserta & invia, utpote paucis adhuc initiata cultoribus; tandem honoris & honestatis fructus parturiens, ramos suos, ramos quidem honoris & gratiæ, quasi Terebinthus extendit, ac germinans generationes & progenies germinavit. Eapropter lætatur & jubilat lætabunda, & laudans exultat jam in multitudine numerosa spectabilis, quæ olim quasi despicabilis in solitudine delitescebat. Dignè itaque hic Ordo dignissimus, dilectus & prælectus à Domino, eidem psallit & asserit cum Propheta: *In terra deserta & invia, sic in sancto tibi* desiderio & solido proposito Religionis *apparui*; non ut me in habitu vel ambitu ostentationis tibi, qui omnia vides, ostenderem: sed ut in humilitatis abjectione tuam viderem, &, te misericorditer donante, perciperem gloriam & virtutem. Vidit & gavisus est; percepit enim, ut præmittitur, multæ fœcunditatis gloriam in Charitate fundatus.

Primi namque ipsius Ordinis Architecti, prima quasi ejusdem Ordinis fundamenta, in Charitate jecerunt; eundem Ordinem ad instar sponsi cœlestis, qui in speciosissima sponsa sua Charitatem, ut ipsa fatetur, quò in ea perseverantior fieret, ordinavit: Charitativis præceptis & institutionibus ordinantes, quibus *Charta Charitatis* nomen (nec immeritò) imponentes, per ipsas ad Charitatis conservationem, juxta Prophetæ promissum, ipsius Ordinis lapides statuerunt; ordinantes in illa quid majoribus quidve minoribus debeatur, ut secundùm ejusdem Prophetæ vaticinium, *ipsius Ordinis agni juxta ordinem suum pascerentur.* Isaye 5.

CAPUT II.

De causis hujus Constitutionis.

LICET autem Ordo prædictus, ex Charitatis ordinatione firmissimus, &, ut castrorum acies ordina-

ta, terribilis, continuè in spiritualis pugnæ procinctu desudans, contra hostes spiritus pugnare didicerit, & ipsos etiam expugnare; adhuc tamen Satan cribrum suum movere non desinit, sed ipsum movet & excutit, expectans & expetens ut excutiat filios excussorum. Adhuc Sizara Israëlitas, falcatis eos curribus oppressurus, insequitur: Adhuc hostis antiquus peculiarem Domini populum, Religiosos videlicet, Dominum contemplationis speculatione videntes, & specialiter in ejus partem assumptos, non cessat impetere; sed totis satagit viribus, variis conatur insidiis, diversis in illos conatibus insilit, ut ipse à participio gaudii cœlestis exclusus, in eis, jucundè habitantibus unius moris in domo, Charitatem vulneret, unitatem separet, ipsosque separatos in ejusdem pugnæ conflictu debiliores efficiat, & ab eis jucunditatem unanimitatis excludat. Hoc ipsum enim insidiosè molitus est in personas præfati Ordinis, his diebus inter ipsas, super diversis articulis, discordiarum excitatâ materiâ, litium satis seminibus, & jactis seminariis jurgiorum.

Nos autem ipsius Ordinis sanctitatem & claram famam (cujus odor sicut agri pleni, cui Dominus benedixit, totam replet Ecclesiam) singulari zelantes affectu, ne vel ipsius sanctitas talibus nutaret insultibus, vel famæ claritas detractorum linguis exposita turbaretur, sed singula in eodem Ordine locum, ut præmittitur, decenter sortita retineant; sicque contra prædicti Sizaræ impetus de cætero efficaciùs ipsius ministerio dimicetur, & ipsum faciliùs, juxta Delboræ canticum, *Stella in suo cursu & ordine manentes expugnent*, principiis putavimus obsistendum: exortam in eodem Ordine super articulis prædictis dissensionis materiam, vitatis litigiorum anfractibus, & exclusis Advocatorum tumultibus, salubris & celeris subscriptæ provisionis nostræ compendio decidentes: nunc antiqua ipsius Ordinis Statuta interpretationis juvando remedio, nunc eadem Apostolicâ auctoritate firmando, nunc etiam quædam nova de unanimi consensu Cisterciensis & quatuor infrascriptorum primorum, ac aliorum Abbatum & quamplurium personarum ipsius Ordinis in nostra constitutarum præsentia, statuendo.

CAPUT III.

De administratione & electione vacantis Monasterii.

LICET igitur contineatur in Chartâ prædictâ, quod si qua domus ejusdem Ordinis Abbate proprio fuerit destituta, major Abbas de cujus domo domus illa exivit, ordinationis ejus habeat omnem curam, donec in ea Abbas alius eligatur. Domui autem Cisterciensi, quia mater est omnium, dum proprio Abbate caruerit, quatuor primi Abbates, scilicet de Firmitate, de Pontiniaco, de Claravalle, & de Morimundo provideant, & super eos sit cura illius domûs, donec electus Abbas in ea fuerit & statutus: hoc tamen ex usu & consuetudine dicti Ordinis generali sic interpretandum duximus, ut videlicet administratione vacantis Monasterii remanente penes Conventum ejusdem, si quæ forsan emerserint difficilia, propter quæ vel Cisterciensis ad dictos primos quatuor, vel aliorum Monasteriorum Conventus ad suos Patres Abbates duxerint recurrendum: Abbates ipsi curam & diligentiam habeant in consilio & auxilio, postulantibus, prout requirit eorum necessitas, impendendis. Et licet administrationem penes singulorum Monasteriorum vacantium Conventus dixerimus, secundùm morem servatum hactenùs remanere: Sigillum tamen prædicti Monasterii Cisterciensis eo vacante, Prior ipsius custodiat consignatum & clausum, sicut hactenùs fieri consuevit. In aliis verò Monasteriis vacantibus, sigilla eorum Patres Abbates sigillis aliorum Abbatum signata teneant & inclusa.

In Charta etiam hujusmodi continetur, quòd domo qualibet ejusdem Ordinis Abbate proprio, ut prædicitur, destitutâ, electionis die præfixâ etiam ex Abbatibus, si quos domus illa genuerit, advocentur: & consilio & voluntate Patris Abbatis, Abbatem eligant Abbates & Monachi domûs illius. Ad electionem autem Cisterciensis Abbatis præfixâ & prænotatâ die, ad minus per quindecim dies, ex Abbatibus quorum Domus de Cistercio exierunt, & ex illis quos noverint prædicti Abbates & Fratres

Cistercienses idoneos, convocentur: & congregati in nomine Domini, Abbates & Monachi Cistercienses, Abbatem eligant. Super quo contentione orta, quod id non servabatur juxta ipsius Chartæ tenorem: Nos attendentes quòd quamvis ab antiquo per Abbates dicti Ordinis ita fuerit ordinatum; id tamen in desuetudinem abiit, & jam de communi consuetudine soli Monachi vacantis Monasterii vocem in electione Abbatis habere noscuntur; hujusmodi consuetudinem volumus & præcipimus observari, eam laudabilem & rationabilem judicantes, cùm ad jus commune reduxerit, quod fuerat contra juris communis regulas constitutum: Ita quod ea, quæ de vocandis aliquibus Abbatibus, quorum Domus de Cistercio exierunt, (quod quidem de Patribus Abbatibus hactenùs est servatum) & cætera quæ de vocatione hujusmodi, quoad Cisterciense, nec-non quoad alia ejusdem Ordinis Monasteria in dicta Charta, ut præmittitur, continentur, eadem tam in ipso Cisterciensi, quàm in aliis Monasteriis inviolabiliter observetur. Licet enim prædicti sic vocandi, vocem in electione non habeant; eorum tamen præsentia posset esse multipliciter fructuosa.

Hæc præcipua totius dissidii præsentis causa. Nam Guidone Cisterciensi in Cardinalem, ut jam diximus, assumpto; Iacobus successor ejus, inconsultis quatuor primis Abbatibus, à solis Monachis Cistercii suffectus ei fuerat; Quod Philippo Claræ-vallensi & aliis ^ Abbatibus Primariis mirum in modum displicuit: in quo tamen, ut patet ex hac Constitutione, causâ ceciderunt, saltem ex parte & quoad vocem activam quam juxta Chartæ Charitatis tenorem, In Electione Abbatis Cisterciensis prætendebant. {addere debebat Julianus abbas Ex [illegible]

^ Falsa hæc annotatio, patet enim ex ipsismet [illegible] disceptationum quòd abbates Firmit. et Pontiniaci non adhærebant Philippo sed abbati Cisterc[ij]. Sæpissime mentitur ipse author in scribendo de reb. ord. præcipue spectantib. abbates [illegible] ut alibi fusius notabimus. fuit enim semper iste Julianus Paris Anticisterciensis [illegible] [illegible]

CAPUT IV.

Utrum Abbas Cisterciensis concorditer electus, administrare valeat ante Sedis Apostolicæ confirmationem.

Cæterum quia circa electionem Abbatis prædicti Monasterii Cisterciensis, fuit ab aliquibus dubitatum, an possit ex usu aliquo tolerari, quod circa Cisterciensem Electum retroactis temporibus est obtentum, videlicet ut Cisterciensis Electus, si ejus electio fuerit in concordia celebrata, administrare valeat etiam à nemine confirmatus, & sine confirmatione aliqua habeat curam animarum. Nos ad hujusmodi dubitationem in perpetuum amovendam, statuimus ut in Monasterio Cisterciensi celebratâ electione concordi, secundùm morem hactenùs servatum, Electus prædicto modo concorditer, eo ipso

verus

verus sit Abbas Cistercii, & administrandi licentiam curamque animarum habeat; ac in omnibus pro vero Abbate perinde habeatur, ac si à Sede Apostolicâ confirmationis beneficium habuisset, à quâ ipsum intelligi volumus & statuimus confirmatum. Licet autem idem Abbas Cistercii prædicto modo auctoritate Apostolicâ confirmetur, nihil tamen depereat per hoc ejusdem Ordinis libertati, quam circa cessionem & amotionem Abbatis ipsius idem Ordo dignoscitur habuisse, quamque ipsi Ordini manere volumus illibatam.

CAPUT V.

De modo & ratione agendi servanda in electionibus Abbatum.

ET quia præfatus Ordo in multa simplicitatis puritate fundatus, profecit laudabiliter in eadem; Nos circa electiones in Monasteriis ejusdem Ordinis faciendas, sic personas ipsius Ordinis procedere toleramus, sicut hactenùs processerunt, necessitatem servandi solennitates seu formas contentas in Concilio *Generali* eis de gratiâ remittentes. Ordinamus autem quòd in majoribus Abbatiis Generationem habentibus, cùm vacaverint quindecim dierum ad minus, ad eligendum terminus assignetur: Et Prior, Subprior ac Cellerarius vacantis Monasterii conveniant de Electoribus, quos idem Prior, postquàm de ipsis convenerint, in Capitulo nominabit: Patres verò Abbates vel Visitatores nullum nominent Electorem, neque Electoribus prædicto modo creatis, simul vel sigillatim aliquod dent præceptum, nisi quod in publico eis injungant arctiùs, ut secundùm suas conscientias provideant vacanti Monasterio bona fide, nec alicujus vacantis Monasterii Pater Abbas sibi nominari postulet Electores, antequàm in Capitulo nominentur: nec aliquem ex congregatis ad eligendum Electoribus ad se vocet, nec verbo aut scripto vel signo eis vel eorum alicui suam insinuet voluntatem; nec electioni clam vel palam impedimentum aliquod inferat, per quod Electorum impediat libertatem. Electam quoque personam, si sufficiens & idonea vacanti

Scilicet *Lateranensi in cap.* Quia propter.

Monasterio fuerit, non refutet; & qui contrà fecerit, graviter puniatur: nec aliquam personam amoveat ab officio, vel de Monasterio ejiciat ipsius vacatione durante.

CAPUT VI.

De Capitulo Generali.

INSUPER statuimus & ordinamus, quòd in Ordine prædicto, juxta morem laudabilem hactenùs observatum, annis singulis Generale Capitulum celebretur, in quo viginti quinque Definitores statuantur hoc modo. Abbas Cisterciensis tanquam Pater, primus nominet quatuor Definitores de Generatione sua speciali, quos idoneos esse crediderit ad Definitoris officium exercendum. Et exinde prædicti primi quatuor Abbates, scilicet quilibet eorum de Generatione sua, quinque dicto Abbati Cistercii seorsum vel coram aliis nominabit; ex quibus quinque Abbas Cistercii, uno prætermisso, quatuor eligat quos sufficientes esse crediderit. Et sic viginti Definitores erunt, suis quatuor cum cæteris nominatis: quos & prædictos quatuor primos Abbates idem Abbas Cistercii in Capitulo die secundâ Capituli nominabit & Definitores instituet, & ipse cum eis vigesimus quintus erit. Si quis verò ex prædictis primis quatuor Abbatibus tunc non fuerit in hujusmodi Capitulo, idem Abbas Cisterciensis de Generatione absentis assumet quatuor Definitores quos idoneos existimabit.

Ut autem prædicti Cisterciensis, & quatuor primi Abbates Deum habentes præ oculis, odio & amore ac personarum acceptione postpositis, bona fide procedant; eosque qui nunc sunt & futuros in posterùm ad hæc fideliter observanda, sub attestatione divini judicii, & in virtute obedientiæ Apostolicæ Sedi debitæ obligamus: ordinantes & statuentes, quòd literæ missæ Capitulo Generali personæ infamiam continentes, legantur coram Definitoribus Ordinis supradicti; & quòd judices dati ab eodem Capitulo, non subdelegent aliis vices suas. Definitiones quoque Capituli non revocentur, præter voluntatem Definitorum in loco residentium consueto.

Statuta de cætero facienda non obligent, nisi in sequentis anni Capitulo confirmentur, & per Definitores nihil definiatur priùs in Capitulo non notatum. Stetur sententiæ majoris partis eorum. Cumque ipsorum sententia in discordiam venerit, Abbas Cistercii pro duobus reputabitur.

Definitores verò nominati protestabuntur in Capitulo stando, per juramentum in verbo Sacerdotis, quòd injunctum sibi ministerium ad honorem Dei, & utilitatem dicti Ordinis fideliter exequentur. Hoc etiam ipse Abbas Cisterciensis sedendo facere teneatur. De notandis autem his, quæ contra memoratum Abbatem Cistercii dicta fuerint in Capitulo, ita fiat, sicut in casu consimili de alio notaretur. Eleemosynæ verò quæ mittuntur Capitulo Generali, recipiantur per duos Abbates, quorum unus per eundem Abbatem Cistercii, & alius per prædictos primos quatuor Abbates ponantur de cætero alternatim; ita quòd quilibet de ipsis illum ponat secundùm ordinem suum vice sua.

CAPUT VII.

De Visitatione domûs Cistercii per quatuor primos Ordinis Abbates singulis annis facienda.

DENIQUE ne in Ordine prædicto aliquæ possint spinæ subcrescere vitiorum, præcipimus prædictum Cisterciense Monasterium ab eisdem primis quatuor Abbatibus annis singulis visitari. Et (nisi de die alio Abbas Cistercii cum eis convenerit) in festo Beatæ *Mariæ Magdalenæ* fiat hujusmodi visitatio annuatim; Nec liceat dicto Abbati Cistercii diem mutare condictam sine causa rationabili & urgente: quam, si ei supervenerit, intimet eisdem primis Abbatibus in tempore opportuno per se vel per nuntium, cum quo iidem Abbates de die subrogandâ tractare valeant & etiam convenire. Quòd si cum nuntio concordare nequiverint, ipsimet diem statuant sive terminum competentem, & eidem Abbati Cistercii per eundem nuntium vel alium intiment, prout viderint ex-

pedire; quæ omnia dicti primi quatuor Abbates bonâ fidè & absque aliqua captione facere teneantur.

Sanè cùm prædicti quatuor Abbates Cistercium visitabunt, Abbates & Monachi socii Visitatorum ipsorum, in proclamationibus faciendis tam in Capitulo Monachorum quàm etiam Conversorum vocem liberam habeant; licet aliquando, prout fertur, eis fuerit denegata. Si quid autem in persona Abbatis vel in aliis, in eodem Monasterio crediderint reformandum: id eidem Abbati suggerant; hoc est cum reverentia & honestate dicant, ac eum benignè moneant & hortentur; ut id emendet in se vel in aliis faciat emendari. Quòd si facere fortè noluerit insolenter; vel distulerit negligenter, servetur quod in eadem Charta Charitatis continetur expressè; videlicet ut iidem quatuor primi Abbates sub cæterorum Abbatum nomine usque quater, ut corrigatur ipse & alios corrigere curet, admoneant: & cætera quæ de aliis Abbatibus in eadem Chartâ dicuntur, si incorrigibiles apparuerint, circa eum studiosè adimpleant; excepto quòd si spontè cedere noluerit, nec deponere, nec contumaci dicere anathema poterunt; donec aut in Generali Capitulo, aut si illud jam visum fuerit expectari non posse, in Conventu alio, convocatis Abbatibus qui de Cistercio exierunt & aliquibus aliorum, virum inutilem ab officio suo deponant. Conventum autem alium intelligimus eorundem Abbatum concordem reditum, ad processum hujusmodi faciendum in aliquâ ejusdem Ordinis Abbatiâ, eo circa punitionem Cisterciensis Abbatis moderamine adhibito; quod circa Abbates alios inferiùs est statutum.

CAPUT VIII.

De Visitatoribus & de his ad quæ tam illi quàm alii respectu illorum astringuntur in cursu visitationis.

NE verò Visitatores Monasteriis, ad quæ causâ visitationis accesserint, nimiùm onerosi existant; statuimus & ordinamus, quòd majores Abbates cùm visitaverint, decem evectionibus sint contenti. Monachi verò,

qui ad visitandum mittuntur, cum Abbate sibi associato, senarium evectionum numerum non excedant. Qui autem aliter ex aliqua causa fecerit, prædictum numerum excedendo, veniam inde petat in sequenti Capitulo Generali. Patribus verò Abbatibus vel Visitatoribus cùm ad aliquod Monasterium visitandum accesserint, in locis dumtaxat tutis & temporibus pacatis, nullus de Monasterio ipso occurrere, vel post visitationem eos deducere teneatur. Nullus insuper Pater Abbas, vel etiam Visitator in Cellariis & domibus, in Castris & Villis non habentibus rura & vineas, ex quibus posset hospitalitas exhiberi; sibi provideri postulet vel occurri. Nec aliquis teneatur ibidem transeuntibus occurrere, vel in aliquo providere. Visitatoribus quoque seu aliis personis prædicti Ordinis nunquam plusquàm duæ pitantiæ piscium ministrentur, nec de pluribus præsumat comedere, cui fortè fuerit ministratum. Carnibus (nisi forsan in casu secundùm Regulam concesso) exclusis omninò, & ipsarum esu penitùs interdicto: & tunc ille solùm comedat quem hujusmodi casus attinget.

Patres Abbates & Visitatores in visitationibus Officiales amovere poterunt, quos ex certis causis noverint amovendos: ita tamen quòd causas depositionum vel amotionum Abbati proprio, vel Priori aut locum tenenti, si Abbas fortè defuerit, priùs ostendant. Quòd si proprius Abbas vel Prior, accusatum apud Patres Abbates vel Visitatores sufficienter excusare poterit; de plano sine strepitu & in ipsa visitatione, Patres Abbates & Visitatores benignè hujusmodi excusationes admittant.

Nullus verò Monachus vel Conversus emittatur ad aliam domum, cujus culpa sine gravi damno vel scandalo in domo propria poterit emendari: & qui emittendi fuerint, de quatuor aut quinque seniorum domûs consilio emittantur. Quicunque verò aliquem aliter emiserint; omni sextâ feriâ jejunent in pane & aquâ, donec emissus fuerit revocatus, vel emittens fuerit in certo & firmo proposito revocandi eundem. Et licet Patres Abbates seu Visitatores deputati ab eis secundùm formam Ordinis prædicti audire possunt statum domorum & personarum in visitationibus publicè vel privatim; tamen super his

quæ sibi privatim suggesta fuerint, non procedant ad punitionem personarum, nisi priùs coram accusato, in præsentia quatuor aut quinque seniorum domûs, publicata fuerint in secreto: & tunc de plano & sine strepitu videant si sint vera, & si super eis ad punitionem fuerit procedendum. Porrò ut visitatio in charitate procedat, nulla de cætero in Ordine præfato exactio, subventio, vel collecta, (salvo statuto in eadem Chartâ Charitatis contento) petatur, vel fiat à quoquam Patre Abbate vel Visitatore, sive sit Abbas sive Monachus; nec aliquis suscipere donum suspectum attentet. Illi tamen qui mittentur vel ibunt ad regiones remotas gratiâ visitandi, poterunt moderatè necessaria recipere ab illis, qui eis ex charitate ac mera liberalitate & sine sui gravamine voluerint subvenire: qui verò contra hæc aliquid recipere præsumpserint, graviter puniantur. Sanè Visitatores visitationes suas ultrà triduum continuum non protelent. Quòd si ex justa & manifesta causa aliter facere compellantur, causam hujusmodi teneantur intimare sequenti Capitulo Generali.

CAPUT IX.

De Depositione Abbatum.

CÆTERUM ut circa depositiones Abbatum via malitiis præcludatur, statuimus ut quicunque Abbatem aliquem deposuerit, causam depositionis & processum habitum circa ipsam, per literas suo & Abbatum, qui depositioni eidem interfuerint, sigillis signatas, in sequenti Capitulo Generali, nullo etiam requirente vel proclamante, insinuare ac exponere teneatur. Dicti etiam Abbates si præsentes fuerint, processum depositionis ejusdem, & an de consilio eorum sic fuerit processum, exponant: Et tunc Generale Capitulum, utrum depositio justa vel injusta fuerit, judicabit. Quòd si prædicti Abbates præsentes non fuerint, hoc ipsum per suas patentes literas Generali Capitulo explicitè attestentur; & omnes prædicti suprà suas conscientias hoc facere teneantur. Et ut Abbatibus prædicti Ordinis subtrahatur materia de-

linquendi, nec ipsi conqueri valeant per eorum Patres Abbates se indebitè fore gravatos.

Statuimus & ordinamus quòd Pater Abbas subjectum sibi Abbatem deponere debeat, pro causis dumtaxat inferiùs annotatis; videlicet, pro *hæresi*, pro *simonia manifesta*, pro *immunditia carnali*, pro *dilapidatione sui Monasterii, enormiter alienando vel dissipando bona*, pro *furto, homicidio, gravi sacrilegio, solenni perjurio*, pro *conspiratione*, & *si falsarius fuerit literarum Summi Pontificis*, vel *Sanctæ Ecclesiæ Romanæ Cardinalium, Principum, Episcoporum, vel Abbatum Ordinis supradicti*, & *si contra communia Instituta ipsius Ordinis privilegia impetraverit, vel retinuerit, aut uti præsumpserit impetratis*. In illis autem casibus superiùs non expressis; injungat ei Pater Abbas vel Visitator ut veniam petat in sequenti Capitulo Generali, ad arbitrium ipsius Capituli per depositionem vel aliter puniendus. Depositus autem à regimine Abbatiæ, si sententia depositionis suæ apparuerit injusta ex ordine & ex causa, restituatur per Generale Capitulum; & deponens ibidem recipiat talionem. Si verò circa hujusmodi depositionum sententias in modo tantùm vel in ordine sit erratum, causâ depositionis legitimâ existente, tunc non restituatur depositus, sed deponens ad arbitrium dicti Generalis Capituli puniatur: in casibus quoque, in quibus peractâ pœnitentiâ infamia remanet, depositus ineligibilis sit omninò: in illis autem in quibus post peractam pœnitentiam nulla infamia remanet, postquàm impositam pœnitentiam peregerit, eligibilis habeatur. Et quia per obligationes ipsius Ordinis multa posset idem Ordo incurrere detrimenta: statuimus, ordinamus, & providemus, quòd nullus prædictum Ordinem valeat obligare.

Casus pro quibus deponi debent Abbates Ordinis Cisterciensis.

CAPUT X.

Quòd hæc Constitutio D. Papæ Clementis IV. singulis annis legi debeat in Capitulo Generali.

PRÆMISSA igitur quæ pro utilitate, honore ac statu prospero dicti Ordinis duximus statuenda, universa & singula in perpetuum ab universis personis ipsius

Ordinis inviolabiliter observari præcipimus: & ne tradantur oblivioni vel neglectui habeantur, in Generali Capitulo annis singulis recitari. Nulli ergo omninò homini liceat hanc paginam nostræ provisionis, decisionis interpretationis, constitutionis, & ordinationis infringere; vel ex ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum. *Datum Perusii quinto Idus Iunii, Pontificatus nostri primo.*

ORDINATIO

Domini Guidonis Sancti Laurentii in Lucina Presbyteri Cardinalis & Cistercii quondam Abbatis.

IN Nomine Domini, Amen. Nos Frater Guido Tituli sancti Laurentii in Lucina Presbyter Cardinalis Apostolicæ Sedis Legatus, facto & recepto in nos compromisso super discordia quæ vertebatur in Ordine circa electionem seu institutionem Definitorum, & data nobis plenaria potestate ab Abbate & Conventu Cistercii, & à quatuor primis Abbatibus, & à toto Capitulo Generali, ordinandi & statuendi in prædicto negotio quod paci & utilitati Ordinis videbimus convenire, pro bono pacis & charitatis in Ordine conservandæ: Ordinamus atque statuimus, quòd quilibet de quatuor primis Abbatibus veniens ad Capitulum Generale, quinque Abbates Domno Cistercii volenti Definitores eligere, nominabit; ita tamen quòd duo ex ipsis quos Pater Abbas nominans præeligere voluerit, per Abbatem Cistercii illa vice amoveri non poterunt vel dimitti. De tribus verò residuis quemcunque Abbas Cistercii voluerit, relinquet, & alios duos Definitores instituet cum prædictis.

Si verò aliquem de quatuor primis Abbatibus ad Generale Capitulum contigerit non venire, prædictam nominationem & præelectionem per literas suas facere poterit, vel aliquem de filiis suis Abbatibus vicarium sibi constituet ad hoc ipsum.

Si

Si verò aliquam de quatuor primis filiabus Cistercii vacare contigerit, vel Abbatem ejus in tali statu esse, ut ad facienda prædicta penitùs sit impotens & ineptus tempore Capituli Generalis: primus Abbas de filiis Generationis ipsius qui in Capitulo fuerit, prædicta omnia implere poterit vice Patris.

Si verò aliquem de quatuor primis Abbatibus, per negligentiam seu per quamcunque aliam causam & occasionem nec venire ad Capitulum Generale, nec literas mittere, nec Vicarium ad prædicta substituere contigerit; Abbas Cistercii vice ipsius, quatuor Definitores assumet de Generatione ipsius absentis, si tot præsentes fuerint, alioquin de aliis Abbatibus quod defuerit suppleatur, ut Definitorum *numerus* integretur. In nullo tamen per ordinationem istam volumus derogari Statutis Chartæ Charitatis quæ de Generali Capitulo faciunt mentionem. Cætera verò quæ in Ordinatione Domini Papæ continentur, in suo robore perseverent. *Actum Cistercii decimo-septimo Kalend. Octobris, tempore Capituli Generalis, anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo quinto.*

Numerus scilicet per Constitutionem præcedentem determinatus.

ANNOTATIO.

HÆc Ordinatio extracta est ex Regesto Capituli Generalis anni prædicti millesimi ducentesimi sexagesimi quinti, in quo hunc titulum præfixum habet, *Ordinatio Domini Guidonis Tituli sancti Laurentii in Lucina Presbyteri Cardinalis pro definitione habeatur, quæ talis est.* Eam verò simul cum Epistola *Joannis Abbatis Saviniacensis* superiùs allata, nuper publici juris fecit auctor Monastici Anglicani. Et ne quis illam velit in dubium revocare, scire debet ex Epistolis *Joannis Episcopi & Cardinalis Portuensis* ad Abbates Clarævallis & Morimundi superiùs allatis, duos articulos à Clemente IV. reservatos fuisse, in Capitulo Generali discutiendos, antequàm in rem judicatam transirent; eosque spectasse nominationem & electionem Definitorum Capituli Generalis. Sic enim habetur in Epistola quam ad Abbatem Clarævallis, & alios Abbates apud Claramvallem congregatos hac de re scripsit. *De residuis autem articulis, sic idem Dominus ordinavit: quòd, exceptis duobus articulis de Definitoribus, quæcunque ipse disposuerat utrinque pro bono pacis extitit toleratum. Quos articulos non definiendos committet ipse Dominus Papa viris fide dignis, qui debent illos in Capitulo coram omnibus proponere, & rationibus hinc & inde propositis pro & contra diligenter intellectis, antequàm per illos in aliqua parte judicetur, quid audierint & intellexerint mandanti fideliter intimare,* &c. Idem repetit *in Epistola ad Morimundensem.* Itaque perspicuum est Summum Pontificem Constitutionem suam per supradictum Cardinalem Capitulo Generali notificare voluisse, & mentem ipsius Capituli circa nominationem & electionem Definitorum ejusdem expetiisse, imò & expectasse antequàm ea de re suam ipse sanciret.

Hæc Ordinatio, salua relatoris reuerentia non extat in Registro Cap. Gen.

Quis verò fuerit prædictus *Guido Cardinalis* jam superiùs monuimus. Is enim Abbas Cistercii erat hujus nominis tertius, quando ab Urbano IV. Cardinalis creatus est anno millesimo ducentesimo sexagesimo secundo. Successerat autem S. Bonifacio circa annum millesimum ducentesimum quinquagesimum quintum. Cumque Stephanum Clarævallensem deposuisset, eo quòd inconsulto Generali Capitulo Collegium sancti Bernardi Parisiensis fundasset, super eo restituendo Literas ab Alexandro IV. anno millesimo ducentesimo quinquagesimo sexto recepit: quibus non obtemperans, Theologos Parisienses judices

Non quod noluerit, sed quod non potuerit, ipso etiam Rege S. Ludovico restutioni dissentiens

pati jussus est; sed frustrà, cùm Stephanus ipse restitui noluerit. Beati Arnulphi Cisterciensis in Villarii Monasterio Conversi canonisationem impedivit, *Ne*, inquiebat ille, *multitudine Sancti vilescerent.* Post mortem Vrbani IV. à Clemente IV. primùm in Galliam, mox in Daniam, Sueviam, Norvegiam, Saxoniam & in omnem Germaniam cum potestate Legati *à latere* missus, Viennæ Concilium celebravit: ac subinde Lugduni, ut ait Ciaconius, in Concilio Generali sub Gregorio X. anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo tertio obiit. *Vir zeli integri & semper anteponens communia privatis commodis* inquit Manriquius, post alios.

Porrò successor ejus Iacobus II. extinctâ discordiâ quam ejus tum electio tum agendi ratio universo fermè Ordini concitaverat, dignitati ac administrationi cessit: sponte, an jussus, incertum.

Fabulosa et evidenter falsa ordinatio praecedens Guidonis Card.lis ac Ordini Cist.a per 400 ann. omnino ignota. Mendax ergò falsaque tota haec annotatio juliani Paris ~~tota annotatio~~. Quo enim pacto Clemens PP. IV. commiserit dicto Guidoni ut statueret super definitorib. quod à tertio tantummodò mense ipse Pontifex statuerat, et quod quidem in omnib. capitulis generalib. fideliter servatum est. Adde quod ille Guido non affuerit Capitulo Generali de anno 1265 tunc enim temporis fungebatur legatione Apostolicâ apud exteras regiones. Ciaconio teste.





ADMONITIO
IN
LIBELLVM ANTIQVARVM DEFINITIONVM
ORDINIS CISTERCIENSIS.

COMPOSITA tandem ac dijudicatâ, quæ à sexaginta annis inter primarios Cisterciensis Ordinis Superiores sensim irrepserat, circa mutuam Iurisdictionem discordiâ, novo illi Regularis Observantiæ fervore concepto, suas omnes cogitationes in circumspiciendis & recognoscendis præcedentibus Definitionum Capituli Generalis Collectionibus collocarunt; ac novo illarum delectu adhibito sed servatâ antiquâ illarum distributione, aut saltem parumper immutatâ: novum illarum volumen seu Libellum ediderunt anno Domini 1289. quem sicut & proximè superiorem in quindecim Distinctiones partiti sunt. Quarum

I. *Agit de Institutione & Ordinatione ipsius Ordinis.*
II. *De Privilegiis & Immunitatibus.*
III. *De Abbatiis & Ecclesiis fundandis.*
IV. *De Benedictionibus Novitiorum & Ordinationibus Monachorum.*
V. *De Officio divino.*
VI. *De Capitulo Generali.*
VII. *De Causis Ordinis & Correctione culparum.*
VIII. *De Visitationibus Monasteriorum & Electionibus Abbatum.*
IX. *De Officialibus.*
X. *De dirigendis in viam.*
XI. *De Personis in Ordine recipiendis.*
XII. *De Contractibus & Depositis.*
XIII. *De Victu & Alimentis.*

XIV. *De Conversis.*
XV. *De Monialibus.*

Sed & hujus Collectionis seu Libelli facta legitur & cernitur nova recognitio & editio anno 1316. ut patet ex Prologo Libelli Novellarum, eaque nonnullis aucta novis Definitionibus, sed quarundam sententiarum, quæ singulis capitibus præcedentis minùs appositè præfixæ fuerant, resciſsione imminuta, ac proinde vel ex hoc duplici capite à priore diversa; quam & nos pluribus adhibitis & collatis inter se manuscriptis & exemplaribus in hac editione quantùm potuimus sequuti & assequuti sumus. Ne mireris ergo si in aliqua fortè hujus Libelli exemplaria quæ ab hac nostra editione discrepent incideris, nam varia illa sunt & variant ut plurimùm.



LIBELLUS
ANTIQUARUM DEFINITIONUM ORDINIS CISTERCIENSIS.

DISTINCTIO PRIMA.
De Institutione Ordinis Cisterciensis.

CAPUT PRIMUM.
Prologus Chartæ Charitatis.

ANNO D. 1189 & 1316. Cist. 91. & 218.

Hic Prologus nunc primùm *Chartæ Charitatis* additus legitur. Nam in omnibus antiquis illius exemplaribus incipit ab illis verbis. *Quia unius Regis ac Domini*, &c.



ANTEQUAM Abbatiæ Cistercienses florere inciperent, Domnus Stephanus & Fratres sui ordinaverunt, ut nullæ Abbatiæ in alicujus Antistitis Diœcesi fundarentur, antequàm ipse Decretum inter Cisterciense Cœnobium & cætera ex eo nata exaratum & confirmatum, ratum haberet, propter scandalum inter Pontificem & Monachos devitandum.

In hoc ergo Decreto prædicti Fratres mutuæ pacis futurum præcaventes naufragium, elucidaverunt & statuerunt suisque posteris reliquerunt, quo pacto quove modo, imò qua charitate Monachi eorum per Abbatias, in diversis mundi partibus, corporibus divisi, animis indis-

solubiliter conglutinarentur. Unde hoc Decretum *Chartam Charitatis* vocari censuerunt, quia ejus statutum omnis exactionis gravamen propulsans, solam Charitatem & animarum utilitatem in divinis & humanis rebus exequitur.

CHARTA CHARITATIS,

Prima Cisterciensis Ordinis Constitutio.

OMNES MAGISTRAM SEQVANTVR REGVLAM, NEC AB EA TEMERE DEVIETVR A QVOQVAM. QVIA unius veri Regis & Domini & Magistri nos omnes servos licet inutiles esse cognoscimus, idcircò Abbatibus & Confratribus nostris Monachis, quos per diversa loca Dei pietas per nos miserrimos hominum sub regulari disciplina ordinavit, nullum terrenæ commoditatis seu rerum temporalium exactionem imponimus. Prodesse enim illis omnibusque Sanctæ Ecclesiæ filiis cupientes, nihil quod eos gravet, nihil quod eorum substantiam minuat, erga eos agere disponimus: ne dum nos abundantes de eorum paupertate, divites esse cuperemus, avaritiæ malum quod secundum Apostolum, Idolorum servitus comprobatur, evitare non possemus. Curam tamen animarum illorum, gratiâ Charitatis, retinere volumus, ut si quando à sancto proposito & observantia sanctæ Regulæ declinare (quod absit) tentaverint, per nostram sollicitudinem, ad rectitudinem vitæ redire possint.

Omnes Magistram, &c. Etsi alias ferè omnes sententias aliorum capitulorum expunximus, hanc ex Regula desumptam retinuimus, tum quia huic Regulæ hæ omnes Constitutiones militant ac subserviunt, tum quia mentem ac propositum Ordinis apprimè declarat illa eadê sententia.

Nunc ergo volumus illisque præcipimus, &c. *Vide hanc Constitutionem suo loco, hoc est initio primæ Partis hujus Nomastici* fol. 83.

CAPVT II.

Constitutio Domini Papæ Clementis IV. in elucidationem prædictæ Chartæ Charitatis.

CLEMENS, EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, Dilectis filiis Abbati Cistercii & Coabbatibus ejus in Generali Capitulo congregatis, Salutem &

Hic adhuc observare liceat malam fidem Juliani Paris asserentis authenticam esse, quam paulò ante retulit Ordinationem Guidonis Cardinalis, cum Patres nostri in compilatione suâ antiquarum Definitionum de anno 1289 retulerint Clementinã Parvus fons, non verò illã ordinationem prætensam Guidonis.

Apostolicam Benedictionem. Ad perpetuam rei memoriam. Parvus fons qui crevit in fluvium, & in lucem solemque conversus, in aquas plurimas redundavit, Cisterciensis est Ordo perlucidus, qui à sui ortûs exordio parvus & humilis, abjectione habitus, tenuitate substantiæ, humilitatis professione, ac numero professorum, sub fontis metaphora non indignè describitur; cui diversarum illi proprietatum conformitate conformis non immeritò comparatur. Hic est fons hortorum irriguus cæteras rigans Religiones & Ordines, ac in ipsos exemplis salutaribus scaturisans. Hic est fons amœnus varietate virtutum, præclarus munditiæ puritate, pietate patens, indeficiens sanctitate, *&c. Habetur supra* fol. 466.



DISTINCTIO II.

De Privilegiis & Immunitatibus Ordinis.

CAPUT PRIMUM.

Quòd omnes prædicta Privilegia habere, & eorum conservationi intendere teneantur.

Observet et hîc lector si unquam Ordo habuerit authenticam Ordinationem supra relatam Guidonis Card.lis contrariam Ordinationi Clementis IV tam gratiosæ et utili.

SUPRADICTAM Domini Clementis Papæ IV. decisionem & ordinationem tam gratiosam & utilem, nec-non sæpè dictam Chartam Charitatis, omnes personæ Ordinis cum affectu summæ devotionis amplecti, & ferventi studio & sedula meditatione in his contenta frequenter animo revolvere & observare teneantur: sed & Libertates, Indulgentias & Privilegia tam à Summis Pontificibus, quàm à Regibus & Principibus Ordini prædicto concessa, universi & singuli illius professi & maximè Abbates inviolabiliter observent & faciant observari, & contra impetentes, seu impedientes Libertates easdem, secundùm formam infrà scriptam, efficacis deffensionis præsidio procedere teneantur.

Et ne fortè aliquæ personæ Ordinis contra prædictas Libertates prætextu ignorantiæ aliquid attentare præsumant, vel illis in aliquo præjudicari permittant: Gene-

rale Capitulum præcipit omnibus Abbatibus, ut omnium Privilegiorum ab Apostolica Sede & à prædictis Principibus eidem Ordini generaliter indultorum, in singulis Monasteriis transcripta habeant; & cum Libello Definitionum legere anno quolibet ex integro teneantur.

CAPVT II.

De modo seu forma defendendi prædictas Immunitates.

SI qui igitur Episcopi vel alii Ecclesiarum Prælati, seu quæcunque alia persona quæ non sit de Ordine nostro, communia dicti Ordinis Privilegia infringere moliatur: in singulis Provinciis ubi aliquid tale exortum fuerit, tres primi Abbates cujuslibet Provinciæ, adjunctis sibi tribus vel quatuor aliis ejusdem Provinciæ Abbatibus, ad Abbatum instantiam afflictorum, inquisitâ priùs causâ & causæ merito, si invenerint quòd dicti afflicti bonam causam habeant, & quòd communia Ordinis Privilegia impetantur: convocatis ejusdem Provinciæ Abbatibus, quos magis idoneos judicaverint, competentem contributionem fieri decernant, & tam sibi quàm cæteris sigillatim portionem contributionis, pro modo facultatum cujuslibet domûs imponant, & per se vel per Procuratores idoneos, communibus expensis causam defendant, meliori modo quo viderint expedire.

Ad conveniendum autem & contribuendum, prædicti tres primi Abbates, pro hujusmodi, cæteros Abbates ejusdem Provinciæ compellant authoritate Capituli Generalis. Si verò illi tres negligentes fuerint super præmissis; gradum Altaris non ascendant usque ad sequens Capitulum Generale, in quo super prædicta negligentia; veniam petere teneantur & graviter puniantur.

Abbates verò qui portionem contributionum à prædictis tribus pro causis prædictis sibi impositarum, terminis statutis solvere renuerint vel neglexerint: præter suspensionis & excommunicationis sententias ab illis tribus in ipsos latas, pro depositis habeantur.

Et quoniam quod omnes tangit, debet ab omnibus

comportari; quandocunque super Ecclesia *de Scardeburt* ad usus Capituli Generalis deputata, Ordinem contigerit molestari: cum communibus expensis Ordinis requiratur, & super hoc Procurator constituatur.

Eleemosynæ insuper missæ, vel de cætero mittendæ Capitulo Generali, in domo Cistercii nomine depositi conserventur in arca vel armario, quatuor seris vel clavibus obfirmato; ita quòd quilibet quatuor primorum Abbatum clavem habeat; nec liceat alicui de dicto deposito in usus alios quicquam expendere, consilio & assensu Capituli Generalis non obtento, sed reserventur integraliter ad defendendas Ordinis Libertates.

CAPUT III.

Prima dicti Ordinis Privilegia.

§. I.

De Confirmatione Constitutionum & Privilegiorum Ordinis.

OMNIA quæ in Charta Charitatis continentur, & omnes regulares nostri Ordinis Institutiones factæ usque ad Alexandrum IV. auctoritate nobis Apostolica confirmantur, & specialiter per Eugenium III. Anastasium IV. Adrianum III. Alexandrum III. & Alexandrum IV.

HONORIUS IV.

Mandat Prælatis quòd ipsi servent & servari faciant Privilegia, Indulgentias, & Libertates Ordini à Sede Apostolica concessas; nec-non & consuetudines ejusdem Ordinis rationabiles & antiquas.

ALEXANDER IV.

Confirmat nobis Privilegia, Indulgentias, & gratias nobis & Ordini nostro, sub diversis temporibus, tam generaliter omnibus, quàm specialiter quibusdam concessas: nonobstantibus institutionibus, provisionibus, definitionibus, & ordinationibus ab ipso factis & promulgatis, ad instantiam Prælatorum Ecclesiæ Gallicanæ, & quorum-

quorumlibet aliorum ; & nonobstantibus quibuslibet literis super his per eos, vel per quoscunque à Sede Apostolica obtentis; decernitque omnes sententias excommunicationis, interdicti & suspensionis, si quæ in nos vel nostrorum aliquos, aut Monasteria nostra seu quælibet loca nostra, per dictos Prælatos aut quoscunque alios, prætextu prædictorum promulgari contigerit, irritas & inanes.

§. II.

De Privilegiis super sententiis Excommunicationis, Suspensionis & Interdicti.

EVGENIVS III. ANASTASIVS IV. ADRIANVS IV. & ALEXANDER III.

PRO interdicto terrarum, nullatenùs vacare debent à divinis Ecclesiæ nostræ. Si verò Episcopi vel aliarum Ecclesiarum Rectores, in Monasteria nostra, vel in personas ibi constitutas, suspensionis, excommunicationis, seu interdicti sententiam promulgaverint : sive in mercenarios nostros, pro eo quòd decimas non solvunt, sive pro aliqua occasione eorum quæ nobis à benignitate Apostolica indulta sunt; seu in Benefactores nostros, pro eo quòd nobis aliqua beneficia vel obsequia ex charitate præstant, vel ad laborandum adjuvant in illis diebus, in quibus nos laboramus, & alii feriantur : hujusmodi sententiæ tanquam contra Sedis Apostolicæ indulta prolatæ, decernuntur ab iisdem irritæ & inanes. Idem decernunt Vrbanus IV. & Lucius III.

VRBANVS IV.

Si in aliquem de familia nostra, quandiù in famulatu nostro fuerit, propter retentionem decimarum vel aliquid aliud à Sede Apostolica Ordini nostro concessum, excommunicationis & interdicti sententia fuerit promulgata: licet eum nobis absolvere, &, si necesse fuerit, Ecclesiastica sacramenta & sepulturam ei conferre.

INNOCENTIVS III.

Prohibet Prælatis ne præsumant excommunicare, interdicere, & suspendere servientes ac Benefactores nostros;

aut illos qui molunt in molendinis nostris & coquunt in furnis nostris, vel nobis vendendo aut emendo, vel aliàs communicant: & si quæ sententiæ promulgatæ fuerint; irritas eas decernit & inanes.

§. III.

De Privilegiis super Electionibus, Consecrationibus, Benedictionibus, Celebrationibus & Ordinationibus.

CELESTINVS. INNOCENTIVS III. VRBANVS IV.

Si Episcopus in cujus Parochia fundata est Abbatia Ordinis nostri, cum humilitate & devotione quâ convenit requisitus, substitutum Abbatem benedicere, & alia quæ ad Episcopale officium pertinent nobis conferre noluerit: licet Abbati, si Sacerdos fuerit, Novitios benedicere, & alia quæ ad suum officium pertinent exercere, nec-non omnia ab alio Episcopo percipere, quæ à proprio Episcopo fuerint indebitè denegata.

In recipiendis autem professionibus quæ à benedictis vel benedicendis Abbatibus exhibentur, eâ debent esse Episcopi formâ & professione contenti; quæ ab origine Ordinis noscitur instituta. Si autem Episcopi ab Abbatibus aliquid præter obedientiam debitam, contra libertatem Ordinis à Sede Apostolicâ Ordini indultam, expetierint; liberum est ipsis Abbatibus auctoritate Apostolicâ denegare.

Pro consecrationibus Altarium vel Ecclesiarum, seu pro oleo sancto, vel pro quolibet Ecclesiæ sacramento; nullus sub obtentu consuetudinis à nobis vel alio modo quicquam debet extorquere: sed hæc omnia nobis gratis Diœcesanus debet impendere; alioquin licet nobis quemcunque voluerimus catholicum Antistitem, gratiam atque communionem Sedis Apostolicæ habentem, adire; qui Apostolicâ fretus auctoritate, nobis quod postulatur; impendat. Similiter si Sedes Diœcesani Episcopi vacare contigerit; interim omnia Ecclesiastica sacramenta à vicinis Episcopis liberè, & absque ulla contradictione, licet nobis auctoritate Apostolicâ accipere: sic tamen ut

nullum præjudicium in posterùm propriis Episcopis generetur. *Ita illi.*

INNOCENTIVS III. VRBANVS IV.

Quia verò interdùm propriorum Episcoporum copiam non habemus, si quem Episcopum, ut diximus, Apostolicæ Sedis gratiam atque communionem habentem, de quo plenam notitiam habeamus, per nos transire contigerit: prædicti Romani Pontifices concesserunt, ut ab eo benedictionem vasorum ac vestium, consecrationes Altarium, ordinationes Monachorum, auctoritate Sedis Apostolicæ recipere valeamus. *Sic illi.*

GREGORIVS IX.

Cùm jam dudum auctoritate Apostolicâ inhibitum esset, ne ullus Episcopus aut alia quælibet persona, regularem electionem Abbatis Ordinis nostri impediret, aut de instituendo vel removendo Abbate, contra Instituta Cisterciensis Ordinis se aliquatenùs intromitteret: prædictus Pontifex inhibuit, ne cùm aliqui in nostris Monasteriis eliguntur in Abbates, Archiepiscopi vel Episcopi de modo electionis inquirere, aut personas de vita, literatura & moribus examinare, vel electionem prædictam ullo modo confirmare præsumant.

Item ne Capitula ipsorum sibi præsentari quærant electos, aut Archidiaconi jus ipsos installandi, vel ab ipsis benedictionis vel installationis prætextu, aliquid ullo modo exposcendi sibi vendicare contendant. Et si fortè contra prædictam inhibitionem à quocunque præsumeretur, irritum esse voluit & inane, ac sententias latas nullum robur firmitatis habere.

INNOCENTIVS III.

Indulget nobis ne Monachi Ordinis nostri ad ordines promovendi, Episcoporum examen subire teneantur: exceptis illis in quibus fuerit notorium crimen, vel enorme corporis vitium.

§. IV.

De Privilegiis pro recipiendis Novitiis, & coërcendis personis Ordinis.

LUCIUS III. CELESTINUS III. INNOCENTIUS III. & ALEXANDER III.

Licet nobis Clericos & Laïcos liberos & absolutos de sæculo venientes ad conversionem recipere; & eos absque contradictione aliqua retinere. Venientes autem ad conversionem, si confessi fuerint quòd per appositionem ignis, vel per violentam manuum injectionem in Clericum, vel in aliam Religiosam personam aut aliis modis vinculo teneantur excommunicationis astricti; (præter eos qui debito pecuniæ alicui personæ obligati fuerint & solvere possunt) auctoritate Apostolicâ possumus absolvere, & congruam pœnitentiam injungere. *Ita illi.*

CELESTINUS. ALEXANDER III. INNOCENTIUS III. & URBANUS IV.

Nulli Fratrum nostrorum post factam in aliquo Monasterio nostro professionem, fas est discedere ab eodem loco absque Abbatis sui licentia. Discedentes verò absque communi literarum cautione, nullus audeat retinere; quos si quis retinere præsumpserit, licet nobis in ipsos Monachos & Conversos sententiam proferre. *Hæc illi.*

URBANUS.

Universis Ecclesiarum Prælatis per Apostolica scripta mandavit, quatenùs ut si professi Ordinis Cisterciensis, ab aliis illecti, vel propria levitate seducti, egressi fuerint: & admoniti ad domos proprias redire distulerint; eos, omni contradictione & appellatione cessante, excommunicatos publicè denuntient, & si excommunicatos faciant arctiùs evitari, donec ad domos proprias revertantur.

HONORIUS III.

Indulget nobis ut cùm fugitivi literas impetrant, in quibus non continetur quòd recipiantur *salvâ Ordinis disciplinâ*, aut *si regulare fuerit & honestum*; quòd tales li-

teræ nullam obtineant firmitatem, nec earum obtentu aliquis ad fugitivorum receptionem nos auctoritate Apostolica compellere possit.

§. V.

De Privilegiis circa decimas, procurationes & exactiones Prælatorum & Legatorum Sedis Apostolicæ.

CELESTINVS. INNOCENTIVS III. LVCIVS III. & HONORIVS.

De possessionibus ante Concilium sub Innocentio III. celebratum anno millesimo ducentesimo decimo quinto habitis, quas propriis manibus aut sumptibus colimus; & de *novalibus* ante Concilium sive post acquisitis, sive de *hortis*, *virgultis*, *pascuis*, *molendinis*, & *piscationibus nostris*, sive *nutrimentis* animalium nostrorum, nulli omninò decimas reddere tenemur.

HONORIVS III.

Indulget nobis ut Capellanorum contradictione non obstante, personas liberas è sæculo fugientes, liberè recipere valeamus; & prohibet Capellanis, ne ab eisdem pecuniam vel aliquid aliud pro mortuario extorquere: imò & Legatis Sedis Apostolicæ, ne sine speciali mandato Domini Papæ in nos excommunicationis, vel suspensionis, & in Monasteria nostra interdicti sententias, contra ea quæ nobis sunt ab Apostolica Sede concessa, promulgare præsumant.

Idem vetat Legatis, procurationes pecuniarias à nostris Monasteriis, vel alios cibos quàm Regulares, cùm ad domos Ordinis venerint, à nobis exigere.

GREGORIVS IX.

Prohibuit ne Prælati Ecclesiarum, Principes aut Nobiles, occasione juris *patronatus*, *advocatiæ* seu *custodiæ* quam in Monasteriis, grangiis, cellariis, vel in domibus nostris se habere contendunt, vel aliàs pro suæ libito voluntatis bladum, vinum, evectiones, animalia, & res alias pro ædificatione & munitione castrorum & villarum; vel pro tyrociniis, torneamentis, expeditionibus, & aliis

usibus à nobis exigere aut extorquere, vel talliis & exactionibus indebitè aggravare. Ac insuper ipsis & omnibus aliis, carnes comedere in domibus nostris; & mulieribus, ne easdem ingredi contra Ordinis nostri Instituta præsumant.

INNOCENTIVS IV.

Indulget nobis ut in Parochiis illis, in quibus veteres decimæ nobis sunt concessæ, de novalibus, quas nullus percepit hactenùs, eadem proportione quâ veteres nos contingunt, decimas percipere valeamus: Et ne aliqui Ecclesiarum Rectores nobis decimas de nutrimentis animalium nostrorum, quæ in Parochiis eorum pascuntur, valeant extorquere.

ALEXANDER IV.

Inhibet auctoritate Apostolica, ne quisquam Diœcesanus aut Prælatus à nobis procurationes exigere præsumat; quia nec debent, nec possunt nos aliquatenus visitare. Imò si quis in nos sententias occasione hujus rei protulerit, decernit eas non tenere.

Idem nos ad præstationem aliquarum decimarum, subsidiorum & aliarum exactionum, imponendarum nobis & domibus nostris à Sede Apostolica & Legatis ejusdem, aut ipsorum auctoritate & mandato per literas plenam & expressam de hac Indulgentia & Ordine nostro non facientes mentionem, etsi contineatur in eisdem, quòd id fiat aliqua Indulgentia nonobstante, noluit obligari. Sed nec ad sententias excommunicationis seu suspensionis & interdicti, quas in aliquos nostrûm, vel communiter occasione prædictorum, ab aliquo contigerit promulgari.

Idem confirmat nobis Privilegium Lucii Papæ in quo continetur, quòd non tenemur solvere decimas de aliquibus terris, quas propriis manibus aut sumptibus colimus, tam de novalibus quàm de terris cultis antiquitùs, aut de nutrimentis animalium nostrorum. Additque quòd si quis à nobis per Literas Domini Papæ decimas exigere, vel aliud quid contra Privilegia, vel Indulgentias nostras extorquere tentaverit, ad id non teneamur. Sed & si aliquæ compositiones inter nos & aliquos factæ fuerint, eas ratas

perpetuis temporibus & inconcussas vult permanere; si tamen eas de conscientia Abbatis & Fratrum constiterit processisse. Eos verò qui in personas Ordinis manus injicerent violentas, cum candelis accensis excommunicari mandavit, & tanquam excommunicatos ab omnibus evitari, usque ad satisfactionem competentem.

§. VI.

De Privilegiis super causis nostris prosequendis & defendendis, & super injuriis, violentiis & gravaminibus nobis illatis.

LUCIUS.

Indulget ut generaliter ad omnes, vel specialiter ad aliquas causas de conscientia & approbatione sanioris consilii Economum habeamus, qui calumniæ juramentum pro nobis præstet, & agendi & respondendi super causis Monasteriorum nostrorum liberam habeat potestatem.

CELESTINUS. URBANUS III. INNOCENTIUS III. & LUCIUS III.

Nobis ut in causis propriis sive civilem, sive criminalem contineant quæstionem, testimonio Fratrum nostrorum uti possimus, concesserunt.

EUGENIUS. CELESTINUS. INNOCENTIUS.

Ut infra clausuras locorum nostrorum seu grangiarum nostrarum nullus violentiam, vel rapinam, seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem spoliare, capere, verberare, vel interficere, seu violentiam audeat exercere, & ut sint ipsa loca sicut & atria Ecclesiarum, ab omni pravorum incursu & violentia semper libera & quieta; auctoritate Sedis Apostolicæ concesserunt.

ADRIANUS. URBANUS. CELESTINUS. INNOCENTIUS.

Nullus etiam Episcoporum infra leücam circa Abbatias vel grangias nostras, Religiosorum vel sæcularium habitationem, unde nobis inquietatio possit provenire, super-

ædificari debet permittere. Et si præsumptum fuerit per Episcopum Diœcesanum, excommunicationis sententia debet impediri. *Hæc illi.*

INNOCENTIVS III.

Universis Ecclesiarum Prælatis auctoritate Apostolica mandavit, & in virtute obedientiæ præcepit, ut illos qui in aliquem de Fratribus nostris manus violentas injicerent, vel res nostras sive hominum nostrorum invaderent, aut ea, quæ nobis ex testamento decedentium relinquuntur, contra justitiam detinerent; vel decimas laborum seu nutrimentorum nostrorum extorquerent: si Laïci essent, eos & principales fautores eorum publicè candelis accensis excommunicationis sententiâ percellerent; si Clerici aut Canonici vel Monachi, eos appellatione remota ab officio & beneficio suspenderent: ac præterea, ut qui pro violenta manuum injectione in personas Ordinis nostri excommunicationis vinculo essent innodati, cum Diœcesani literis ad Sedem Apostolicam mitterentur. Villæ autem in quibus bona nostra vel hominum nostrorum per violentiam detinerentur, aut prædones rerum nostrarum permanerent: nisi habitatores ipsarum diligenter admoniti, eos à se removerent; interdicto, appellatione postposita, supponerentur.

§. VII.

De Privilegiis super Citationibus, Evocationibus, Visitationibus & Correctionibus.

EVGENIVS. URBANVS. INNOCENTIVS.

Episcopi & aliæ personæ ordines celebrare, causas tractare, vel conventus aliquos convocare in domibus nostris prohibentur. *Ita illi.*

EVGENIVS. CELESTINVS. INNOCENTIVS. GREGORIVS IX.

Nullus Episcopus nos ire ad Concilia, Synodos, vel conventus forenses, nisi pro fide: vel sæculari judicio, pro substantia, vel possessionibus nostris subjacere, compellere potest; sed si quis adversum nos aliquid crediderit de

jure

jure competere, sub Ecclesiastici Iudicis examine experiendi habet facultatem. *Sic illi.*

INNOCENTIVS III.

Nullæ literæ habent firmitatem, quas tacito nomine Cisterciensis Ordinis contra tenorem Apostolicorum Privilegiorum constiterit impetrari. *Sic ille.*

LVCIVS III. URBANVS IV.

Indulgent nobis, quòd si Privilegia nostra recipi aliquorum malignitas non patiatur vel audiri, ac subindè aliquid propterea contra immunitates quæ in dictis Privilegiis continentur, in juris nostri præjudicium contigerit definiri: hoc ipsum irritum sit & inane, nec ulli possimus propter hoc dispendio subjacere.

GREGORIVS IX.

Concessit quòd Abbates, Priores & Subpriores Ordinis nostri non possint compelli per Iudices delegatos à Summo Pontifice, ut excommunicent vel excommunicatos denuncient proprios Monasteriorum nostrorum Fundatores, seu civitatum, castrorum, ac villarum communia, in quorum territorio vel confinio sunt nostra Monasteria sita; & quòd si aliter fecerint ipsi Iudices delegati, non teneantur eis aliquatenùs obedire prædicti Abbates, Priores, vel Subpriores, absque mandato Sedis Apostolicæ speciali, aut Legati ab ejus latere destinati. Hoc idem indulget Claustralibus & addit, quòd nec Principes, nec alios potentes & Nobiles excommunicare, aut excommunicatos denunciare, teneantur.

INNOCENTIVS IV.

Non possumus trahi ad Synodos vel conventus forenses, nisi pro fide duntaxat: nec ad Capitula, nec ad placita, seu forum pœnitentiale etiam ratione delicti; & sententiæ hac occasione latæ, irritæ sint & inanes. Sed & Ordo noster per personas ipsius, & non per alias debet visitari. *Hæc ille.*

Præterea indultum est nobis ab eodem, ut per Decretalem illam *quâ exempti quantacunque gaudeant libertate su-*

per ratione delicti aut contractus vel rei de qua agitur, possint conveniri coram locorum Ordinariis, & illi quoad hoc suam in ipsos jurisdictionem, prout jus dictaverit, exercere: nullum libertatibus & immunitatibus Ordinis nostri præjudicium generetur.

Nec possumus conveniri vel ad judicium evocari per literas Apostolicas quæ de Cisterciensi Ordine non fecerint mentionem, licet in illis generaliter contineatur *quòd non obstent aliqua Privilegia seu Indulgentiæ ab Apostolica Sede obtentæ*, de quibus expressam oporteat facere mentionem.

§. VIII.

De Privilegiis super absolutionibus & dispensationibus.

ALEXANDER IV.

Concedit Abbatibus universis, ut possint absolvere venientes ad Ordinem, à sententiis *suspensionis, interdicti*, vel *excommunicationis*, etiam post ingressum, & dispensare cum eisdem; & quòd Abbas Cisterciensis Coabbates suos de Ordine, & unus eorum, quem ipse elegerit, ipsum super præmissis possit absolvere, & cum eo dispensare.

Præterea confirmat nobis Indulgentiam Innocentii IV. quæ dicit non licere personis Ordinis alicui Presbytero sæculari vel alterius Religionis confiteri, sine Abbatis sui licentia speciali; nec etiam illis earum confessiones audire, nec eis absolutionis beneficium impendere.

Idem etiam nobis concessit, ut Abbates nostri Ordinis non solùm Prioribus suis, sed etiam aliis discretis & literatis Sacerdotibus possint committere vices suas ad absolvendos Monachos suos ab excommunicatione, quam pro violenta manuum injectione in seipsos incurrere possent.

Denique cùm idem Pontifex prædecessorum suorum beneficia Ordini nostro concessa ampliare vellet, de multa benignitate singulis Abbatibus nostris concessit, ut subditos suos in causis quibus excommunicationis sententiam & notam irregularitatis incurrunt, absolvere & dispensare valeant cum eisdem; nisi adeò foret gravis & enormis excessus, quòd pro illo ad Sedem Apostolicam essent meritò destinandi. Quocirca Capitulum Generale eisdem permisit beneficio & gratiâ supradictâ sibi concessâ, cum discre-

tione tamen & maturo consilio. Et quia difficile esset ad plenum scire casus seu excessus, pro quibus ad Sedem Apostolicam vel ad Generale Capitulum recurrendum esset: eisdem Abbatibus mandavit, ut casus in quibus absolverent vel dispensarent, & causam suæ absolutionis & dispensationis, si tamen dicti casus dubitabiles forent, in sequenti Capitulo fideliter intimarent, ut per ipsum Capitulum, si fortè in aliquo esset erratum, ad correctionis & rectitudinis lineam reduceretur: hoc diligenter proviso, ne contra sententias Patrum Abbatum, vel Capituli Generalis, dicti Abbates absolvere vel dispensare aliquo modo præsumant, vel pro hujusmodi ad Diœcesanos habere recursum.

§. IX.

De Privilegiis Monialium & statu earum.

INNOCENTIUS IV.

Concessit ut Moniales Ordinis in regno Franciæ constitutæ Privilegiis Ordinis uterentur, ac earum excessus sicut excessus Monachorum coërcerentur.

Insuper noluit eas aliis personis sive religiosis sive sæcularibus confiteri, sed soli Patri Abbati, vel cui ipse in hoc committeret vices suas.

Noluit etiam nos teneri ad aliquas Moniales Ordini sociandas; nequidem per literas Apostolicas, nisi plenam & expressam de hoc Privilegio facerent mentionem. Imò eas quæ forent rebelles ab Ordine separare, ac Privilegiis & Indulgentiis Ordini concessis omninò privare: ac denique contra Conversos & Capellanos earum, sicut & contra alios Ordinis Apostatas, secundùm Statuta Ordinis & Indulgentias nobis à Sede Apostolica concessas, procedere mandavit.





DISTINCTIO III.

De Abbatiis & earum Ecclesiis instituendis.

CAPUT PRIMUM.

Quòd in honorem Beatæ Mariæ Virginis omnes Ecclesiæ Ordinis debeant consecrari.

QUONIAM gloriosæ Dei Genitricis Mariæ vita inclita, immensa dignitas, sanctitas eximia cunctas illustrat Ecclesias: omnes Ecclesiæ nostræ Conventuales in honorem ipsius fundentur ac meritò dedicentur. In quibus, nec-non & in omnibus locis nostris omnes superfluæ novitates & notabiles curiositates, quæ modestiam Ordinis & paupertatem honestam dedeceant, ab omnibus evitentur, & per Patres Abbates seu Visitatores evitari diligentiùs procurentur.

CAPUT II.

De Abbatiis non fundandis, transferendis vel Ordini incorporandis sine consensu Capituli Generalis.

ABBATIAM Ordinis nostri fundare, mutare, transferre seu aliam Ordini nostro incorporare, nulli liceat sine consensu Capituli Generalis. Abbas promovens, deponatur: promotus verò, pro non Abbate habeatur, & Conventus ad domum propriam revertatur. Hoc semper diligentiùs observato, ut ad novam Abbatiam minùs quàm duodecim Monachi cum Abbate decimo tertio, non mittantur; Ipso loco priùs domibus, libris, & aliis necessariis sic aptato, quòd ibi competenter vivere possint & Regulam observare; Et super hoc inspectores dati teneantur referre Capitulo fideliter veritatem.

CAPVT III.

De unione minorum Monasteriorum.

MINORA Monasteria tam Monachorum quàm Monialium, in quibus non possunt congruè sustentari duodecim Monachi vel Moniales ibidem assiduè residentes, ut per omnia possint communia Statuta Ordinis observare: Patres Abbates conjungant & uniant aliis de consilio Fundatorum & Capituli Generalis, Monachos & Moniales contumaces super hujusmodi aut rebelles, per censuram Ordinis coërcendo.

Censura autem Ordinis intelligitur, *Potestas suspendendi & excommunicandi singulares personas, & in loca ipsarum sententiam interdicti ferendi.*

CAPVT IV.

De Campanis, Libris Iuris, Cimiteriis & Portis Abbatiarum.

DOMVS Dei sapienter à sapientibus debet ordinari. Majori igitur in primis & minori Campana Horæ ac alia officia diversis modis ac temporibus, prout est *ab antiquo solitum*, nuntientur. Libri quoque Iuris in nostris armariis Conventualibus minimè habeantur. In grangiis quoque nostris, quarum distantia pendet ab ordinatione Capituli Generalis, nunquam de cætero fiant Cimiteria nova, & in jam factis nemo sepeliatur, nisi fortè ibidem aliqui jus habeant sepulturæ, quibus non possit hoc commodè denegari. In quo casu à septis grangiarum dicta Cimiteria excludantur, aut sepeliendi ad Monasterium deferantur.

Ab antiquo solitum. Vide cap. XII. primæ distinct. Antiq. Institution. Ordinis. *fol.* 278.

Stabula verò equorum & quæcunque domus aliæ ad habitandum non fiant extra Abbatiarum ambitum propter pericula animarum, & si quæ facta fuerint, diruantur; omnes etiam portæ Abbatiarum extra terminos construantur.


CAPUT V.


De Mulieribus infrà septa Abbatiarum non admittendis.

INGRESSUS mulierum infrà septa Abbatiarum nostrarum omninò interdicitur, nisi super hoc Privilegium Domini Papæ habuerint speciale, excepto quòd cùm major Ecclesia noviter dedicatur, per novem dies causâ devotionis Ecclesiam poterunt visitare, sed nunquam tunc vel aliàs occasione aliqua infrà septa Monasterii pernoctare. Sicubi contrarium præsumptum fuerit, discooperiantur Altaria, & divinum officium in Ecclesia minimè celebretur quandiù ibidem fuerint mulieres. Faciens autem vel consentiens & procurans per literas Apostolicas vel quocunque modo, si Abbas fuerit omni sextâ feriâ sit in pane & aqua usque ad sequens Capitulum Generale, ibidem veniam petiturus & graviter puniendus; si verò Prior vel Subprior vel Cellerarius fuerit, ab officio deponatur, & tribus diebus (uno eorum in pane & aqua) peragat levem culpam. Alii verò Monachi & Conversi pœnam similem sortiantur & ultimi sint per annum.

Cellerarius, Portarius & Hospitales grangiarum summoperè studeant, ut mulieres notam criminis ferentes, ad portas locorum nostrorum sedentes longiùs repellantur.

Ex Cap. Gen. an. 1205. Abbas de Pontiniaco qui contra formam Ordinis Reginam Franciæ cum aliis ejusdem sexûs non paucis in suum Monasterium introduxit ad audiendum sermonem in Capitulo, ad Processionem in Claustro, ad reficiendum & pernoctandum duobus noctibus in Infirmitorio, sumpta occasione quòd ex rescripto Domini Papæ & ex permissione Domni Cistercii eidem Dominæ patebat aditus illius Monasterii, cùm eò usque procedendum nec Dominus Papa, nec Abbas Cistercii indulserint, sed nec etiam aliquid tale cogitaverint: Et quia tam enorme factum sustinuit in totius Ordinis Cisterciensis injuriam, licet absque omni retractatione depositionem mereretur in instanti: tamen ad instantiam & petitionem Domini Remensis, cui negare quicquam nec volumus nec debemus, & aliorum etiam Episcoporum, ei parcitur in præsenti. Verùm ne omninò impunita remaneat tanta præsumptio, extra stallum Abbatis maneat usque ad Pascha, nec celebret nisi de necessitate sui officii, & sex diebus sit in levi culpa, tribus scilicet diebus in Cistercio, & tribus in Pontiniaco uno eorum in pane & aqua, hinc & inde.





DISTINCTIO IV.

De Benedictionibus Novitiorum & Abbatum, nec-non & de Ordinationibus Monachorum & administratione Capellarum.

CAPUT PRIMUM.

De Benedictione & Professione Novitiorum.

NOVITII Ordinis ab Abbate non suo in domo alia benedicti, cùm ad domos suas venerint, *profiteri* Abbati proprio teneantur. Monachi verò ad nostrum Ordinem venientes, in alio Ordine secundùm Regulam nostram jam professi, sed minimè benedicti, tanquàm Novitii per omnia habeantur. Si verò tales venerint benedicti, statim detur eis Cuculla; & completis quatuor mensibus, ad nutum Abbatis promissionem in Capitulo de sua professione faciant, & in Ecclesia more Novitii professionem legant, & super Altare offerant, nihil ampliùs facientes.

Profiteri, id est, obedientiam promittere teneantur.

Qui post annum probationis elapsum votum suum in Ecclesia solennisant, in scripto professionis suæ *Cisterciensis Ordinis* exprimant nomen loco suo; & post Cucullæ susceptionem, decantetur Hymnus *Veni Creator:* & usque ad finem Hymni, Monachus ille sit ante gradum Presbyterii flexis genibus humiliter inclinatus. Abbas autem qui scienter Novitium benedixerit infra annum aut extra Abbatiam Ordinis, deponatur.

Si verò Doctores in Theologia, vel aliæ Reverendæ Personæ ad Ordinem se transtulerint & fuerint Sacerdotes, de consilio Abbatis loci illius, tempore probationis poterunt celebrare.

CAPUT II.

De Benedictione Abbatum.

PRO Benedictione Abbatum nihil detur, quia non caret vitio Simoniæ; quòd si aliter benedictio non possit obtineri, potiùs differatur vel etiam omittatur. Qui-

cunque verò Diœcesano suo vel alteri Episcopo vice ejus; nisi sub forma quam Domnus Cisterciensis observat, profiteri præsumpserit: aut ab aliquo qui non sit de Ordine nostro, seu à persona Ordinis nostri nomine alicujus Prælati se installari permiserit, pro deposito habeatur. Forma autem Professionis Domni Cisterciensis hæc est. *Ego Frater N. Abbas Cistercii subjectionem, reverentiam & obedientiam à Sanctis Patribus constitutam secundùm Regulam sancti Benedicti; tibi, Domine Pater Episcope, tuisque successoribus canonicè substituendis, & Sanctæ Sedi Cabilonensi, salvo Ordine nostro, perpetuò me exhibiturum promitto.*

An. 1223. et 1224.

Nulli autem Abbati, nisi benedicto, processionaliter occurratur. Nullus etiam Episcopus de Ordine nostro Novitium benedicere, Visitationem in domibus nostris facere, Capitulorum nostrorum sessionibus interesse, aut de electionibus nostris se intromittere, permittatur.

CAPUT III.

De Ordinatione Monachorum & ministerio Capellarum.

QUICUNQUE Monachi per se vel per alios ut promoveantur ad sacros ordines, proprios Abbates inquietant, à die qua hoc fecerint usque ad biennium, non ordinentur nisi promoti fuerint in Abbates. Nec præsumat aliquis sine licentia proprii Abbatis alium Monachum facere ordinari. Ordinati verò ab Episcopo suspenso, & qui scienter à tali se fecerint ordinari, ab ordinum executione suspensi maneant usque ad nutum Capituli Generalis.

Nullus Monachus vel Conversus Ordinis nostri infantem baptisare, aut de sacro fonte suscipere præsumat, nisi in gravi damno vel scandalo, &, cùm Presbyter defuerit, periculo evitando; Abbatis tamen proprii priùs petitâ licentiâ & obtentâ. Nulli etiam Monacho liceat Ecclesiis vel Capellis non propriis Ordinis deservire, nec curæ animarum ministerio implicari. Abbates verò sint extra stallum Abbatis quandiu tales ibidem permiserint residere.

DISTINCTIO



DISTINCTIO V.

De Officio divino.

CAPUT PRIMUM.

De mediocritate in cantu.

VT modestia nostra omnibus hominibus innotescat, ordinamus quòd in omnibus Abbatiis Ordinis nostri sic surgamus ad vigilias à sancto Pascha usque ad Exaltationem sanctæ *Crucis*, ut saltem primus Nocturnus finiri valeat ante diem. Mediocritas verò semper servetur in cantu nostro; ut gravitatem redoleat, & devotio excitetur. Divinum quoque Officium tam in Ecclesia quàm in Infirmitorio & ubicunque; distinctè & ordinatè ab omnibus persolvatur. Cantores Ordinis hoc diligenter observent, & ab aliis faciant observari. Si quis contra hoc venerit, taliter castigetur, quòd pœna illius ab excessu hujusmodi in posterùm retrahat alios & compescat. De modo tamen cantandi Abbas & Cantor ordinare poterunt, prout & quando viderint expedire.

CAPUT II.

De Officio B. Mariæ & Missa ejus quotidiana.

COMMEMORATIO Beatæ Mariæ cum debita reverentia extra stallum fiat, prout est hactenùs observatum. Flectendo genua ad *Ave Maria*, *Salve sancta Parens*, & quando in Antiphona *mirabile mysterium* dicitur *Deus homo factus est*. Ad *Salve Regina* & *Ave maris stella*. Ad Missam verò, exceptis Vigiliis Pentecostes, Assumptionis ejusdem & omnium Sanctorum; Collecta illius dicatur omni die quo ejus commemoratio fit ad Laudes. Omni quoque die quo Missa quotidiana cantatur pro Defunctis; debet dici Missa de Beata Maria præter festa Natalis Domini, Paschæ & Pentecostes: in quibus tribus diebus nec de ipsa nec pro Defunctis privatim dicitur. Quando commemoratio ejus canitur in Conventu, post

ejus commemorationem quotidianam ad Vesperas & ad Laudes, commemorationes solitæ de Beatis Benedicto & Bernardo consequentur. Illa tamen de Beato Roberto specialiter debet fieri ad horas Beatæ Mariæ. Intermittitur prædicta Beatæ Mariæ commemoratio à Laudibus Vigiliæ Nativitatis Domini, usque ad Laudes in crastinum Epiphaniæ: & à Laudibus in Cœna Domini, usque ad Laudes feriæ quintæ post Pascha; & à Vesperis Vigiliæ Pentecostes, usque ad Laudes quintæ feriæ subsequentis; & à Vesperis Ascensionis, usque ad Laudes crastinæ diei: in festo omnium Sanctorum ac festis ejusdem Virginis: per octavas verò festivitatum illius, non fit commemoratio nisi solita de octava.

In horis ejusdem Beatæ Mariæ videlicet Primâ, Tertiâ, Sextâ & Nonâ omni tempore dicatur Hymnus uniformiter, cujus primus versus sit. *Memento salutis auctor.* Secundus, *Maria Mater gratiæ.* Tertius, *Gloria tibi Domine qui natus es de Virgine.* Quicunque verò fuerint extra terminos in absentia Conventûs, Horas Beatæ Mariæ & Officium Defunctorum, sicut in Infirmitorio communiter & in Audientia simul dicant.

CAPUT III.

De Missa Beatæ Mariæ in Sabbato.

IN omnibus Sabbatis vacantibus à festo duodecim Lectionum & Missæ unius, Missa de Beata Maria cum duobus Ministris sine flexione genuum, omissis usitatis Collectis cum *Gloria in excelsis*, cum Præfatione, *& te in veneratione*; diebus quadragesimæ cum Tractu, *Gaude Maria*; diebus Resurrectionis cum duobus *Alleluia*, Primo quidem *Post partum*, secundo verò *Virga Iesse*, in Conuentu solenniter dicatur. Idipsum, qui privatim celebrabunt, omni tempore observabunt. Hæc autem Missa pro alicujus Sancti Officio, quod cum uno Ministro cantari debet, nullatenùs omittatur, sed à Cantore illud Officium alicui injungatur, præter solennes Vigilias quæ evenerint in Sabbatis & Sabbata infra octavas Ascensionis, Apparitionis Domini & Sacramenti Altaris, & octavas Sanctorum & consueta Officia Defunctorum quæ habeant

more solito Missas suas. Si festivitas etiam alicujus Sancti, quæ habeat in Ordine duas Missas, Sabbato occurrerit, etiamsi proprium Missæ matutinalis officium intitulatum fuerit in Graduali, prima nihilominùs Missa de Beata *Maria* celebretur solenniter in Conventu, nisi fortè ipsa die sermo in Capitulo habeatur.

CAPUT IV.

De aliis solennioribus Missis Beatæ Mariæ & Processionibus.

AB eo qui non venit legem solvere sed adimplere, cunctis indicitur honor Matris. Abbas itaque in Vigilia Nativitatis Beatæ *Mariæ* Missam cum duobus Ministris, sicut in Vigilia Assumptionis ejusdem, cum Præfatione, *Et te in veneratione*, solenniter celebret in Conventu. In Vigilia quoque Nativitatis ejusdem ob reverentiam & honorem ipsius Virginis, per totum Ordinem tàm in Conventu quàm alibi cum lacticiniis jejunetur. Per omnes etiam utriusque festivitatis octavas cum *Gloria in excelsis*, & Præfatione de festo, & cum duobus Ministris Missa celebretur solenniter ubi fieri poterit competenter. Si verò contigerit evenire octavas ejus die Dominico, in quo debet historia inchoari: usque ad sequentem Dominicam illa historia differatur, & tunc fiat commemoratio & Missa matutinalis tantùm de Beato *Mauricio* die illa. In solennitatibus quoque Sanctorum quæ infra octavas ejusdem Virginis evenerint, ad Tertiam & ad Completorium dicatur Hymnus de Beata *Maria*, prætter quàm in Exaltatione sanctæ Crucis. Officium verò Beati *Nicomedis* Martyris propter octavas Beatæ *Mariæ* in alio festo dicatur. In octava Ascensionis Domini & Epiphaniæ dicatur Præfatio de eisdem cum *Gloria in excelsis* & duobus Ministris.

Insuper fiat Processio per totum Ordinem in Assumptione Beatæ *Mariæ*, & ibi cantetur & fiant stationes, prout notatum est in *Gradualibus* seu *quaternis*. Et in quatuor solennibus anni Processionibus, duo Monachi albis induti præcedere debent crucem, duos cereos deportantes,

qui & Abbatibus celebrantibus ad majus Altare ministrabunt similiter in albis.

In suscipiendis autem Episcopis & Prælatis, inter aquam benedictam & duos cereos Thuribulum apponatur. Sed in Processione *septem Psalmorum* quæ fit sextâ feriâ, sola crux & nihil aliud deferatur.


CAPUT V.

De Ceremoniis quibusdam circa divinum Officium observandis.

HORTATUR Propheta servire Domino in timore, & psallere sapienter. Abbas igitur si ad Gloriam primi Psalmi non occurrerit, ad gradum sicut Monachus satisfacere teneatur; sine licentia verò, nisi alius Abbas fuerit in Choro, ad sedem suam revertatur. Nullus quoque dum horæ canonicæ celebrantur, loquatur infra terminos Abbatiæ, nisi fortè sub silentio & urgente necessitate.

In Conventu non fiant psalmi vel orationes pro quavis etiam necessitate sine auctoritate Capituli Generalis, nisi fortè loco Missæ de Conventu, alia Missa vel Collecta pro imminenti angustia dicatur. Nullus verò in oratione prostratus jaceat, nisi solùm illi qui de itinere revertuntur, & Conventus dum dicit sextâ feriâ *septem Psalmos.*

Ad omnes Missas tam Conventuales quàm privatas propter reverentiam Domini Salvatoris nostri, quoties nomen IESV benedictum in sæcula nominatur, omnes humiliter & devotè supplicare debemus, prout Dominus Papa *Gregorius* constituit in Concilio Generali. Item quotiescunque in Passionibus Domini nostri Iesu Christi nominabitur articulus sanctissimæ mortis ejus, omne genu flectatur, petendo veniam humiliter & devotè.



CAPVT VI.

De Anniversariis & Officiis Defunctorum, & de Festis novis, Missis & commemorationibus non permittendis sine consensu Capituli Generalis.

QVOD sine licentia Patris spiritualis fit, præsumptioni deputabitur & vanæ gloriæ, non mercedi. Anniversaria igitur in Ordine nulla fiant sine licentia Capituli Generalis; sicubi aliter præsumptum fuerit, ea die sit Conventus in pane & aqua, & Abbas inde veniam petat in Capitulo memorato. Si quæ autem Anniversaria concessa fuerint (quod tamen de facili fieri non debet) tunc intelligitur, quòd pro eo *una Missa privatim* tantùm annis singulis celebretur. In unoquoque mense per annum fiat semper unum Anniversarium in singulis domibus universi Ordinis, & de eo celebrare teneantur præter Missarum Hebdomadarios, quicunque celebraverint ea die, salvis Anniversariis Fundatorum. Sedendo verò fiant omnia prædicta Anniversaria, exceptis quatuor præcipuis Officiis Defunctorum. Inhibetur quoque personis Ordinis, ne aliquis *Anniversaria* vel *plenum servitium* postulet post obitum faciendum. Nullus etiam, dum divinum Officium celebratur, ad sonum tabulæ pro Defuncto de Choro exeat, nisi de Prioris licentia vel Cantoris, & qui exierit revertatur.

Reg. S. Ben. cap. 49.

Ita Cap. Gen. an. 1150.

Ita Cap. Gen. an. 1150.

Commemorationes novæ Sanctorum vel festa non fiant, nisi de consensu Capituli Generalis; sicubi aliter præsumptum fuerit, Prior & Cantor qui hoc scienter sustinuerint, sint uno die in pane & aqua, Abbas verò inde veniam petat in Capitulo Generali. Pro commemoratione alicujus Sancti vel festo faciendo, nullus preces vel literas ad Capitulum afferre præsumat, nisi priùs petitâ & obtentâ licentiâ Domni Cisterciensis & Definitorum. Nulli quoque Missam quotidianam vel annualem licitum sit concedere, sine auctoritate Capituli Generalis; Nec etiam sub pacto vel pretio Missas seu *consortium Ordinis nostri* alicui promittere propter periculum Simoniæ.

per ratione delicti aut contractus vel rei de qua agitur, possint conveniri coram locorum Ordinariis, & illi quoad hoc suam in ipsos jurisdictionem, prout jus dictaverit, exercere: nullum libertatibus & immunitatibus Ordinis nostri præjudicium generetur.

Nec possumus conveniri vel ad judicium evocari per literas Apostolicas quæ de Cisterciensi Ordine non fecerint mentionem, licet in illis generaliter contineatur *quòd non obstent aliqua Privilegia seu Indulgentiæ ab Apostolica Sede obtentæ*, de quibus expressam oporteat facere mentionem.

§. VIII.

De Privilegiis super absolutionibus & dispensationibus.

ALEXANDER IV.

Concedit Abbatibus universis, ut possint absolvere venientes ad Ordinem, à sententiis *suspensionis, interdicti*, vel *excommunicationis*, etiam post ingressum, & dispensare cum eisdem; & quòd Abbas Cisterciensis Coabbates suos de Ordine, & unus eorum, quem ipse elegerit, ipsum super præmissis possit absolvere, & cum eo dispensare.

Præterea confirmat nobis Indulgentiam Innocentii IV. quæ dicit non licere personis Ordinis alicui Presbytero sæculari vel alterius Religionis confiteri, sine Abbatis sui licentia speciali; nec etiam illis earum confessiones audire, nec eis absolutionis beneficium impendere.

Idem etiam nobis concessit, ut Abbates nostri Ordinis non solùm Prioribus suis, sed etiam aliis discretis & literatis Sacerdotibus possint committere vices suas ad absolvendos Monachos suos ab excommunicatione, quam pro violenta manuum injectione in seipsos incurrere possent.

Denique cùm idem Pontifex prædecessorum suorum beneficia Ordini nostro concessa ampliare vellet, de multa benignitate singulis Abbatibus nostris concessit, ut subditos suos in causis quibus excommunicationis sententiam & notam irregularitatis incurrunt, absolvere & dispensare valeant cum eisdem; nisi adeò foret gravis & enormis excessus, quòd pro illo ad Sedem Apostolicam essent meritò destinandi. Quocirca Capitulum Generale eisdem permisit beneficio & gratiâ supradictâ sibi concesâ, cum discre-

tione tamen & maturo consilio. Et quia difficile esset ad plenum scire casus seu excessûs, pro quibus ad Sedem Apostolicam vel ad Generale Capitulum recurrendum esset: eisdem Abbatibus mandavit, ut casus in quibus absolverent vel dispensarent, & causam suæ absolutionis & dispensationis, si tamen dicti casus dubitabiles forent, in sequenti Capitulo fideliter intimarent, ut per ipsum Capitulum, si fortè in aliquo esset erratum, ad correctionis & rectitudinis lineam reduceretur: hoc diligenter proviso, ne contra sententias Patrum Abbatum, vel Capituli Generalis, dicti Abbates absolvere vel dispensare aliquo modo præsumant, vel pro hujusmodi ad Diœcesanos habere recursum.

§. IX.

De Privilegiis Monialium & statu earum.

INNOCENTIVS IV.

Concessit ut Moniales Ordinis in regno Franciæ constitutæ Privilegiis Ordinis uterentur, ac earum excessus sicut excessus Monachorum coërcerentur.

Insuper noluit eas aliis personis sive religiosis sive sæcularibus confiteri, sed soli Patri Abbati, vel cui ipse in hoc committeret vices suas.

Noluit etiam nos teneri ad aliquas Moniales Ordini sociandas, nequidem per literas Apostolicas, nisi plenam & expressam de hoc Privilegio facerent mentionem. Imò eas quæ forent rebelles ab Ordine separare, ac Privilegiis & Indulgentiis Ordini concessis omninò privare: ac denique contra Conversos & Capellanos earum, sicut & contra alios Ordinis Apostatas, secundùm Statuta Ordinis & Indulgentias nobis à Sede Apostolica concessas, procedere mandavit.





DISTINCTIO III.

De Abbatiis & earum Ecclesiis instituendis.

CAPUT PRIMUM.

Quòd in honorem Beatæ Mariæ Virginis omnes Ecclesiæ Ordinis debeant consecrari.

QUONIAM gloriosæ Dei Genitricis Mariæ vita inclita, immensa dignitas, sanctitas eximia cunctas illustrat Ecclesias: omnes Ecclesiæ nostræ Conventuales in honorem ipsius fundentur ac meritò dedicentur. In quibus, nec-non & in omnibus locis nostris omnes superfluæ novitates & notabiles curiositates, quæ modestiam Ordinis & paupertatem honestam dedeceant, ab omnibus evitentur, & per Patres Abbates seu Visitatores evitari diligentiùs procurentur.

CAPUT II.

De Abbatiis non fundandis, transferendis vel Ordini incorporandis sine consensu Capituli Generalis.

ABBATIAM Ordinis nostri fundare, mutare, transferre seu aliam Ordini nostro incorporare, nulli liceat sine consensu Capituli Generalis. Abbas promovens, deponatur: promotus verò, pro non Abbate habeatur, & Conventus ad domum propriam revertatur. Hoc semper diligentiùs observato, ut ad novam Abbatiam minùs quàm duodecim Monachi cum Abbate decimo tertio, non mittantur; Ipso loco priùs domibus, libris, & aliis necessariis sic aptato, quòd ibi competenter vivere possint & Regulam observare; Et super hoc inspectores dati teneantur referre Capitulo fideliter veritatem.

CAPVT III.

De unione minorum Monasteriorum.

MINORA Monasteria tam Monachorum quàm Monialium, in quibus non possunt congruè sustentari duodecim Monachi vel Moniales ibidem assiduè residentes, ut per omnia possint communia Statuta Ordinis observare: Patres Abbates conjungant & uniant aliis de consilio Fundatorum & Capituli Generalis, Monachos & Moniales contumaces super hujusmodi aut rebelles, per censuram Ordinis coërcendo.

Censura autem Ordinis intelligitur, *Potestas suspendendi & excommunicandi singulares personas, & in loca ipsarum sententiam interdicti ferendi.*

CAPVT IV.

De Campanis, Libris Iuris, Cimiteriis & Portis Abbatiarum.

DOMVS Dei sapienter à sapientibus debet ordinari. Majori igitur in primis & minori Campana Horæ ac alia officia diversis modis ac temporibus, prout est *ab antiquo solitum*, nuntientur. Libri quoque Iuris in nostris armariis Conventualibus minimè habeantur. In grangiis quoque nostris, quarum distantia pendet ab ordinatione Capituli Generalis, nunquam de cætero fiant Cimiteria nova, & in jam factis nemo sepeliatur, nisi fortè ibidem aliqui jus habeant sepulturæ, quibus non possit hoc commodè denegari. In quo casu à septis grangiarum dicta Cimiteria excludantur, aut sepeliendi ad Monasterium deferantur.

Ab antiquo solitum. Vide cap. XII. primæ distinct. Antiq. Institution. Ordinis. *fol.* 178.

Stabula verò equorum & quæcunque domus aliæ ad habitandum non fiant extra Abbatiarum ambitum propter pericula animarum, & si quæ facta fuerint, diruantur; omnes etiam portæ Abbatiarum extra terminos construantur.


CAPUT V.


De Mulieribus infrà septa Abbatiarum non admittendis.

INGRESSUS mulierum infrà septa Abbatiarum nostrarum omninò interdicitur, nisi super hoc Privilegium Domini Papæ habuerint speciale, excepto quòd cùm major Ecclesia noviter dedicatur, per novem dies causâ devotionis Ecclesiam poterunt visitare, sed nunquam tunc vel aliàs occasione aliquâ infrà septa Monasterii pernoctare. Sicubi contrarium præsumptum fuerit, discooperiantur Altaria, & divinum officium in Ecclesia minimè celebretur quandiù ibidem fuerint mulieres. Faciens autem vel consentiens & procurans per literas Apostolicas vel quocunque modo, si Abbas fuerit omni sextâ feriâ sit in pane & aqua usque ad sequens Capitulum Generale, ibidem veniam petiturus & graviter puniendus; si verò Prior vel Subprior vel Cellerarius fuerit, ab officio deponatur, & tribus diebus (uno eorum in pane & aqua) peragat levem culpam. Alii verò Monachi & Conversi pœnam similem sortiantur & ultimi sint per annum.

Cellerarius, Portarius & Hospitales grangiarum summoperè studeant, ut mulieres notam criminis ferentes, ad portas locorum nostrorum sedentes longiùs repellantur.

Ex Cap. Gen. an. 1205. Abbas de Pontiniaco qui contra formam Ordinis Reginam F[illegible]nciæ cum aliis ejusdem sexûs non paucis in suum Monasterium introduxit ad audiendum sermonem in Capitulo, ad Processionem in Claustro, ad reficiendum & pernoctandum duabus noctibus in Infirmitorio, sumpta occasione quòd ex rescripto Domini Papæ & ex permissione Domni Cistercii eidem Dominæ patebat aditus illius Monasterii, cùm eò usque procedendum nec Dominus Papa, nec Abbas Cistercii indulserint, sed nec etiam aliquid tale cogitaverint: Et quia tam enorme factum sustinuit in totius Ordinis Cisterciensis injuriam, licet absque omni retractatione depositionem mereretur in instanti: tamen ad instantiam & petitionem Domini Remensis, cui negare quicquam nec volumus nec debemus, & aliorum etiam Episcoporum, ei parcitur in præsenti. Verùm ne omninò impunita remaneat tanta præsumptio, extra stallum Abbatis maneat usque ad Pascha, nec celebret nisi de necessitate sui officii, & sex diebus sit in levi culpa, tribus scilicet diebus in Cistercio, & tribus in Pontiniaco uno eorum in pane & aqua, hinc & inde.





DISTINCTIO IV.

De Benedictionibus Novitiorum & Abbatum, nec-non & de Ordinationibus Monachorum & administratione Capellarum.

CAPUT PRIMUM.

De Benedictione & Professione Novitiorum.

NOVITII Ordinis ab Abbate non suo in domo alia benedicti, cùm ad domos suas venerint, *profiteri* Abbati proprio teneantur. Monachi verò ad nostrum Ordinem venientes, in alio Ordine secundùm Regulam nostram jam professi, sed minimè benedicti, tanquàm Novitii per omnia habeantur. Si verò tales venerint benedicti, statim detur eis Cuculla; & completis quatuor mensibus, ad nutum Abbatis promissionem in Capitulo de sua professione faciant, & in Ecclesia more Novitii professionem legant, & super Altare offerant, nihil ampliùs facientes.

Profiteri, id est, obedientiam promittere teneantur.

Qui post annum probationis elapsum votum suum in Ecclesia solennisant, in scripto professionis suæ *Cisterciensis Ordinis* exprimant nomen loco suo; & post Cucullæ susceptionem, decantetur Hymnus *Veni Creator*: & usque ad finem Hymni, Monachus ille sit ante gradum Presbyterii flexis genibus humiliter inclinatus. Abbas autem qui scienter Novitium benedixerit infra annum aut extra Abbatiam Ordinis, deponatur.

Si verò Doctores in Theologia, vel aliæ Reverendæ Personæ ad Ordinem se transtulerint & fuerint Sacerdotes, de consilio Abbatis loci illius, tempore probationis poterunt celebrare.

CAPUT II.

De Benedictione Abbatum.

PRO Benedictione Abbatum nihil detur; quia non caret vitio Simoniæ; quòd si aliter benedictio non possit obtineri, potiùs differatur vel etiam omittatur. Qui-

cunque verò Diœcesano suo vel alteri Episcopo vice ejus; nisi sub forma quam Domnus Cisterciensis observat, profiteri præsumpserit: aut ab aliquo qui non sit de Ordine nostro, seu à persona Ordinis nostri nomine alicujus Prælati se installari permiserit, pro deposito habeatur. Forma autem Professionis Domni Cisterciensis hæc est. *Ego Frater N. Abbas Cistercii subjectionem, reverentiam & obedientiam à Sanctis Patribus constitutam secundùm Regulam sancti Benedicti; tibi, Domine Pater Episcope, tuisque successoribus canonicè substituendis, & Sanctæ Sedi Cabilonensi, salvo Ordine nostro, perpetuò me exhibiturum promitto.*

An. 1223. et 1224.

Nulli autem Abbati, nisi benedicto, processionaliter occurratur. Nullus etiam Episcopus de Ordine nostro Novitium benedicere, Visitationem in domibus nostris facere, Capitulorum nostrorum sessionibus interesse, aut de electionibus nostris se intromittere, permittatur.

CAPVT III.

De Ordinatione Monachorum & ministerio Capellarum.

QVICVNQVE Monachi per se vel per alios ut promoveantur ad sacros ordines, proprios Abbates inquietant, à die qua hoc fecerint usque ad biennium, non ordinentur nisi promoti fuerint in Abbates. Nec præsumat aliquis sine licentia proprii Abbatis alium Monachum facere ordinari. Ordinati verò ab Episcopo suspenso, & qui scienter à tali se fecerint ordinari, ab ordinum executione suspensi maneant usque ad nutum Capituli Generalis.

Nullus Monachus vel Conversus Ordinis nostri infantem baptisare, aut de sacro fonte suscipere præsumat, nisi in gravi damno vel scandalo, &c, cùm Presbyter defuerit, periculo evitando; Abbatis tamen proprii priùs petitâ licentiâ & obtentâ. Nulli etiam Monacho liceat Ecclesiis vel Capellis non propriis Ordinis deservire, nec curæ animarum ministerio implicari. Abbates verò sint extra stallum Abbatis quandiu tales ibidem permiserint residere.

DISTINCTIO



DISTINCTIO V.

De Officio divino.

CAPVT PRIMVM.

De mediocritate in cantu.

VT modestia nostra omnibus hominibus innotescat, ordinamus quòd in omnibus Abbatiis Ordinis nostri sic surgamus ad vigilias à sancto Pascha usque ad Exaltationem sanctæ *Crucis*, ut saltem primus Nocturnus finiri valeat ante diem. Mediocritas verò semper servetur in cantu nostro, ut gravitatem redoleat, & devotio excitetur. Divinum quoque Officium tam in Ecclesia quàm in Infirmitorio & ubicunque, distinctè & ordinatè ab omnibus persolvatur. Cantores Ordinis hoc diligenter observent, & ab aliis faciant observari. Si quis contra hoc venerit, taliter castigetur, quòd pœna illius ab excessu hujusmodi in posterùm retrahat alios & compescat. De modo tamen cantandi Abbas & Cantor ordinare poterunt, prout & quando viderint expedire.

CAPVT II.

De Officio B. Mariæ & Missa ejus quotidiana.

COMMEMORATIO Beatæ Mariæ cum debita reverentia extra stallum fiat, prout est hactenùs observatum. Flectendo genua ad *Ave Maria, Salve sancta Parens*, & quando in Antiphona *mirabile mysterium* dicitur *Deus homo factus est*. Ad *Salve Regina* & *Ave maris stella*. Ad Missam verò, exceptis Vigiliis Pentecostes, Assumptionis ejusdem & omnium Sanctorum, Collecta illius dicatur omni die quo ejus commemoratio fit ad Laudes. Omni quoque die quo Missa quotidiana cantatur pro Defunctis, debet dici Missa de Beata Maria præter festa Natalis Domini, Paschæ & Pentecostes: in quibus tribus diebus nec de ipsa nec pro Defunctis privatim dicitur. Quando commemoratio ejus canitur in Conventu, post

ejus commemorationem quotidianam ad Vesperas & ad Laudes, commemorationes solitæ de Beatis Benedicto & Bernardo consequentur. Illa tamen de Beato Roberto specialiter debet fieri ad horas Beatæ Mariæ. Intermittitur prædicta Beatæ Mariæ commemoratio à Laudibus Vigiliæ Nativitatis Domini, usque ad Laudes in crastinum Epiphaniæ: & à Laudibus in Cœna Domini, usque ad Laudes feriæ quintæ post Pascha; & à Vesperis Vigiliæ Pentecostes, usque ad Laudes quintæ feriæ subsequentis; & à Vesperis Ascensionis, usque ad Laudes crastinæ diei: in festo omnium Sanctorum ac festis ejusdem Virginis: per octavas verò festivitatum illius, non fit commemoratio nisi solita de octava.

In horis ejusdem Beatæ Mariæ videlicet Primâ, Tertiâ, Sextâ & Nonâ omni tempore dicatur Hymnus uniformiter, cujus primus versus sit. *Memento salutis auctor.* Secundus, *Maria Mater gratiæ.* Tertius, *Gloria tibi Domine qui natus es de Virgine.* Quicunque verò fuerint extra terminos in absentia Conventûs, Horas Beatæ Mariæ & Officium Defunctorum, sicut in Infirmitorio communiter & in Audientia simul dicant.

CAPVT III.

De Missa Beatæ Mariæ in Sabbato.

IN omnibus Sabbatis vacantibus à festo duodecim Lectionum & Missæ unius, Missa de Beata Maria cum duobus Ministris sine flexione genuum, omissis usitatis Collectis cum *Gloria in excelsis*, cum Præfatione, *& te in veneratione;* diebus quadragesimæ cum Tractu, *Gaude Maria;* diebus Resurrectionis cum duobus *Allelnia*, Primo quidem *Post partum*, secundo verò *Virga Iesse*, in Conuentu solenniter dicatur. Idipsum, qui privatim celebrabunt, omni tempore observabunt. Hæc autem Missa pro alicujus Sancti Officio, quod cum uno Ministro cantari debet, nullatenùs omittatur, sed à Cantore illud Officium alicui injungatur, præter solennes Vigilias quæ evenerint in Sabbatis & Sabbata infra octavas Ascensionis, Apparitionis Domini & Sacramenti Altaris, & octavas Sanctorum & consueta Officia Defunctorum quæ habeant

more solito Missas suas. Si festivitas etiam alicujus Sancti, quæ habeat in Ordine duas Missas, Sabbato occurrerit, etiamsi proprium Missæ matutinalis officium intitulatum fuerit in Graduali, prima nihilominùs Missa de Beata *Maria* celebretur solenniter in Conventu, nisi fortè ipsa die sermo in Capitulo habeatur.

CAPUT IV.

De aliis solennioribus Missis Beatæ Mariæ & Processionibus.

AB eo qui non venit legem solvere sed adimplere, cunctis indicitur honor Matris. Abbas itaque in Vigilia Nativitatis Beatæ *Mariæ* Missam cum duobus Ministris, sicut in Vigilia Assumptionis ejusdem, cum Præfatione, *Et te in veneratione*, solenniter celebret in Conventu. In Vigilia quoque Nativitatis ejusdem ob reverentiam & honorem ipsius Virginis, per totum Ordinem tàm in Conventu quàm alibi cum lacticiniis jejunetur. Per omnes etiam utriusque festivitatis octavas cum *Gloria in excelsis*, & Præfatione de festo, & cum duobus Ministris Missa celebretur solenniter ubi fieri poterit competenter. Si verò contigerit evenire octavas ejus die Dominico, in quo debet historia inchoari: usque ad sequentem Dominicam illa historia differatur, & tunc fiat commemoratio & Missa matutinalis tantùm de Beato *Mauricio* die illa. In solennitatibus quoque Sanctorum quæ infra octavas ejusdem Virginis evenerint, ad Tertiam & ad Completorium dicatur Hymnus de Beata *Maria*, præter quàm in Exaltatione sanctæ Crucis. Officium verò Beati *Nicomedis* Martyris propter octavas Beatæ *Mariæ* in alio festo dicatur. In octava Ascensionis Domini & Epiphaniæ dicatur Præfatio de eisdem cum *Gloria in excelsis* & duobus Ministris.

Insuper fiat Processio per totum Ordinem in Assumptione Beatæ *Mariæ*, & ibi cantetur & fiant stationes, prout notatum est in *Gradualibus* seu *quaternis*. Et in quatuor solennibus anni Processionibus, duo Monachi albis induti præcedere debent crucem, duos cereos deportantes,

CAPUT VI.

De Anniversariis & Officiis Defunctorum, & de Festis novis, Missis & commemorationibus non permittendis sine consensu Capituli Generalis.

QVOD sine licentia Patris spiritualis fit, præsumptioni deputabitur & vanæ gloriæ, non mercedi. Anniversaria igitur in Ordine nulla fiant sine licentia Capituli Generalis; sicubi aliter præsumptum fuerit, ea die sit Conventus in pane & aqua, & Abbas inde veniam petat in Capitulo memorato. Si quæ autem Anniversaria concessa fuerint (quod tamen de facili fieri non debet) tunc intelligitur, quòd pro eo *una Missa privatim* tantùm annis singulis celebretur. In unoquoque mense per annum fiat semper unum Anniversarium in singulis domibus universi Ordinis, & de eo celebrare teneantur præter Missarum Hebdomadarios, quicunque celebraverint ea die, salvis Anniversariis Fundatorum. Sedendo verò fiant omnia prædicta Anniversaria, exceptis quatuor præcipuis Officiis Defunctorum. Inhibetur quoque personis Ordinis, ne aliquis *Anniversaria* vel *plenum servitium* postulet post obitum faciendum. Nullus etiam, dum divinum Officium celebratur, ad sonum tabulæ pro Defuncto de Choro exeat, nisi de Prioris licentia vel Cantoris, & qui exierit revertatur.

Reg. S. Ben. cap. 49.

Ita Cap. Gen. an. 1150.

Ita Cap. Gen. an. 1150.

Commemorationes novæ Sanctorum vel festa non fiant, nisi de consensu Capituli Generalis; sicubi aliter præsumptum fuerit, Prior & Cantor qui hoc scienter sustinuerint, sint uno die in pane & aqua, Abbas verò inde veniam petat in Capitulo Generali. Pro commemoratione alicujus Sancti vel festo faciendo, nullus preces vel literas ad Capitulum afferre præsumat, nisi priùs petitâ & obtentâ licentiâ Domni Cisterciensis & Definitorum. Nulli quoque Missam quotidianam vel annualem licitum sit concedere, sine auctoritate Capituli Generalis; Nec etiam sub pacto vel pretio Missas seu *consortium Ordinis nostri* alicui promittere propter periculum Simoniæ.

CAPUT VII.

De Missis votivis sanctissimæ Trinitatis, Spiritus Sancti, cæterisque Missis matutinalibus, nec-non & de festis quorundam Sanctorum deinceps faciendis.

AB octava Pentecostes usque ad Adventum Domini quando Missa Dominicalis bis celebrari debet in die, Matutinalis fit de Trinitate; ad quam nunquam Collecta de Spiritu Sancto dici debet. Per idem tempus & in Adventu omni feriâ quintâ quæ vacua fuerit Missa de Spiritu Sancto, cum duobus Ministris, omissis usitatis Collectis, solenniter celebretur. Quando autem Missa alicujus Sancti intitulata in Graduali, quacunque causa impeditur, eodem die injungatur alicui privatim dicenda. Ad Missam verò quotidianam pro Defunctis, si præsens Defunctus fuerit Religiosus aut sæcularis, in Ecclesia dicatur post primam Collectam, *Omnipotens sempiterne Deus cui nunquam* singulariter pro eodem. Quando verò in Vigilia Pentecostes festum S. *Barnabæ* evenire contigerit, usque ad sequentem feriam quintam differetur: si verò evenerit idem festum Sabbato Sanctæ Trinitatis, ad Vesperas ejusdem Sabbati nihil fit de eodem Sancto nisi commemoratio tantùm. Si autem festum Beati *Petri* diebus Rogationum evenerit, duæ Missæ dicantur, scilicet de jejunio & de Sancto. Per totam Generationem Bellævallis & Bonævallis dicatur ejus historia, & quotidiè ejus commemoratio ad Vesperas & ad Laudes.

B. Petri Archiepiscopi scilicet Tarantasiensis, Abbatis olim Monasterii Bonævallis Ordinis Cisterciensis.

Festa verò Sanctorum *Roberti* Abbatis, *Eligii* Episcopi, S. *Lupi*, *undecim millium Virginum*, *Gregorii*, *Augustini*, *Ambrosii*, *Ieronimi*, *Edmundi*, *Petri*, *Guillelmi*, *Spineæ coronæ*, *Ludovici* in crastino S. Bartholomæi, & *Catharinæ*, cum Responsorio in Vesperis *Audi filia* cum duabus Missis: nec-non festa Sanctorum *Dominici* Confessoris, *Francisci*, *Iuliani* Episcopi, *Petri* Martyris, translationis sancti *Benedicti* cum una Missa celebrentur, atque pronuntientur prout in Kalendario, Martyrologio, Graduali, Responsorio, Missali & libris Ecclesiasticis est no-

Undecim millium, &c. hoc intellige secundum vulgi existimationem.

tatum & hactenùs observatum. Festa quoque *Dedicationis Ecclesiæ* & Beatæ *Agnetis* Virginis transferantur quando fieri non poterunt die suo. Collecta, *Ecclesiæ* intermittatur in Vigilia Nativitatis Dominicæ, in die Cœnæ Domini, in Vigilia Paschæ & Pentecostes, in Sabbatis quatuor temporum, in Exaltatione sanctæ Crucis, & in quatuor præcipuis Officiis Defunctorum.

Ubicunque dicatur extra Ecclesiam, *Pater noster*, & *Credo in Deum*, ad Primam, & post Primam *Pretiosa in conspectu Domini.*

CAPUT VIII.

De festo S. Trinitatis; de Dominica in Palmis; de elevatione Eucharistica; de tempore celebrandi, & communione sub utraque specie.

FESTUM S. Trinitatis & Dominica in Palmis cum tribus lampadibus semper fiant, & Abbas celebret solenniter in Conventu. In festo autem sanctæ Trinitatis propter difficultatem materiæ, sermonem in Capitulo haberi non oportet.

Cùm verò Missæ celebrantur, peractâ consecratione, *hostia* elevetur ut videri possit ab omnibus, & tunc ad Missas de Conventu minor Campana pulsetur uno ictu, ad cujus sonitum omnes, præter illos qui in Dormitorio jacent, genua flectant, nec illi qui in Choro fuerint surgant à terra, donec post consecrationem sanguinis Sacerdos elevet manus suas.

Diebus autem duarum Missarum, Claustrales ab Ecclesia evagantes arctiùs corrigantur; similiter Hebdomadarii coquinæ qui debent privatis diebus Missis Conventualibus interesse.

Abbatibus egredientibus æstatis tempore post Primam, regredientibus post Tertiam, in hyeme usque ad Nonam, in Quadragesima usque ad Vesperas, Missas audire permittitur vel cantare. Celebrare quoque Missam ante Evangelium Monachis nostris liceat in via dirigendis. Tempore quoque fœnationis, messionis, & tonsionis ovium, ubi

Monachi tondêre solent, Missæ celebrentur antequàm exeant ad laborem; hoc diligenter observato ut nunquam aliquis de Ordine Missam celebret bis in die.

Diebus autem quibus Monachi communicaturi sunt, possunt ad Missas privatas communicare, vel ubi Abbas decreverit faciendum: nulla tamen persona Ordinis nostri, exceptis Ministris Altaris indutis sacris vestibus, ad sacrum calicem de cætero pro percipiendo sanguine accedere præsumat, propter periculum & scandalum evitandum.



DISTINCTIO VI.

De Capitulo Generali.

CAPUT PRIMUM.

De honesta & moderata Procuratione venientium ad Capitulum Generale.

PRÆCIPUE tempore quo venitur ad Capitulum Generale vel inde reditur, provideant Abbates & Officiales domorum Ordinis, ut Abbatibus venientibus ad Capitulum Generale & redeuntibus, nec-non omni alio tempore, personis Ordinis & pueris Ordinis universi per eos transeuntibus, pro dispersione, pro culpa, pro domorum suarum ac Ordinis negotiis quibuscunque in Abbatiis, in Grangiis, cæterisque locis; secundùm facultates locorum sufficienter & honestè necessaria; Vinum quoque in Cellariis, ubi vineæ habentur, faciant ministrari, nec in fraudem hujus hospitalitatis in suis locis personas præficiant sæculares. Abbas in cujus locis hoc factum fuerit fraudulenter, vel personæ Ordinis receptæ fuerint negligenter: per Patrem Abbatem vel Generale Capitulum puniatur. Ipsi autem supervenientes caveant omninò, ne in locis ad quæ veniunt, suâ immoderantiâ vel morâ nimiâ onus inferant vel gravamen. Quòd si loca Ordinis visitaverint, aut ad Grangias venire debuerint, ubi eis necessaria præparantur, nihil eis ministretur ad portandum. Abbatibus quoque & Monachis ad Capitulum Generale, prout debent, venientibus, vel inde regredientibus conceditur,

ditur, ut si prandere voluerint, intrent horâ prandii Refectoria domorum Ordinis ad quas veniunt: & facto prandio, licitè exeant iter quod cœperant expleturi.

CAPUT II.

De remotis Abbatibus, Equitaturis, & pueris venientibus ad Capitulum Generale.

ABBATES remoti scilicet de *Hybernia*, *Scotia*, *Sicilia*, ad Capitulum veniant quarto anno, sed ad minùs anno tertio visitentur. De *Syria* & *Cypro* septimo anno veniant ad Capitulum, & ad minùs anno tertio visitentur. De *Norvegia* verò, *Gracia* & *Livonia* & *Byerrooth* similiter anno tertio visitentur, & veniant ad Capitulum anno quinto. De *Hungaria* anno tertio: De *Galetia* & *Portugallia* anno quarto: De *Legione & Castella* anno tertio: De *Arragonia* & *Navarra* & *Catalonia* anno secundo venire ad Capitulum non omittant. Abbatibus verò *Frisiæ* conceditur quòd anno tertio veniant ad prædictum Capitulum; ita tamen quòd duo eorum ad minùs annis singulis venire teneantur.

Nullus verò Abbas, præter illos quibus concessum est Notarios adducere, ad Capitulum veniens plusquàm tres equos secum adducat: si verò plures adduxerit, & domos Ordinis gravaverit; Abbatibus, Prioribus, Cellerariis, vel Officialibus cæteris domorum per quas transierint, auctoritate Capituli Generalis, quotquot suprà fuerint, licitum sit retinere. Pueri verò Ordinis apud Cistercium & ad primas domos quatuor venientes, ad portam dimittant cultellos acuminatos & omnia armamenta. Quicunque verò ex ipsis aliquid fecerit unde scandalum Ordinis oriatur, ab Ordinis servitio perpetuò excludatur. Quicunque Puer exiens recesserit ab aliqua domo nostri Ordinis, veniat cum literis testimonialibus illius Abbatis à quo recesserit; aliter, in alterius domûs servitio à nemine admittatur.

CAPVT III.
De Abbatibus remanentibus à Capitulo Generali.

ABBATES qui eo anno quo debent ad Capitulum venire non venerint; in via infirmitate corporis impediti, si se legitimè per literas vel Abbates non excusaverint, pro prima transgressione; à die Capituli Generalis in stallum Abbatis non intrent, & omni sextâ feriâ sint in pane & aqua usque ad sequens Capitulum Generale. Si verò anno sequenti non venerint, nisi prædictâ infirmitate vel causâ aliâ potuerint se tueri, absque retractatione aliqua deponantur. Abbates autem impetrantes preces à quocunque vel quantocunque qui non sit de Ordine, Domino Papâ & Cardinalibus duntaxat exceptis, pro remanendo à Capitulo, sententiam excommunicationis à dicto Capitulo latam incurrant; à qua non possint absolvi, nisi ab eodem Capitulo, vel ab eo cui commissum fuerit hujus absolutionis beneficium.

Patribus autem Abbatibus præcipitur, ut in visitationibus suis diligenter inquirant, utrùm Abbates quos visitant, tempore debito venerint ad Capitulum Generale, & singulis annis super hoc respondeant Capitulo Generali.

Si verò Patres Abbates invenerint filios suos propter infirmitates suas incurabiles, per biennium continuum à Capitulo remansisse: auctoritate Capituli Generalis domibus suis sic destitutis & dispendiis earum, secundùm Deum & conscientias suas provideant, aut per amotionem vel alio justo modo & debito, prout viderint expedire. Quòd si prætextu paupertatis excusationem prætenderint, Domno Cistercii & quatuor primis Abbatibus unicuique in Generatione sua committitur ut ordinent, prout eis melius videbitur, & de talibus Abbatiis aliis conjungendis; exceptis Abbatiis de *Hungaria*, *Polonia*, & *Livonia*, quando propter justum metum *Tartarorum*, Visitatores eorum poterunt eos veraciter excusare.

Omnes quoque Abbates qui à Patribus suis citati, ad Capitulum venire contempserint, super suis excessibus veniam petituri, & facturi quod justitia suadebit, in ipso

Capitulo deponantur. Abbates insuper qui scienter celaverint alios quo tempore tenentur venire ad Capitulum, tanquam consentientes eisdem, postquàm ad propria reversi fuerint, infrà mensem tribus diebus continuis pœnam peragant levis culpæ; alioquin donec peregerint, abstineant à divinis. Illi autem Abbates qui venire annis singulis non tenentur, si ad unam de primis quatuor Abbatiis venientes infirmi ibidem remanserint, venisse ad Capitulum reputentur. Si qui verò in via ipsius Capituli spoliantur, nihilominùs prout poterunt veniant: & Abbates per quos transierint, eis charitativè necessaria administrent.

CAPVT IV.

De Ingressu Cistercii ante Capitulum, & de Monachis ad illud non adducendis.

NVLLVS Abbas ad Capitulum veniens infrà quindecim dies ante Capitulum intrans Cistercium, ibi moretur ultra tres dies, nisi evidenti infirmitate detentus. Tempore quoque Capituli nullus intret Cistercium, nisi cum duobus equis & cum uno Converso, vel famulo; si Conversum contigerit infirmari: nec in Cistercium quisquam Monachum introducat, exceptis quatuor Primis & Abbate de Saviniaco, qui secum ^Notarios adducere poterunt & quatuor equitaturas, Abbatum primorum videlicet unusquisque. Nullus etiam Abbas veniens ad Capitulum, ultra primam Abbatiam in via Capituli recto itinere existentem vel locum æquè distantem, secum Monachum adducere, vel in fraudem præmittere, seu ut sequatur vel sibi occurrat, concedere præsumat ullatenùs vel attentet.

^ id est. Secretarios.

Nullus etiam Monachus ad dictum Capitulum venire, vel ut vocetur audeat procurare; illis tamen exceptis qui pro negotiis Ordinis ad Curiam Romanam, vel Parisius ad studium diriguntur. Abbas verò qui contrà præsumpserit, tribus diebus, uno eorum in pane & aqua, cùm ad domum propriam redierit, pœnitentiam peragat levis culpæ. Et si tempore Capituli Monachus in Cistercio reper-

tus fuerit, vapulet graviter in Capitulo Monachorum, & ad nutum Prioris de Cistercio expellatur. Monachi quibus de speciali gratia intrare Cistercium tempore Capituli Generalis conceditur, intersint omnibus horis canonicis ut Claustrales, & sint assiduè in Conventu, qui si à præsentia Prioris vel Subprioris se absentaverint, puniantur graviter in Capitulo Monachorum, & si visum fuerit, de Cistercio expellantur. Ab hora autem diei nona Beatorum *Prothi* & *Hyacinti* usque ad horam diei nonam, quo Abbates à Capitulo Generali discedunt, quicunque Monachus hospes in Monasterio, in Grangiis, in Cellariis Cistercii, nisi de licentia Domni Cisterciensis Abbatis inventus fuerit, ducatur in Capitulum Generale, & ibi coram omnibus vapulet, postquàm vapulaverit reversurus.

CAPVT V.

Quando & quomodo incipiendum sit Capitulum Generale, & qualiter Abbates se habeant in eodem.

VT actiones nostras aspiratio Dei præveniat & adjutorium prosequatur, die præcedente Vigiliam sanctæ *Crucis*, Abbates venientes ad Capitulum intrent Cistercium ante Tertiam, & post Tertiam Missa de Spiritu Sancto in Conventu solenniter celebretur. Si Dominica fuerit, matutinalis erit de Dominica, major de Spiritu Sancto. In cæteris autem domibus Ordinis universi Missa de Spiritu Sancto eadem die celebrabitur in Conventu, & si Dominica fuerit, matutinalis erit de Spiritu Sancto, major verò de Dominica. Hæc autem Missa de Spiritu Sancto nonnisi pro præsenti Defuncto intermittatur in Conventu, sed & ipsa die à singulis Sacerdotibus qui cantare poterunt, Missa de Spiritu Sancto dicatur, nisi pro præsenti Defuncto fuerit impedita. Et ut nostra operatio à Deo semper incipiat, & per ipsum cepta laudabiliter finiatur; Abbates in Capitulo Generali congregati, in primis Hymnum *Veni creator Spiritus*, Cantore incipiente, cantent solenniter & devotè, & posteà dicatur à Præsi-

dente versus, *Emitte spiritum tuum*, &c. & subjungatur Collecta *Actiones nostras*.

Quicunque verò Abbas foris Capitulum, dum Generale Capitulum tenetur, scienter & diu sederit, à vino se abstineat una die. Signo igitur pulsato ad conveniendum in Capitulum statim Abbates conveniant sine mora, & qui diutiùs intrare distulerit, proclametur satisfacturus ad arbitrium Præsidentis; sine cujus licentia nutu manûs petita, quandiù ipse sederit, nullus indè exeat aut discedat. Nullus in Capitulo præter Præsidentem, proclamet vel loquatur in audientia omnium nisi stando, aliis sedentibus & auscultantibus quæ dicuntur. Si quis contradicere vel aliud dicere voluerit, surgat, illo primitùs residente. Nullus etiam Abbas ignotum sibi Abbatem præsumat de aliquo crimine proclamare, nisi de Domni Cisterciensis aut quatuor primorum Abbatum licentia & assensu.

Qui verò habuerit loqui aliquid alicui, quod tamen studiosè debet ab omnibus præcaveri, accedens ad eum breviter ei in aure & quasi sub silentio loquatur; sed & si quid auditum fuerit, unde aliquis vel aliqui moveantur, non statim in contumeliosas & inconditas voces more brutorum prorumpant, quin potiùs servata cum omni studio favorabili gravitate, surgat aliquis qui unus pro omnibus aliis sapienter atque discretè verbi moti satisfactionem reddat, aut sicut noverit expedire, ipse inquirat. Nec præsumant alterutrum defendere aut quasi tueri, quod est scindere sacrosancti Ordinis unitatem. Quòd si quis hæc transgressus fuerit, talis in eum vindicta procedat, quòd cæteros à simili præsumptione deterreat.

Si aliqua verò persona Capitulum ingressa fuerit, & aliquis Abbatum aliquid adversùs eam habuerit, non ibi ipsam coram omnibus aggrediatur, sed postquàm ex visis & auditis ædificata recesserit, proponat Abbas ille quod voluerit: & tunc si Capitulo visum fuerit, eligantur personæ discretæ, quæ personam illam modestè conveniant, & ad ea quæ pacis sunt & juris, convenienter inducant.

Si quis verò de quatuor primis Abbatibus in Cistercio tempore Generalis Capituli aliquos Abbates duxerit convocandos, caveat qui convocat, caveant convocati, ne quid ibi oriatur quod schisma vel conspirationem redoleat

aut aliquam dissensionem. Si autem, quod absit, hujus tam necessariæ Constitutionis transgressor quis fuerit deprehensus, absque retractatione aliqua in eodem Capitulo deponatur.

CAPUT VI.

De Electione Definitorum, Notariorum juramento, vestium Conformitate, Capitulo Conversorum, Literis quæstuosis Patrum Abbatum in visitandis filiabus negligentia & excusationibus absentium.

CUM Domnus Abbas Cisterciensis voluerit Definitores eligere, inquirat per quatuor primos Abbates simul vel sigillatim prout ei placuerit; quos eorum singuli de Generatione domûs suæ, ad hoc magis idoneos esse cognoverint vel crediderint, ut magis idoneos assumat ad definitionis Officium exercendum, eosque Definitores cum quatuor primis Abbatibus nominabit & in eo die & ea forma, prout in Ordinatione fœlicis recordationis Domini Clementis Papæ IV. pleniùs continetur; hoc adjuncto quòd Notarii Definitorum jurabunt stando in animas suas sicut Definitores; quòd Officium sibi injunctum fideliter exequentur. Quod juramentum etiam Notarius Capituli, priusquàm notet aliquid, præstare teneatur. De literis verò missis Capitulo Generali legendis, & de Iudicibus datis à Capitulo, & de Statutis & clamoribus notandis; & eleemosynis recipiendis, prout continetur in eadem Ordinatione, totaliter observetur: sed & illa Ordinatio singulis annis legatur prima die Capituli in ultima sessione, si potuerit fieri competenter.

Omnes etiam Abbates in Capitulo Generali constituti apud Cistercium cucullas albas deferant, ut in actu & habitu sint conformes. Nulla quoque persona Ordinis tempore Generalis Capituli Portam Cistercii causa merces emendi, exire præsumat. Conversi verò Cistercii unâ cum aliis intersint Capitulo illa die qua tenetur Conversis Capitulum Generale, exceptis illis quos Cellerarius duxerit reti-

nendos. Monachi verò die Sanctæ *Crucis* post absolutionem solennem Defunctorum, dicto *Adjutorium nostrum in nomine Domini*, mox de Capitulo exibunt.

Nemo clamorem vel literas à sæculari quolibet contra aliquem Ordinis nostri ad Capitulum deferat vel deferri procuret. Monachi, Conversi, Moniales contra suos Abbates & Abbatissas Generale Capitulum, vel quoscunque potentes seu Patres Abbates aut Superiores adeuntes, seu literas talibus diffamatorias mittentes seu mitti procurantes carceri mancipentur. Quilibet Abbas si tales invenerit, teneatur eos capere vel capi facere, & in carcere retinere ad propriorum Abbatum expensas; Portantes autem vel mittentes ad ipsum Capitulum vel prædictos Superiores, literas seu libellos infamiam continentes, suppressis infamantium nominibus excommunicationis sententiam à dicto Capitulo latam se noverint incurrisse. Nec de cætero aliqui habeant literas quæstuosas nisi super hoc veniam petant à Capitulo Generali, nec hujusmodi literæ per Monachi, Monialis, vel Conversi manus, per civitates, castra, villas seu Ecclesias deportentur. Transgressores graviter puniantur.

Si qua verò Abbatia in illo anno per Patrem Abbatem vel per alium loco ejus non fuerit visitata, Abbas ejusdem domûs ei qui præsidet Capitulo, hoc notificet id communiter requirenti. Ille verò qui taliter visitare omiserit, tribus diebus, uno eorum in pane & aqua, pœnitentiam peragat levis culpæ.

Quæratur etiam si quis deest Abbatum, & literæ excusatoriæ eorum qui venire non potuerunt, recipiantur à duobus Abbatibus ad hoc annuatim ab Abbate Cistercii in prima Sessione circa hæc specialiter deputatis, qui dictas literas examinent, & conscribant in rotulo nomina singulorum cum causis excusatoriis, & scriptum rotulum Definitoribus, cùm primùm sederint, repræsentent. An. 1270



CAPUT VII.

Quod singuli, prædicti Capituli Generalis Definitiones, secum auferre debeant ter ad minùs per annum in suis Capitulis cum Charta visitationis legendas; & de Orationibus pro Domino Papa, Cardinalibus, Imperatore, & quibusdam Regibus, Principibus & Prælatis per Ordinem universum injungendis.

ABBATES Ordinis universi Definitiones Capituli Generalis habere satagant, quas in reditu suo pridie quàm ingrediantur Capitulum suum, vel quàm citiùs eas habere potuerint, & ter ad minùs per annum cum Charta Visitationis in suis Capitulis faciant recitari; Quarum principium uniformiter ab omnibus conscribatur, scilicet,
An. 1263. *Anno Domini, &c. statuta sunt hæc apud Cistercium in Capitulo Generali.* Quas etiam Visitatores, visitationis tempore sibi faciant præsentari; & quemcunque Abbatem mandati hujus invenerint transgressorem, pœnam levis culpæ, tribus diebus uno eorum in pane & aqua, illi denuntient peragere à Capitulo præfinitam. Similem pœnam sustineant Abbates quibus à Generali Capitulo aliquid committitur, nisi sequenti anno per se vel per alios quid actum fuerit studeant nuntiare; & nihilominùs quadraginta diebus continuis à stallo Abbatis in domibus propriis sint exclusi.

Annis singulis quinta die Capituli Generalis ante egressum Abbatum, fiat commemoratio Domini Papæ, Cardinalium, D. Imperatoris & Regis Franciæ, in cujus regno fundata est Abbatia Cisterciensis; Regis quoque Anglorum qui suam Eleemosynam singulis annis Capitulo assignavit; Regum etiam Arragoniæ & Castellæ & Ducis Burgundiæ, & pro eis aliqua specialis oratio injungatur. Pro Domino etiam Abbate Cluniacensi cum suo Ordine universo, & pro Domino Abbate de sancto Albano in Anglia & cæteris universis tam vivis quàm defunctis qui in rotulo Cisterciensi sunt conscripti.

Cæterùm

Cæterùm, Abbates & aliæ personæ Ordinis in villa de Divione per vicos vel plateas sine certa necessitate non incedant, sed honestè per omnia se habeant tunc temporis & maturè.



DISTINCTIO VII.

De Causis Ordinis & Correctione culparum.

CAPUT PRIMUM.

De potestate Iudicum & modo procedendi.

IN causis Ordinis, strepitu sæcularis judicii relegato, simplicitas Ordinis solita observetur, (nisi fortè Iudex ad informationem sui, & ad causæ meritum declarandum allegationes juris sive consilia duxerit requirenda) sed secundùm conscientiæ puritatem & rationes hinc & inde propositas, bona fide & providè procedatur. Iudices etiam quibus causæ committuntur, ut infra annum terminentur, modis omnibus elaborent; sin aliàs, causam sequenti anno denuntient Capitulo Generali. Iudices à Capitulo dati potestatem habeant coërcendi, tam in Capite quàm in membris, præter Abbatis depositionem & Generale Ecclesiæ interdictum. Iurisdictio verò eorum non expirat, donec finem querelæ debitum sortiantur. Quando verò tribus Iudicibus fit aliqua commissio, si omnes nequiverint interesse, duo nihilominùs exequantur, tertio se legitimè excusante, & quod statuerint, faciant firmiter observari.

Per quascunque etiam literas Capituli Generalis, à personis quibuscunque, quæ de Ordine nostro non fuerint, impetratas coram Iudicibus Ordinis ultra duas dietas remotis ab illis Abbatiis quæ impetuntur, personæ Ordinis non possunt trahi seu conveniri, nisi de hac constitutione expressam fecerint mentionem; nec impetentibus teneantur respondere de justitia, nisi illi de standando judicio sive de juri parendo coram dictis Iudicibus præstiterint cautionem, & in ipsis literis ponatur, *usuris cessantibus*, vel intelligatur, etiamsi appositum non fuerit in eisdem. Nullus

quoque de Ordine Abbas vel Monachus sub pœna suspensionis, aut Conversus sub pœna panis & aquæ omni sextâ feriâ, & habitus auferendi usque ad Capitulum Generale super causis motis in Ordine vel movendis, literas sæcularium audeat impetrare, vel processum Iudicis aliquatenùs impedire.

Quotiescunque verò commissio alicui facta fuerit contrà personas Ordinis in Capitulo Generali; in ipsa commissione certi articuli exprimantur in ipso Capitulo anteà propositi, super quibus inquirendum fuerit; & de his articulis fiat copia tam partibus quàm Inquisitoribus à Capitulo constitutis, & anno sequenti dicti articuli repræsententur in eodem Capitulo, ut ibi liquidò pateat si processerint secundùm formam sibi traditam. Nec aliquæ literæ nomine Capituli Generalis sigillentur, nisi priùs coram Definitoribus recitentur, exceptis quæstuosis & orationum suffragiis, idque pro personis duntaxat honorabilibus & honestis.

Pendente inquisitione contra aliquem super certis articulis, super aliis nihilominùs penes Patres Abbates plena jurisdictio remanebit; ita tamen quòd si medio tempore Pater Abbas receperit ex causa alia filii sui cessionem, ipsam causam exponere sequenti Capitulo Generali tenebitur. Ad vocem verò unius, nunquam fiat contra aliquem inquisitio; nisi ille ad *Talionem* se duxerit obligandum. Nulla quoque inquisitio ad requisitionem Monachorum contra Abbatem à Generali Capitulo de cætero committatur, nisi priùs Patri Abbati suggesserint, & eidem Capitulo constet satis de negligentia Patris Abbatis & defectu. Vicini quoque Abbates zelo Ordinis, si Pater Abbas vel Visitator ea quæ filius malè agit, dissimulaverit vel non correxerit: proponant Capitulo Generali; ubi tam Pater quàm filius, secundùm quod meruerint, corrigantur & etiam puniantur.

Ita Cap. Gen. an. D. 1261.

Quoties verò collectæ fiunt in Ordine, Patres Abbates, inter domos quæ ratione filiationis ad eos spectant, summam sibi impositam secundùm vires facultatum ac redditùum, teste conscientiâ, æquè dividant, nihil superaddentes, nihil præter expensas vel usuras, si fieri oportuerit, ob hanc causam ad usus proprios retinentes, aliqui-

bus tamen filiis Abbatibus ad distributionem hujusmodi convocatis; ita tamen quòd & ipsi Patres Abbates ad solvendum pro rata sua secundùm legem superiùs positam suis filiis sint astricti; & coram ipsis computari de omnibus teneantur; cùm dicti Patres possint & debeant compellere filios suos ad solvendum auctoritate Capituli Generalis. Quoties autem fit contributio in Ordine quacunque de causa, Receptores ipsius coram Domno Cistercii & quatuor primis Definitoribus vel deputatis ab ipsis tempore Capituli, in Cistercio vel in Divione tenentur reddere rationem.

Si verò auctoritate Capituli Generalis dentur Iudices alicui Abbati contra Abbatem super querimonia aliqua; pars quælibet usque ad finem litis ad expensas dictorum Iudicum tenebitur; & nihilominùs eâ terminatâ pars succumbens parti prævalenti expensas refundere teneatur. Si autem contra aliquos dati fuerint Iudices à Capitulo memorato, illi contra quos dati fuerint teneantur totaliter ad expensas. Quæcunque verò personæ Ordinis accusationes seu proclamationes suas per duos annos continuos postquàm præsentes in Monasterio fuerint, scienter reservaverint; sciant omnem accusandi vel proclamandi coram quibuscunque Iudicibus Ordinis super illas de cætero sibi adimi facultatem, salva tamen inquisitione Patrum Abbatum. Et hoc ipsum statuitur de Abbatibus exeuntibus à Capitulo Generali. Nullus quoque Abbas de cætero petat Iudices super possessionibus, quas alii per quadraginta annos pacificè possederunt.

CAPUT II.

De Impetrantibus & Appellantibus contra communia Ordinis Instituta.

SI quis Privilegia, Indulgentias vel Literas quascunque contra communia Ordinis Instituta impetraverit, vel quoquomodo obtentas retinere vel eis uti præsumpserit; excommunicationis sententiam ab Ordine latam *ipso facto* se noverit incurrisse; Abbas verò super præmissis convictus *ipso facto* se noverit depositum & excommunicatum. Quæcunque verò persona vel quicunque Conventus Ordinis *Ita Cap. Gen. an. D. 1260.*

nostri ad Capituli vel Patris audientiam contra Ordinis Instituta, seu contra obedientiam vel correctionem Patris ausus fuerit appellare verbo vel facto, vel alio modo: sciat se statim in excommunicationis sententiam *ipso facto* incidisse; hoc adjuncto quòd si Abbas fuerit, sciat se nihilominùs depositum: si Monachus vel Conversus, pœnam Conspiratorum sustineat usque ad nutum Capituli Generalis. Huic pœnæ Conspiratorum subjaceant omnes illi, qui spreto judicio quotidiani Capituli Præsidentium, obstinato animo Patrum Abbatum judicium voluerint expectare.

Quicunque verò allegaverint aliquas consuetudines contra communia Ordinis Instituta, volentes eis pertinaciter adhærere; si Abbas fuerit, per viginti dies sit in Abbatia propria extra stallum Abbatis, & omni sextâ feriâ sit in pane & aqua usque ad sequens Capitulum Generale super hoc veniam petiturus & graviter puniendus: si autem Monachus fuerit vel Conversus, in pœna Conspiratorum à domo propria emittatur.

Quicunque etiam Literas impetraverit vel impetrari procuraverit, quarum auctoritate præter conscientiam Abbatis proprii suæ voluntatis arbitrio sibi eligat Confessarium, Abbati suo in instanti reddere teneatur, alioquin pro excommunicato habeatur, & nihilominùs careat impetratis, nisi hujusmodi Literas de expressa conscientia Summi Pontificis constiterit emanasse. Et hæc per omnia de Monialibus observentur. Quinimò Monachi & Conversi, qui saltem semel in anno Abbati proprio, si ejus copiam habuerint, fideliter & integrè negligunt confiteri; vinculis excommunicationis se noverint irretitos. Cui pœnæ se subjectos etiam agnoscant omnes illi, qui in fraudem aliis quàm Confessariis ab Ordine deputatis confiteri præsumunt; & præter hoc si deprehensi fuerint, priventur habitu regulari. Visitatores verò super hoc diligenter inquirant & faciant observari, & definitionem hanc cum forma visitationis in Capitulo recitari.

Si autem Apostatæ Ordinis Literas à Sede Apostolica, vel à Pœnitentiariis ejusdem impetraverint, ut in suis ordinibus postquàm ad Ordinem reversi fuerint, valeant ministrare, ipsis aliquatenùs non utantur: & qui jam impetraverint, careant impetratis.

Quando verò ſcandalum diſſenſionis ſeu quæcunque querelæ in Ordine oriuntur, nunquam extra Ordinem exeant, ſed intra Ordinem & per Ordinis perſonas ſapienter & diſcretè ac charitativè reducantur in Ordinis unitatem. Si quæ verò aliter terminari non poterunt, in Capitulo Generali proponantur: & quod inde per Capitulum fuerit ordinatum, irrefragabiliter teneatur.

CAPUT III.

De Caſibus in quibus diſpenſant Abbates, & à quibus abſolvere poſſunt ſuos ſubditos vel alienos tempore hoſpitalitatis.

ABBAS in his caſibus nullatenùs abſolvere vel diſpenſare præſumat ſine auctoritate Capituli Generalis, videlicet de *Simonia*, *homicidio*, *bigamia*, *falſificatione Literarum Domini Papæ*, *injectione manuum violentâ in Epiſcopum*, *in Abbatem vel Clericum ſæcularem*, *mutilatione membrorum* & de *enormi ſanguinis effuſione*.

In aliis caſibus poſſunt cum ſubditis ſuis diſpenſare, & eos abſolvere. Similiter ſi ex delegatione vel præcepto Capituli Generalis ſententiæ feruntur in aliquos, Abbates ſuos ſubditos abſolvant, & ipſi à Patribus ſuis Abbatibus abſolutionis beneficium obtineant, ſi ipſos contigerit in hujuſmodi ſententias incidere; cum ſatisfactione tamen vel emendatione priùs factâ, vel cautione præſtita de faciendâ pro offenſa vel contumacia, pro quibus ſententia lata fuerit in eoſdem. *Ita Cap. Gen. ann. D. 1263.*

Indulgetur etiam Abbatibus ut abſolvant hoſpites ad ſe miſſos ſicut proprios hoſpitalitatis tempore, in illis caſibus in quibus abſolvere conceſſum eſt Ordini; ita tamen ut quàm citiùs proprii Abbatis copiam habuerint, culpam ſuam eidem confiteri fideliter teneantur.



CAPUT IV.

De Regula inchoanda ; Libello Definitionum legendo ; de Anniversariis Abbatum ; & de Confessione.

IN Beatissimi Benedicti Abbatis Patris nostri solennitate annuatim in Capitulo Regula ipsius inchoetur, & si transponatur, ipsa die transpositionis debet inchoari.

Libellus autem Definitionum Capituli Generalis in singulis Capitulis Ordinis à Festo omnium Sanctorum usque ad Pascha, quolibet anno ex integro perlegatur; & quoties pronuntiatur in Capitulo festum Beatæ *Mariæ*, Videlicet Assumptionis, Nativitatis, Purificationis & Annuntiationis Dominicæ, & festum omnium Sanctorum inclinetur humiliter à Conventu.

Anniversaria Abbatum nostrorum sic in Capitulo pronuntientur. *Obiit Domnus N. Abbas*: & dicto à Præsidente, *Requiescat in pace*, & responso ab omnibus, *Amen*; subsequatur Lector & dicat, *Commemoratio omnium Fratrum*, &c. ut est moris, pro ipso autem celebrent qui celebrare poterunt ipsa die, vel quàm citiùs poterunt competenter.

Qui verò Responsorium, Lectionem, vel *Venite* aliis injungit, veniam petat in Capitulo, si tamen non fuerit extra Chorum. Monachus de Conventu evocatus ab Abbate vel Priore de Collatione vel de Choro, si benedictionem vel orationem in qua *Credo in Deum* non dicitur perdiderit, nullam inde veniam petat in Capitulo.

Abbas insuper & Monachi semel ad minùs in Hebdomada confiteantur, si copiam habuerint Confessarii. Conversi qui in Abbatiis morantur idem faciant; Qui verò in Grangiis sunt, flexis genibus confessionem suam humiliter peragant, nisi forsan aliquando stare debeant, sicut in antiquis usibus, ubi de Capitulo & Confessione agitur, pleniùs est notatum.

Libri Usuum cap. 70.

CAPUT V.

De pœna levis culpæ, & de pœna iis infligenda qui vel dant vel recipiunt aliquid inconsulto Abbate, aut præscriptas silentii leges violant, aut Patribus Abbatibus contra proprios Abbates scribunt, aut rebelles de Capitulo exeunt.

FRATRES qui in levi culpa sunt, de labore remaneant propter satisfactionem; & dum satisfaciunt, toto corpore prosternantur ante gradum Presbyterii à *Kyrie eleison* usque dum respondeatur in Choro *Deo gratias*, diebus scilicet quibus Conventus prosternitur super formas: cæteris enim diebus stantes incurvantur. Extra Refectorium ubi Abbati visum fuerit secundùm Regulam comedant, nec post refectionem Servitorum cum aliis eant ad *Biberes*; sed neque illi qui pro mensæ versu tertiò perdito in pœnitentia sunt, sed post alios in Refectorium potatum eant. Prior verò vel Subprior, si in levi culpa sunt, officia sua in Ecclesia cantando vel legendo vel in benedictionibus dandis minimè exequantur. *Reg. S. Ben. cap. 70.*

De Donis verò, munusculis, Literis vel Eulogiis, nec dandis nec recipiendis à quacunque persona sine licentia Abbatis servetur sicut in Regula continetur. Transgressores ad minùs in Capitulo verberentur, aut prout viderit Abbas modo delicti pœnitentiæ congruere quantitatem. *Reg. S. Ben. cap. 54.*

Priores, Cellerarii & omnes Monachi & Conversi ad mensam cujuslibet teneant silentium, nisi fortè in via constituti, si in mensa fuerint sæculares, qui signa non intelligant, quibus pro pane, pro sale, pro aqua & hujusmodi necessariis poterunt rara & brevia verba loqui. In mensa quoque Regum & Episcoporum moderatè loqui poterunt, de licentia eorundem. Magistris etiam in Theologia pro reverentia statûs sui in mensa loqui licet.

Qui verò de silentio scienter intus vel foris rupto se recognoverit vel culpabilis inventus fuerit, uno die sit in pane & aqua, & in Capitulo verberetur. Qui verò passim

& ex consuetudine fregerint silentium, si sæpiùs correpti non emendaverint, omni sextâ feriâ sint in pane & aqua usque ad congruam emendationem, & ad nutum Abbatis ultimi omnium habeantur.

Studeant insuper Abbates, Monachi & Conversi, ut quando ad colloquium conveniunt, ipsorum colloquia gravitatem redoleant, & salutem respiciant animarum. Quicunque verò contra formam Ordinis præscriptam fecerint, aut fieri scienter permiserint: prout meruerint districtiùs puniantur.

Illi verò qui se faciunt incidi vel abscindi in domibus propriis pro calculo vel ruptura, usque ad nutum Visitatoris sint in pane & aqua omni sextâ feriâ, & ultimi omnium habeantur.

Si verò Monachus vel Conversus de Capitulo contumaciter exierit, & soluto Capitulo antequàm sit extra portam humiliter pœnituerit: in aliqua domo extra terminos in regulari habitu teneatur, sequenti Capitulo in ultimo gradu recipiendus, & restituendus ad Abbatis proprii voluntatem.

Nulli etiam Monacho vel Converso liceat Patri Abbati vel alteri personæ contrà Abbatem suum literas dirigere, sed si quid in Abbatia vel Abbate fuerit corrigendum, & Abbas id ad monitionem seniorum corrigere noluerit, Visitatori reservetur. Quòd si quis transgressus fuerit, novissimus erit omnium per annum, & omni sextâ feriâ nihilominùs sit in pane & aqua, & in Capitulo toties verberetur.

CAPUT VI.

De pœna gravis culpæ; de excommunicatione contra certas Ordinis personas singulis annis in Dominica Palmarum ferenda; & de Carceribus.

CUM aliquis pœnæ gravis culpæ subditur, accipiat in ipso judicio & Capitulo disciplinam; deinde injunctâ eidem pœnitentiâ gravioris culpæ ponat statim Caputium in capite, exiens de Capitulo in locum quem ei competere

petere viderit Abbas: deputeturque ei senex discretus ad solatium, qui eum consoletur & provocet ad humilitatem, ne ampliori tristitia absorbeatur, & sicut dicit Regula; *oretur pro eo ab omnibus*, injungaturque pro eo in Capitulo oratio specialis. Debet autem Abbas attendere & corporis valetudinem, & etiam culpæ modum; nam secundùm hoc debet extenuari pœnitentia vel gravari. Refectionem solus percipiat, mensurâ & horâ quam præviderit ei Abbas competere, sicut in Regula continetur. Vasa autem quibus utitur, aut frangantur, aut pauperibus erogentur. Ad fores Oratorii prostratus jaceat in terra dum completur opus Dei; non habens caputium in capite, quod tamen habere debet more solito in eundo. Quoties autem Missa vel Officium Defunctorum, sine intervallo sequitur horam canonicam, non prosternatur donec Conventus exeat de Ecclesia; omnes tamen non coguntur exire propter eum, sed qui exierint, per ante eum exeant transeuntes.

Reg. S. Bened. cap. 13.

Cùm verò in Capitulo recipiendus fuerit ad jussionem Abbatis, usque ad ingressum Capituli habeat caputium in capite sicut priùs; quo deposito, veniat ante Abbatem, ante cujus pedes super genua & super articulos manuum se prosternat; deinde ante Priorem; & sic percurrens Chorum Prioris, si Prior affuerit vel Abbas aliquis loco ejus; deinde per Chorum Abbatis eo modo se prosternat ante pedes singulorum, illis non inclinantibus aut ipsum adjuvantibus, sed sedentibus quietè. Quoties verò per ante Abbatem transierit, inclinet se; & sic veniens stet ante analogium, non petens veniam, donec ad Abbatis imperium eat sessum: nec ponatur ea die in ordine suo, nec usque ad jussionem Abbatis aliquod Officium exequatur. Sed dum completur opus Dei tam in Ecclesia quàm in labore, prosternat se in terram, in loco in quo stat, donec jussus ab Abbate ab hujusmodi satisfactione conquiescat.

Conspiratores verò, incendiarii, fures & proprietarii, quos, *ipso facto* quo hujusmodi criminibus implicantur, Generale Capitulum decernit in excommunicationis laqueos incidisse, singulis annis in Ramis palmarum post habitum sermonem in omnibus Capitulis Ordinis, ab eo qui præest Capitulo cum stolâ & candelâ accensâ & Baculo

pastorali, si Abbas fuerit, auctoritate Dei omnipotentis Patris & Filii & Spiritus sancti, & Beatæ Mariæ, & omnium Sanctorum & totius Ordinis excommunicati denuntientur.

Omnes quoque personæ Ordinis, quæ processum Visitatorum suorum aut Iudicum à Generali Capitulo concessorum, in visitationibus, electionibus, ordinationibus correctionibus seu executionibus impedierint, vel ipsis Visitatoribus aut Patribus Abbatibus procaciter & protervè se opposuerint, aut ista facientibus consenserint per se vel per alios, literas, preces, minas, insidias vel auxilia potentum & sæcularium procurando; insuper impedientes libertatem Ordinis quoquo modo, eodem die per Ordinem universum excommunicationis sententia percellantur, & in denuntiatione sententiarum prædictarum cum prædictis specialiter & expressè nominentur; & nihilominùs quicunque super hoc confessus aut convictus fuerit, pœnam Conspiratorum sustineat auctoritate Capituli Generalis. Abbas verò qui modo consimili culpabilis inventus fuerit, absque retractatione aliqua deponatur. Qui verò in Monachum vel Conversum manus injecerit, quia *ipso facto* excommunicatus est, ab omnibus cautiùs evitetur, donec ab Abbate vel ab alio cui commiserit ipse vices suas, absolvatur. Hujusmodi percussores vel manuum injectores secundùm Abbatis arbitrium decernuntur à Generali Capitulo carceri debere mancipari. Officiales autem talium defensores seu fautores ab officiis deponi, nec ulteriùs tam illos quàm istos ad officium aliquod promoveri.

Qui autem in Abbatem simili modo manus injecerit, ipsum detinuerit, detineri mandaverit seu procuraverit, vel expulerit, aut ingressum vel regressum negaverit: sententiæ Conspiratorum per omnia subjacebit, non-nisi à Summo Pontifice super injectione manuum & detentione absolvendus, & nihilominùs carceri mancipetur. Qui verò Abbati verba injuriosa vel minas intulerit, pœnæ Conspiratorum decernitur subjacere; & hæ supradictæ vindictæ injuriarum Abbatibus seu Superioribus illatarum, extenduntur ad Ordinis Moniales.

In singulis quoque Abbatiis Ordinis tam Monachorum quàm Monialium fortes ac firmi carceres habeantur, ut

ad arbitrium Abbatis recludantur & detineantur in illis secundùm quod sua exigunt crimina, criminosi. Criminosos autem hîc vocamus, indicibili vitio laborantes, fures, incendiarios, falsarios, homicidas.

Quicunque, culpis suis exigentibus, per Superiorum suorum sententiam secundùm Statuta Ordinis privati sunt habitu regulari, & qui pro furto carceri fuerint mancipati, & qui de conspiratione, incendio, homicidio, falsificatione literarum, solenni perjurio & sortilegio publicè confessi, vel legitimè convicti fuerint: tanquam infames & criminosi ad actus legitimos nullatenùs admittantur. Actus autem legitimos dicimus; admitti ad accusationem & testificationem: elegire & eligi: in Priorem, Subpriorem, Confessarium aut Cellerarium promoveri. Notandum tamen quòd sola pœnarum inflictio non infamat, nisi crimen vel excessus tantus præcesserit, ut ex natura facti infamiam secum trahat.

CAPVT VII.

Qualiter Homicidæ, Percussores, Sortilegi, Fures, & Proprietarii Ordinis puniantur.

SI quis de Ordine, instigante Diabolo, homicidium perpetraverit, si personam Ordinis nostri occiderit, aut occidi procuraverit vel consenserit: usque ad mortem sub arctissima carceris custodia teneatur. Si verò personam sæcularem vel alterius Ordinis interfecerit, & sine periculo vel gravi scandalo in domo propria detineri non potuerit: ad domum aliam emittatur, in qua similiter pœnam perpetui carceris cum expensis domûs propriæ sortiatur. Si verò aliquis mutilaverit, aut alio gravi modo quamcunque personam læserit; tam gravi pœna carceris aut alia puniatur, quòd cæteris transeat in terrorem. Qui verò sine proprii Abbatis licentia ex rationabili causa & manifesta necessitate obtentâ, arma ferre, vel penes se malitiosè tenere præsumpserit: ad Abbatis arbitrium graviter puniatur. Qui autem minatur homicidium vel incendium, nisi in brevi resipuerit, incarceretur vel ad domum remotam emittatur, non-nisi per Generale Capitulum revocandus.

Qui verò convictus aut publicè confessus fuerit quòd sortilegium fecerit ; si Abbas fuerit, deponatur : si Conversus vel Monachus, septem diebus, duobus ipsorum in pane & aqua faciat levem culpam, & per annum ultimus habeatur : nec nisi de licentia Capituli Generalis deinceps promoveri possit Monachus ad aliquas Ordinis dignitates.

Ita Cap. Gen. an. 1211. Monachus vel Conversus in furto vel proprietate deprehensus, per annum ad minùs ultimus omnium habeatur, & quantum Abbati visum fuerit, omni sextâ feriâ per annum sit in pane & qua, & quadraginta diebus grossiori tantùm pane vescatur. Monachus autem totidem diebus vapulet in Capitulo Monachorum ; Conversus verò ad terram comedat, & illis quadraginta diebus in Claustro sedeat, & operetur in silentio quod sibi fuerit imperatum ; nec loquatur nisi cum Abbate vel cum eo qui Conventum tenet, & cum Magistro Conversorum & de Confessione tantùm. Omnibus horis canonicis intersit, omnibusque Capitulis quibus per annum intererit verberetur. Quòd si furtum vel proprietas in re vili & modica fuerit, pœna erit in discretione Abbatis. Si autem furtum valorem viginti quinque solidorum turonensium excesserit ; Monacho gravioris culpæ pœnitentia cum pœna pro furto superiùs decreta infligatur : Conversus verò ad familiaris habitum reducatur, & per annum grossiori pane vescatur. Quòd si postmodùm in tali statu tale furtum commiserit, carceri mancipetur. Nulla tamen Ordinis nostri persona pro furto de cætero emittatur, sed, ut superiùs dictum est, puniatur.

CAPUT VIII.

De Detractoribus, libellum infamiæ scribentibus, Conspiratoribus & deprehensis in contagio carnis.

QVICVNQVE personæ Ordinis nostri malitiosè detraxerit, vel excessum jam emendatum alteri Monacho vel Converso improperaverit ; si Monachus super hoc convictus fuerit, tribus diebus vapulet in Capitulo, & per mensem ultimus omnium habeatur : si verò Con-

versus, sex diebus continuis ad terram comedat, pane & aquâ & uno pulmento contentus, ac præterea tribus diebus disciplinetur in Capitulo Conversorum. Qui verò contra Superiorem suum prædicto modo peccaverit, graviùs puniatur secundùm quod in gradum peccaverit altiorem; Moniales verò vel Conversæ in casu simili pœnam sustineant Monachorum. Si quis alicui crimen imposuerit quod probare non possit, eandem pœnam sustineat quam meruisset accusatus, si impositum sibi crimen potuisset lucidè comprobari. Et ne alicui patrocinium subministret fraus & dolus: quicunque alterius criminis particeps, non vocatus in testimonium aut aliter compulsus, quasi retorquens in alterum crimen illud publicè confitetur: pro convictò habeatur, & tanquam auctor sceleris ex ore proprio judicatus, suam allegans turpitudinem, puniatur. Et licet omnia prædicta quoad omnes sint summoperè conservanda: circa accusatores tamen Abbatum (qui sunt hodie quasi signum positum ad sagittam) diligentissimè & melius solito observentur, & ut observari faciant districtissimè præcipitur Visitatoribus universis.

Qui verò libellum infamiæ scripserit, receperit vel retinuerit, in medium projecerit aut projici procuraverit; vel per quamcunque domum transiens, & à quocunque audiens crimina cujuscunque scribere vel scripta recipere, sive secum portare malitiosè præsumpserit: tam scribens quàm recipiens, tradens, portans vel retinens, seu prædicta fieri quoquo modo procurans, excommunicationi subdatur; & si super his deprehensus fuerit vel convictus, à domo propria eliminetur, non-nisi per Generale Capitulum reversurus.

Si verò in aliqua domorum nostrarum conspirationem (quod absit) oriri contigerit: Abbas ad quem spectat domus illa, illos quos tanti mali auctores invenerit seu magis culpabiles, à domo propria ejiciat sine spe reversionis, usque ad nutum Capituli Generalis; & in domibus aliis ad quas missi fuerint, in gravi culpa saltem tribus diebus recipiantur. Processu verò temporis Abbas concedere poterit, ut qui Sacerdotes fuerint, sint in Oratorio ultimi Sacerdotum. In qualibet hebdomada semel accipiant disciplinam, omnique sextâ feriâ sint in pane & aqua usque ad nutum


Capituli Generalis, nisi grandis festivitas aut evidens necessitas cum eis exigat dispensandum. Non equitent in futurum, nec suos Ordines exequantur, nec communicent primo anno, nisi in Pascha vel nisi fuerint in extremis. Expleto primo anno communicent qui voluerint, tamen Sacerdotes non-nisi de licentia Capituli Generalis celebrabunt, nec aliquis eisdem in colloquio seu consortio conjungatur. Qui auctoribus hujusmodi malitiæ se immiscuerint, & citiùs resipiscentes emendationi se obtulerint: in ipsa domo sint in culpa gravi per tres dies, & semel in Hebdomada in Capitulo vapulent, & omni sextâ feriâ sint in pane & aqua usque ad nutum Patris Abbatis, & ultimi omnium habeantur. Abbates insuper qui pœnas prædictas Conspiratoribus debitas minuere præsumpserint vel infligere neglexerint, omni sextâ feriâ sint in pane & aqua usque ad Capitulum Generale, super hoc in ipso Capitulo veniam petituri. Patres verò Abbates seu Visitatores qui aliquem Abbatem remissum invenerint in præmissis, auctoritate dicti Capituli pœnitentiam proximè dictam eidem injungere non omittant. Est autem apud nos Conspiratio specialiter *contra Ordinis disciplinam & Majorum Instituta confœderatio.*

Nullus de Ordine pro carnali contagio ullatenùs emittatur, sed quicunque in eo deprehensus fuerit vel convictus, si Monachus fuerit, ablato ei habitu, ultimus omnium etiam Novitiorum ubique habeatur, & teneatur ad omnes observantias regulares. Scapulare curtum cum cappa deferat, & post triennium in tali habitu sacrorum Ordinum officium poterit exercere. Si verò Conversus fuerit, ablato ei habitu, cappam habeat decurtatam, & grossiori pane vescatur, & omnium ultimus habeatur, & omnibus Conversorum Capitulis vapulet per totum triennium supradictum. Quicunque etiam Monachus vel Conversus de Monasterio, Grangiis, vel Cellariis Ordinis inordinatè de nocte exiisse convictus fuerit: tanquam deprehensus in carnali contagio puniatur sicut superiùs est expressum.

Ad detestationem & abolitionem indicibilis hujus vitii, propter quod venit in filios diffidentiæ ira Dei, statuitur ut si aliqua persona Ordinis inventa fuerit in hoc pessimum

vitium incidisse, perpetuo carceri mancipetur. De signis autem turpibus & notabilibus hujus vitii si quis culpabilis inventus fuerit, seorsum ab aliis in vinculis absque rasura barbæ & sine regulari habitu teneatur; si tamen super dictis signis per fide dignos testes, aut per infamiam culpabilis legitimè fuerit comprobatus. Qui verò pro hujusmodi vitio carceri sunt mancipati, in eodem sint carcerè usque ad terminum vitæ suæ.

Similiter si aliqui de Capellanis Monialium Monialem vel Conversam convictus fuerit carnaliter cognovisse; ablato ei habitu, ac si Monachus esset puniatur, & ab Ordine penitùs expellatur.



DISTINCTIO VIII.

De Visitationibus & Electionibus.

CAPUT PRIMUM.

De forma Visitationis.

IN facienda visitatione cautelam maximam & diligentiam Visitator adhibeat, ut fideliter & prudenter ad corrigendos excessus & conservationem pacis intendat: & quantùm poterit, salvâ Ordinis disciplinâ, animos Fratrum ad ampliorem reverentiam proprii Abbatis, & gratiam mutuæ in Christo dilectionis inducat. Provideat etiam Visitandus, ut secundùm formam Ordinis Visitatori obediat & devotus existat, & ad emendationem domûs suæ, quantùm poterit, tanquam Deo redditurus rationem intendat.

Igitur in Visitatoris adventu Abbas domûs illius, vel si ipsum abesse contigerit, Prior aut qui tenet locum ipsius; studiosè Fratres admoneat, roget & præcipiat, ut fideliter ac fiducialiter, publicè vel privatim, prout meliùs intellexerint faciendum, quæ corrigenda noverint, suggerant & proponant. Caveat ne hoc impediat faciendum, vel cùm factum fuerit ægrè ferat. Caveat ne in præsentia Visitatoris vel post ejus discessum cuiquam Fratrum aliquam vindictam inferat, nec improperet, nec indignetur. Quin-

etiam si minus cautè minusve discretè fuerit quis locutus; benignâ facilitate ad consilium Visitatoris indulgeat. Ipsum enim Visitatorem talem fore convenit, ut non credat omni spiritui, sed causam quam nescierit, diligenter inquirat, cognitam rationabiliter corrigat zelo Ordinis & paternæ charitatis affectu.

Prohibeat etiam retractare quæ noverint dignè correcta, ne sibi suggerant incomperta, ne vanis suspicionibus turbent animos Patrum sive Fratrum suorum. Quòd si quis fecerit, dignè eum Visitator increpet & castiget. Prohibeat etiam ne quis Fratrum ea quæ cognoverit emendanda, quasi ad majus scandalum (quod nequissimum est) usque ad Visitatoris adventum differat & reservet; sed opportunis temporibus quæ contigerint, proclamentur & emendentur. Quòd si contra hanc formam egerit Visitator, per Superiorem Abbatem vel Abbates alios, ut meruerit, castigetur, sive etiam puniatur per Generale Capitulum. Similiter qui visitatur, nisi formam eandem studeat observare; coram Deo cognoscat se graviter culpabilem, & paternâ vel Capituli Generalis noverit animadversione plectendum.

Nullus Abbas hospes vel etiam Visitator, nisi pater domûs illius quam visitat fuerit, confessiones recipiat. Ipse etiam proprius Pater, si gravis est causa, ad proprium Abbatem domûs illius, eum qui confitetur remittere studeat: & debitâ fidelitate omnem adhibeat operam, diligentiam omnem exhibeat, ut proprio Abbati, sicut debet, revelet ille conscientiam suam.

Abbas Visitator nil in scriptum redigat, unde priùs non fuerit proclamatum in Capitulo, vel quod priùs non ostenderit visitato. *Cap. Gen. ann. 1206.*

Provideat autem Visitator, ut in Charta sua sigillo suo signata & à foris dependente, diligenter scribat quæ corrigenda & ordinanda statuerit; & dictam Chartam Cantori committat, sequenti anno in visitatione in Capitulo legendam. Et in Chartis visitationum nunquam aliquis, nisi Abbas fuerit, sigillum suum apponat vel appendat.

Si verò domus aliqua proprio Abbate caruerit, Prior & consilium domûs, de visitandis, non tamen sine aliquo Abbate, provideant filiabus. Instituendi verò Abbates vel destituendi aut cessionem recipiendi, per se vel per alios nullam se noverint habere potestatem; si tamen periculum sit in mora, recurrant ad consilium sequentis Capituli Generalis.

Abbas

Abbas quoque filius semel in anno per se vel per literas matrem suam visitet, nisi grandis locorum distantia hoc impedierit faciendum. Abbate verò domûs in Conventu suo existente, seu in quibusdam locis suis ipso cedente Abbatibus supervenientibus; omnes Abbates de Generatione sua debent ei cedere pari modo. Abbas etiam quilibet junior in Ordine, antiquiori suo ratione antiquitatis debet in omnibus cedere, prout continetur in Charta Charitatis; & prout in Ordine semper extitit observatum commissione aliqua nonobstante.

CAPVT II.

De Abbatibus & Monachis ad visitandum à Patribus Abbatibus destinatis.

PROVIDEANT Patres Abbates, ut viros discretos & zelum Ordinis habentes Visitatores mittant, qui tanquam forma gregis; præcipuè ea intendant quæ salutem respiciunt animarum & spectant ad Ordinis disciplinam; excutientes manus suas ab omni munere suspecto, nec quicquam recipiant nisi in certis necessitatibus. Quod cùm contigerit, tam dantes sub testimonio literarum, quàm recipientes sub juramento, quid & causam & quantitatem Patribus Abbatibus qui miserint eos, fideliter exponere teneantur.

Ipsi quoque Visitatores à Patribus Abbatibus missi; nullum deponent Abbatem ab officio suo, nisi venerint cum plenitudine potestatis; illius videlicet quam habet Pater Abbas in instituendo & destituendo, tam in Capite quàm in membris; quæ quidem plenitudo potestatis non ad Monachos (qui Visitatores vocari non debent) sed ad solos Abbates dignoscitur pertinere. Quanquam & ipsi Abbates in gravioribus omnia debent facere cum consilio eorundem.

Nunquam verò in Capitulis Ordinis tunc vel alio tempore quæstio de victualibus proponatur, aut de esu carnium mentio habeatur; quòd si quis facere præsumpserit; ipso die sit in pane & aqua, & in Capitulo verberetur.

Abbates etiam qui ad visitandum mittuntur, aut missis Monachis adjunguntur: renuntiare teneantur Patri Ab-

bati sub sigillis suis, domûs illius statum quæ fuerit visitata.

Nullus autem accusans Abbatem suum, vel ejus accusationem tempore visitationis vel aliàs procurans, succedat ei deposito vel cedenti, nisi ex verisimilibus indiciis probabiliter appareat, quòd ad hoc malitiosè minimè sit processum.

CAPUT III.

De Cessione & Depositione Abbatum.

ABBATES & Abbatissæ qui Abbatias suas relinquunt, in ordinem suum redeant & infra duos menses professionem faciant, si potest fieri competenter; quâ factâ, nihil præsumant sine licentia retinere. Eis autem qui benè rexerint spontè cedentibus, & in eadem domo remanentibus vel alibi se transferentibus, non tamen assumptis in Abbates vel Abbatissas: provideri potest per Patrem Abbatem ad vitam eorum in medietate de omnibus redditibus quos ultra statum Monasterii quem invenerint, eorum industria acquisivit; ita tamen quòd illa medietas quinquaginta libras Turonenses non excedat, nisi pro merito personarum Capitulum Generale aliter duxerit ordinandum. Hoc ipsum etiam conceditur illis qui domos suas pro mensura illa à debitis gravibus relevarunt, vel pecunias quibus tanti possent emi redditus in Bursaria vel in debitis, aut æquivalentes provisiones & garnisias dimiserunt. Illis autem Abbatibus vel Abbatissis quibus hujusmodi pensiones gratiosè conceduntur vel concessæ sunt certis terminis & locis persolvendæ, à modo integrè & sine strepitu satisfiat; alioquin Cellerarius & Bursarius à suis officiis deponantur, nec illa nec alia officia exequantur, donec prædictis fuerit satisfactum. Si verò ad aliam domum transire voluerint causâ profitendi, in equitaturis & expensis provideatur eis honorificè & benignè. Qui autem sic spontè cedit, remaneat in domo in qua Abbatisavit, vel ad domum unde extitit assumptus revertatur, nisi Abbatem invenerit qui professionem ejus recipiat sic cedentis.

Qui verò pro turpi & enormi crimine metu pœnæ cedunt vel deponuntur, aut in domibus suis in quibus abba-

tisaverunt de licentia Patris Abbatis remaneant; aut ad domos in quibus priùs professi fuerant revertantur; ita tamen quòd nullus ex eis promoveatur in Priorem, Subpriorem, Cellerarium vel Confessorem. Professionem autem infra duos menses, ut dictum est, faciant, si fieri potest competenter, alioquin pro fugitivis habeantur.

Patres quoque Abbates vel qui pro eis visitant, Abbatibus publicas pro suis excessibus pœnitentias non imponant; sed si viderint expedire, eis præcipiant, ut inde veniam petant in Capitulo Generali. Nec Abbas aliquis eodem anno visitet illum à quo fuerit visitatus.

Nullus Pater Abbas à filio suo super cessione sua juramentum requirat, aut literas obligatorias, nec Abbas filius hujusmodi literas dare teneatur: quicunque Pater Abbas aliter præsumpserit, gradum Altaris non ascendat, donec literas reddiderit, & filium Abbatem à præstito absolverit juramento, & præterea veniam petat in Capitulo Generali. Nulli quoque Patres Abbates seu Visitatores aliquem Abbatem citare præsumant ad aliam domum, nisi ad illam cui ipse præsidet Abbatiam, nec nisi ex causa ad Capitulum Generale.

Si verò sententia depositionis danda fuerit contra aliquem, & in sua domo processus fortè super hujusmodi tutè non potest fieri contra illum, ad tutiorem & propinquiorem domum citare poterunt, & in præsentem vel absentem, si citatus venire contempserit, procedere poterunt, prout viderint expedire. Depositionis verò sententia nunquam feratur in Abbatem quantumcunque contumacem, nisi in aliquo Ordinis Capitulo, præsente etiam aliquanto Abbatum numero; & hoc non nimis præcipitanter, nec sine magno & maturo consilio, prout in Charta Charitatis pleniùs continetur. Quicunque Pater Abbas contrarium attentaverit, in Capitulo Generali pro meritis recipiat *talionem*. Omnis quoque cessio Abbatis, nec-non depositio vel institutio extra Capitulum facta, irrita sit & inanis.

Chart. Charit. cap. 5.

Nullus Pater Abbas auctoritate propriâ jurisdictionem habeat vel exerceat, nisi in immediatis seu propriis filiabus, & hoc debito modo & secundùm Ordinis Instituta. De punitionibus autem pro culpis privatis publicè non

agendis, & de casibus pro quibus potest ad depositionem contra filium Pater Abbas procedere, & de causis depositionum, & de processibus super illis habitis in Capitulo Generali recitandis, & de malè depositis restituendis, & depositis iterùm eligendis; Domini Clementis Papæ laudabilis ordinatio totaliter observetur; ità quòd dilapidatio accipiatur in Ordine, quando aliqua domus nimiis debitis aggravatur, nisi causa rationabilis prætendatur.

Quilibet insuper Abbas tandiù pro vero Abbate semper habeatur ab omnibus, donec à Patre Abbate, vel ab alio vice ejus, seu à Capitulo Generali depositus fuerit nuntiatus: quocunque casu publico vel secreto in contrarium nonobstante. Tenebitur autem Pater Abbas vel cui commiserit vices suas, depositionis latam sententiam contra filium absque dilatione per se vel per literas suas intimare, prout est de depositionibus constitutum. Monachi vel Conversi qui contra statutum tam necessarium & honestum aliquid fecerint, pœnæ Conspiratorum subjaceant in instanti.

Quando verò profertur à Capitulo sententia sub hac vel simili forma verborum, *Abbas qui hoc vel illud fecerit deponatur, seu pro deposito habeatur*, hujusmodi pœnæ vel sententiæ executio non ad Patrem Abbatem, sed ad ipsum duntaxat Capitulum pertinet, nisi in hujusmodi definitione aliud exprimatur.

CAPUT IV.

De utroque statu Monasteriorum temporali & spirituali in Visitatione requirendo & ordinando.

PATER Abbas statum domûs filiæ suæ tam in temporalibus quàm in spiritualibus in sua Visitatione debet inquirere diligenter, & Visitatus sub pœna excommunicationis tenetur eidem dicere statum domûs suæ, & de omnibus receptis & expensis integrè & fideliter computare; nec alibi quàm in Bursaria pecunia vel deposita conserventur. Ob hoc ordinatum est à Capitulo quòd in quolibet Monasterio duo sint Bursarii, vel ad minùs unus, qui

omnium receptorum & expensarum teneantur reddere rationem.

Pater etiam Abbas numerum debet taxare personarum secundùm quod viderit filiæ suæ suppetere facultatem, & hoc de consilio Abbatis, & Conventûs totius, vel saltem sanioris partis illius; talisque taxatio tàm in taxato Monasterio quàm penes Patrem Abbatem in scriptura authentica reservetur. Numerum autem taxatum si Abbas filius augere præsumpserit, per Patrem Abbatem graviter puniatur.

Si verò intellexerit Pater Abbas filiam suam immensis debitis obligatam, auctoritate Capituli Generalis concedere poterit, ut mobilia vendantur de consilio domûs, donec debita persolvantur. Grangia verò, Cellarium vel membrum aliquod in quo hospitalitas consuevit personis Ordinis exhiberi, insuper census vel redditus perpetui seu possessiones utiles incorporatæ Ordini nullo modo vendantur vel distrahantur; nec etiam perpetuò obligentur sine petita & obtenta à Capitulo Generali licentia speciali. Quòd si aliqua immobilia Ordinis distrahi seu vendi oportuerit, in emptione talium oblato justo pretio personæ Ordinis quibuslibet aliis præferantur; & pretium inde habitum, in emptionem utilium redditiuum, vel solutionem debitorum gravium, non in alios usus convertantur; aliàs seu aliter factas immobilium distractiones nunquam intendit Capitulum ratas habere, vel aliquatenùs confirmare. Ipsi quoque Patres Abbates filios suos compellant auctoritate Capituli prædicti per suspensionem, excommunicationem vel aliam pœnam, ut infrà certum tempus creditoribus suis solvant debita quibus legitimè sunt adstricti.

Si quam verò pecuniæ quantitatem Abbates depositi, cedentes, vel decedentes reliquerint, nulli liceat eam expendere sine Patrum Abbatum & seniorum domûs consilio speciali, nisi pro possessionibus utilibus acquirendis; & de hoc cùm factum fuerit, fiat Patribus Abbatibus plena fides.

Si verò aliquis Abbas, ultrà quàm valeant per annum proventus domûs suæ, ipsam obligaverit; (nisi causa legitima possit se tueri) à Patre Abbate absque retractatione aliqua deponatur. Prior verò, Cellerarius, & Bursarius,

hujusmodi damnosæ obligationis conscii amoveantur ab officiis, & Abbati sic deposito non succedant.

Nullus etiam præsumat mutuum contrahere ad usuras; vel sigillum suum aliquatenùs obligare nisi de Patris Abbatis licentia speciali; & hoc tantùm fiat pro solvendis debitis jam contractis, vel propter negotiorum urgentium necessitatem, quam debet Abbas Patri Abbati ostendere opportuno tempore coram consilio domûs suæ.

Abbates igitur & Abbatissæ Monasteria sua magnis debitis non obligent, nec debita gravia contrahant sinè consensu majoris vel sanioris partis Conventûs sui; & hujusmodi obligationes & debita cum modis & causis ipsorum, Visitatoribus suis etiam nemine requirente fideliter intimare teneantur. Visitatores autem si invenerint illos minùs rationabiliter obligasse, Abbates citent ad Capitulum Generale; Abbatissas autem deponant seu aliàs puniant, secundùm quod viderint expedire.

Pendente verò dicta obligatione usurarum, in domo sic obligata, nulla persona recipiatur ad qualemcunque habitum & convictum. Patres Abbates seu Visitatores si quem invenerint contrarium attentasse, sic receptos ejiciant; & receptori pœnam hanc à Capitulo Generali inflictam peragere moneant; scilicet jejunium in pane & aqua omni sextâ feriâ usque ad sequens Capitulum Generale, in quo super hoc teneantur petere veniam ad ipsius arbitrium ampliùs puniendi.

CAPUT V.

De Electionibus & qualitate eligendorum.

Chart. Char. cap. 4. *Reg. S. Ben. cap. 2. & 64.*

IN electionibus faciendis forma quæ continetur in Charta Charitatis diligentiùs observetur; & quia juxta B. Benedicti Regulam tales debent eligi in Abbates, qui sciant unde proferant nova & vetera: districtè præcipitur tam Patribus Abbatibus quàm Electoribus universis, ut laborent efficaciter ad tales promovendos qui sint vitæ laudabilis & honestæ, ætatis legitimæ, competentis literaturæ, & de legitimo matrimonio procreati, nisi fuerit cum eis per Sedem Apostolicam dispensatum. Quòd si aliter fece-

rint, Patres Abbates indignos instituentes, semel à confirmatione Abbatis in illo Monasterio noverint se privatos, & ad proximum Superiorem potestatem confirmationis ejusmodi *eo ipso* auctoritate Capituli Generalis devolutam. Commissarii per sex menses à stallo Abbatis in propriis domibus sint exclusi. Electores verò sint in pane & aqua omni sextâ feriâ, & ultimi omnium per annum: & in electionibus singulis hæc definitio recitetur.

De Electione autem Abbatis in Cistercio facienda & confirmatione ejusdem, nec-non & de Electoribus & modo eligendi in aliis Abbatiis, id observetur totaliter quod D. Papa Clemens IV. duxit providè statuendum; ita tamen quòd de consilio seniorum domûs & maximè Confessariorum debent Electores à Priore, Subpriore & Cellerario nominari, & quòd electæ personæ idoneitas pertineat ad laudabilem conversationem, sufficientia verò ad scientiam literalem, ut sciat sufficienter proponere verbum Dei & loqui literaliter, & quod habeat experientiam temporalem, quorum omnium cognitio, approbatio vel reprobatio ad Patrem Abbatem dignoscitur pertinere. Nulla persona de mendicantibus Ordinibus de cætero ad nostrum Ordinem veniens promoveatur ad aliquas Ordinis dignitates, nisi de licentia Capituli Generalis. Sed nec illi qui bis ad sæculum post professionem redierint possunt promoveri. *Const. D. Clem. cap. 5.* *An 1276.* *An 1276.*

Quia verò in electionibus faciendis verbum quod conspirationem redolere videtur, nonnunquam proponitur in hunc modum; *Non accipiemus personam nisi de domo nostra, vel patria nostra:* Statuitur ut à tali verbo de cætero caveatur. Qui verò ei pertinaciter adhæserit, ab electione amoveatur, & loco illius alius subrogetur. [redacted]

Si verò Prior, Subprior & Cellerarius dissentiant in nominatione Electorum, statuitur ut Pater Abbas dissentientem ad consentiendum quantùm poterit inducat: Quòd si forsan consentire noluerit, ille ipse Pater Abbas sic defectum suppleat discordantis, quòd loco ipsius alium idoneum cum aliis duobus nominatorem seu ordinatorem constituat Electorum.

Quicunque verò Monachus vel Conversus pro Abbatis creatione, visitatione, correctione vel aliqua Monasterii

ordinatione Principes vel potentes adierit, & eorum auxilium, preces vel literas impetraverit, vel personas quascunque, quæ non sint de Ordine nostro ad hoc vocaverit vel vocari consenserit: sit *eo ipso* excommunicatus, & deprehensus à domo propria eliminetur sub pœna Conspiratorum, non-nisi per Generale Capitulum reversurus. Nec Patres Abbates seu illi quibus commiserint vices suas, quàndiù tales sic vocati præsentes fuerint, ibidem jam cœptum officium ulteriùs exequantur. Abbates etiam qui similia fecerint vel fieri consenserint, *eo ipso* pro depositis habeantur, quia in hoc Electorum & Ordinis impediunt libertatem. Illius verò pro quo (de ejus conscientia & assensu) petitionem, procurationem seu convocationem hujusmodi factam fuisse constiterit, irrita sit electio & perpetuò sit ineligibilis, nisi de licentia Capituli Generalis. Electoribus autem qui fautores in hujusmodi se præbuerint, ea vice potestate eligendi privatis, abstinentia in pane & aqua omni sextâ feriâ per annum integrum imponatur. Si verò contra aliquem de prædicta petitione, procuratione vel convocatione sit vehemens suspicio & fama apud bonos & honestos, ea vice nullatenùs eligatur; & qui suspectum eligere præsumpserit, ea vice eligendi potestate privetur.

Abbas autem qui ad superiorem domum suæ Generationis electus ascendere renuerit, deponatur. Nec alicujus Abbatis ad Capitulum Generale venientis fiat depositio vel recipiatur cessio, nisi priùs quàm iter acceperit, coram consilio domûs suæ, de hoc fecerit mentionem.

Quicunque verò Abbas vel Monachus nostri Ordinis electus in Episcopum fuerit, nunquam consentiat sine assensu Abbatis proprii & Domni Cisterciensis, nisi forsan à Domino Papa vel ejus Legato *à latere* legitimè compellatur; qui aliter fecerit, à societate Ordinis se noverit alienum. Simili pœnæ subjaceant qui Episcopatus^ ignotos, & ad tanti statûs sustentationem minùs sufficientes acceptant, & qui jam adepti sunt, si de titulis suis non satis informaverint Capitulum Generale; cùm tales ambitionis notâ non careant, disciplinam Ordinis evitantes. Nec aliqua persona Ordinis, si de ejus electione in Episcopum controversia fuerit, causam super hoc intret vel Iudicem adeat qualemcunque.

^ id est in partibus Infidelium.

Episcopis

Episcopis verò assumptis de Ordine nostro duorum Monachorum & duorum Conversorum, si tot indigeant, possunt solatia ministrari; dummodò nulli eorum cura vel negotium sæculare contra honestatem Ordinis imponatur. Propter Episcopos autem, si in Infirmitoriis nostris dormiant, servitores eorum & socii deputati poterunt ab horis canonicis remanere: Nullus tamen Monachorum cum Episcopo comedat, nisi juxta morem infirmorum se habeat ordinatè; nec cum ipso vel coram ipso loquatur post Completorium in Ecclesia decantatum.

Illi etiam qui cum Episcopis equitant, in horis canonicis juxta Regulam genua flectere non omittant.



DISTINCTIO IX.

De Officialibus.

CAPUT PRIMUM.

De sigillis Abbatum & Conventuum.

SIGILLA Abbatum cedentium vel decedentium tantâ diligentiâ custodiantur, ut nullum possit inde periculum evenire, prout Dominus Clemens Papa IV. de sigillo Abbatis Cistercii & aliorum Abbatum, vacantibus Monasteriis, duxit providè statuendum. Nec ullus Abbas sigillo suo permittat literas sigillari, quas priùs non viderit vel audierit; nec sigillum suum apponat vacuo pergameno seu papyro, nec plura quàm duo sigilla habeat, nec minùs. Unum scilicet minus cujus inscriptio talis sit. *Contrasigillum talis Abbatiæ*, quo utatur in minoribus negotiis, præcipuè in literis emissorum; & alterum majus quo utatur in majoribus. Et ne diversitas in sigillis nostris habeatur, sigilla majora sola effigie cum Baculo pastorali figurentur & sic inscribantur. *Sigillum Abbatis talis Abbatiæ.*

Conventus autem proprium habeat sigillum: sed Prior vel alii Officiales sigillum non habeant quod contineat nomen Abbatiæ; alioqui quandiù habuerint, sint in pane & aqua, & nunquam in Chartis suis ponant aliquid de

Ordine, vel his modis loquendi utantur. Hæc dicimus *in verbo Sacerdotis* aut *in verbo promittimus veritatis*.

Sed nec Abbates in sigillis suis seu literis *duarum Abbatiarum Abbates*, *seu Capellanos Domini Papæ vel ministros pauperum Christi* se nominent, sed tantùm *Abbates*. Nec aliquis præsumat dare sæculari personæ vel alterius Religionis literas *de conductu*, nisi pro negotiis Ordinis mittentur.

Per literas *de conductu* intellige literas Commendatitias.

AbbatesOrdinis literas suas super advocatiâ seu custodiâ Abbatiarum suarum vel locorum suorum; quibusvis nobilibus vel potentibus dare non audeant nec præsumant. Quicunque autem Abbates falsum sigillaverint scienter; vel per sigillum suum aliquid Generali Capitulo falsum nuntiaverint; deponantur.

Quicunque Monachus vel Conversus inventus fuerit falsificasse sigilla minora privatarum personarum in Ordine permissa, à Patre Abbate graviter puniatur, nec de cætero admittatur ad officium vel aliquas Ordinis dignitates, Ordinatione Domini Clementis Papæ IV. de majorum sigillorum falsariis in suo robore permanente.

CAPUT II.

De expensis Abbatum & Officialium.

PRÆCIPITUR, ut tam Abbates quàm alii Officiales expensas accipiant de communi; nec aliundè Monachus vel Conversus quicquam expensarum occasione qualibet recipere audeat vel præsumat; & in singulis computationibus quid & cur expenderint, exprimere non omittant.

Dona quæ fecerint Abbates, Priores, Cellerarii conscribantur, & in computationibus recitentur; nec Conventus à quacunque persona pro expensis vineas proprias, vina, pecuniam, animalia, redditus, seu proventus habere præsumant specialiter & peculiariter assignatos; cùm hoc non sit à proprietatis specie alienum, sed secundùm Regulæ formam ad Abbatis arbitrium omnia disponantur. Transgressores & rebelles sive Monachi sive Conversi, illi etiam qui datores dictorum bonorum, ut ipsa bona Conventui peculiariter ad aliquos usus illius speciales assignent,

sollicitaverint quoquo modo: proprietariorum sententiæ per omnia subjaceburt.

Quicunque Monachus vel Conversus officii sui causâ pecuniam habuerint, non-nisi modicam penes se, & hoc etiam de Abbatis licentia & assensu retineat & expendat. Cellerarius quoque & alii Officiales officia sua parciùs quàm poterunt exequantur, & de receptis & expensis Abbati proprio vel cui jusserit ipse, reddant in computationibus rationem.

Substantiam verò Monasterii in nummis vel in aliis rebus is cui jusserit Abbas custodiat diligenter; hoc proviso, quòd cum prædicto Custode sint aliqui conscii depositorum & eorum quæ habentur in Abbatia, prout Abbas duxerit ordinandum.

CAPUT III.

De Priore, Infirmario, Vestiario & Portario Claustri.

PRIORES Ordinis à Conventu nullatenùs eligantur, sed Abbates ipsos instituant cum consilio Fratrum timentium Deum, quos & quomodo ad hoc voluerint convocare; ita tamen quòd nec ad hoc nec ad alia communia Ordinis consilia Conversi ullatenùs admittantur, sed & non Professus nunquam promoveatur in Priorem, Subpriorem, Cellerarium vel etiam Confessorem.

Priores etiam Ordinis non habeant cappam vel calcaria vel aliquid proprium, neque de redditibus & Eleemosynis collatis ad faciendas pitantias Conventibus aliquatenùs se intromittant, sed ad nutum Abbatis omnia disponantur. Priores transgressores hujus sententiæ, deponantur; & tam ipsi Priores quàm Cellerarii & alii Officiales domorum, & magistri Grangiarum, & illi qui præsunt operariis, si contra præceptum vel prohibitionem proprii Abbatis quicquam dare præsumpserint, omni sextâ feriâ sint in pane & aqua usque ad nutum ejusdem Abbatis.

Magister autem Infirmitorii loqui poterit cum solatiis suis loco & modo quibus Abbas viderit expedire, servitores tamen coram eo inter se minimè loquantur, nihilque

accipiat Infirmarius nec ejus solatia de Victualibus, nisi per manum Cellerarii vel sociorum ejus, nisi Abbas aliter duxerit ordinandum; qui autem aliter fecerit, in pane & aquâ abstineat una die.

Monachus Vestiarius loqui poterit sutoribus, pellificibus & textoribus magistris, in officiis eorum tantùm & ubi vestes scinduntur & reponuntur. De communi labore, de Benedictione Collationis, de orationibus quæ fiunt ante horas canonicas (si Abbati visum fuerit) excusetur. Ad eundem pertinet providere de lectis hospitum, & vestibus exhibendis, Cucullam præparet ad Benedictionem Novitii, & afferat ad Ecclesiam, Cappam verò recipiat & reponat. Vestes Monachorum & cætera necessaria ubi visum fuerit distribuat, & calceamenta eorum & vestimenta, cùm opus fuerit, faciat reparari. Veruntamen extra septa Monasterii non egrediatur absque licentia speciali. Vestes verò quibus utuntur Monachi vel Conversi non sint tinctæ, nec nimis curtæ vel longæ; aut in aliquo curiosæ; sed tales quibus uti possint cum Ordinis honestate.

In Lectisterniis quoque nostris, Pulvinaribus, lenis sergiis, coopertoriis & hujusmodi, omnis notabilis curiositas, pretiositas & superfluitas interdicitur personis Ordinis universi: alioquin à ministris auferantur & in Vestiario reponantur.

Omnibus quoque personis Ordinis nostri interdicitur usus chyrotecarum de corio, exceptis cæmentariis, dum in suis artibus operantur. In sotularibus quoque, *Vendagiis*, fibulis, sellis equorum, *Staphis*, omnis superfluitas & notabilis curiositas evitetur.

Per *Vendagias* intellige Perones laneos. Et per *Staphas* subices Ephippiarios seu fulcra pedum equestria.

Ad ostium Claustri in majoribus Congregationibus duo Monachi vel Monachus & Conversus vicissim sedeant; ibidem horas Canonicas persolventes: qui non longè ab ostio Claustri in loco congruo inter se & cum sæcularibus loqui poterunt cùm necesse fuerit. In minoribus autem Congregationibus unum maturis moribus ad hoc sufficiat deputari, qui cùm necesse fuerit, à prima refectione abesse poterit.

Nulli Monacho liceat judicium sanguinis exercere. De furibus autem & cæteris malefactoribus nostris secundùm

formam Constitutionis Domini Bonifacii Papæ VIII. possumus conqueri justitiæ sæculari.

CAPUT IV.

De Studiis, Provisoribus & Studentibus.

PRO reverentia Domini Papæ & Cardinalium qui fuerunt studiorum nostrorum præcipui promotores; ordinatum est quòd studia Ordinis Parisius apud Oxoniam, in Monte-Pessulano, in Tholosa & Stella, & si quæ sunt alibi concessione Capituli Generalis constituta; per sollicitudinem eorum qui præsident eis, inviolabiliter perseverent: & quòd habeant in illis, prout ad quemlibet eorum spectat, jurisdictionem, provisionem, correctionem & absolutionem in studentes ibidem, sicut in proprios subditos, vel in hospites ad se missos; propriorum tamen & Patrum Abbatum in omnibus jure salvò, & salvâ hospitalitatis gratiâ quæ in domo Montis-Pessulani fieri solet & debet hospitibus exhiberi.

Monachus verò qui prædictorum studiorum cuilibet pro tempore præpositus fuerit, non Prior sed Provisor vocetur, & ubique extra studium stet in dextro Choro immediatè post Abbatem, nisi ibidem fuerit alius qui Abbatisaverit, cui ubique post Abbatem stare sit concessum. Hujusmodi autem Provisor non-nisi de licentia Abbatis cui subest studium, Scholarem aliquem potest ad proprium remittere Monasterium, nec etiam nisi cùm subest causa legitima. Novitii autem Parisius recipi poterunt, prout in Domini Papæ Privilegio continetur. Omnia verò Ordinis studia libertatibus, gratiis, & consuetudinibus eisdem gaudeant quibus gaudet Parisiense & quibus hactenùs est gavisum.

Ita Cap. Gen. an. D. 1248. & Cap. Gen. ann. 1250.

Sanè ut prædicti Ordinis studia ad honorem Dei & Ordinis utilitatem ac totius Ecclesiæ in statu laudabili perpetuò perseverent, Provinciarum Viennensis, Taranthasiensis, Ebredunensis, Arelatensis, Aquensis, Narbonensis, Bituricensis, Auxitanensis, Taraconensis, Burdegalensis Abbatibus præcipitur universis, ut Monachos suos annuatim infra festum Nativitatis Domini mittere teneantur

cum bursis suis integris decem librarum Turonensium de bonis Abbatiarum suarum, ad studia in illis seu circa illas Provincias constituta, ubi tam in Philosophicis quàm in Theologicis per Abbatum illis præsidentium providentiam debeant & possint edoceri; videlicet ad studium Montis-Pessulani vel Tholosani, sub tali forma quòd de omnibus Abbatiis illarum Provinciarum ubi sunt viginti Monachi, unum: ubi verò quadraginta & suprà fuerint, duos, in studiis habere continuè, teneantur.

Omnes verò qui mittendi fuerint, de Patrum Abbatum seu Visitatorum consilio eligantur & magis idonei, qui sint competentis ætatis, honestæ conversationis, & in primis literarum rudimentis sufficienter fundati, ita quòd de profectu ipsorum meritò sit sperandum.

Sanè ne contingat inter duo prædicta studia vicina alicujus in posterùm discordiæ materiam suboriri, distinguendum est inter illa taliter, quòd illi de Provincia Viennensi, Taranthasiensi, Ebredunensi, Arelatensi, Aquensi & Narbonensi usque ad Tholosam, & de Bituricensi Provincia, quantum Ruthenensis, Lemovicensis & Claromontensis Diœceses protenduntur, ad studium Montis-Pessulani venire teneantur. Illi autem de Narbonensi Provincia ultra Tholosam, & de Auxitanensi, Burdegalensi & Taraconensi Provinciis præter Pampelonensem Diœcesim; & de Bituricensi Provincia, quantum Albigensis, Caturcensis, Mismatensis & Asnicensis Diœceses protenduntur, & de tota Generatione Grandis-Sylvæ, ubicunque fuerint Monachi ad studium Tholosanum venire teneantur; hoc tamen diligentiùs observato, ne in aliquo studiorum Ordinis quisquam de Ordinibus mendicantibus constituatur in Lectorem.

Quoniam autem Parisius locus est celeberrimus & fons omnium studiorum, illi studio Sancti Bernardi Parisiensi nulla lex imponitur, quin ad illud possint de quacunque Provincia & patria liberè mitti Monachi ad studendum absque præjudicio aliorum studiorum. Sed & ut cætera studia majori auctoritate & celebriori titulo fulciantur, omnes illi Abbates qui in illis præsident, duos ex suis Monachis continuè ad expensas proprias in studio Parisius sustentent, ut sic major Lectorum copia ac certior scientia ab aliis studiis inde hauriatur.

Quòd autem ordinatum est de duobus prædictis studiis, hoc idem statuitur de studio Parisiensi, & præcipitur Abbatibus universis de Burgundia, de Provincia Lugdunensi, Bisuntinensi, de Francia, de Picardia, de Brabantia, de Flandria, de Allemania & de Normania, ut ad studium Parisiense Monachos suos cum Bursis suis consuetis infra Nativitatem Domini annuatim mittere debeant sub hac forma, quòd ubi triginta Monachi fuerint, unus ad studium destinetur: ubi verò quadraginta & suprà fuerint, duo ex illis in studio sustententur, & prout visum fuerit Patribus Abbatibus aut Visitatoribus, eligantur.

Similiter omnes Abbates de Anglia, de Vallia, de Scotia, de Hybernia & de Britannia ad studium Oxoniense suos Monachos mittere teneantur, modo consimili & pari forma. Omnes autem Abbates de Hispania, de Navarra, de Portugallia, de Castella & de Legione suos Monachos ad studium de Stella mittere non omittant.

Quicunque verò Abbates infra terminum assignatum annuatim omnia prædicta perficere contempserint, vel Patres Abbates aut Visitatores, si ipsos in suis visitationibus super hujusmodi auctoritate Capituli Generalis non compulerint, veniam petant in sequenti Capitulo Generali ibidem graviter puniendi, quoad usque dictum Capitulum super hujusmodi aliud duxerit ordinandum.

In locis porrò illis ubi sunt concessa studia, nec ubicunque aliàs aliquis de Ordine jura legere vel audire præsumat: sed nec in dictis studiis aliquis resideat, nisi de voluntate sui Conventûs & Patris Abbatis licentia speciali.

In majoribus autem Monasteriis, in quibus assiduè resident quadraginta Monachi, ter saltem in Hebdomada Lectio habeatur, quæ ad utilitatem conferat animarum & de tali materia, quòd etiam simplices inde proficere valeant.





DISTINCTIO X.

De dirigendis in viam.

CAPUT PRIMUM.
De his quibus licet ire vel scribere ad Romanam Curiam.

PROHIBETUR ut nullus eat ad Curiam Domini Papæ, nisi cum proprio Episcopo, nec mittat Monachum vel Conversum, sine consilio Capituli Generalis, aut consilio Abbatis Cisterciensis & quatuor primorum Abbatum, vel duorum saltem, aut unius cum Cisterciensi, si omnes adire non poterit, aut dictum Capitulum expectare; Abbas transgressor, si in propriâ personâ ierit, aut etiam miserit, omni sextâ feriâ sit in pane & aqua, donec vel ipse, vel dictus nuncius à Curiâ revertatur, in sequenti nihilominùs Capitulo Generali, super hoc veniam petiturus, exceptis illis qui Romanæ Curiæ sunt vicini.

Abbates qui mittunt ad Curiam Domini Papæ vel Principum, tales mittendos procurent, de quorum honestate securi sint, ita quòd scandalum nunquam ex eorum actibus oriatur. Nulla ergo persona Ordinis eundo ad Curiam, ibi morando seu inde redeundo, quacunque impetratâ licentiâ seu gratis oblatâ, extra Infirmitoria Ordinis nostri esu carnium debet uti; transgressores sint in pane & aqua pro singulis vicibus una die.

Petitiones verò sæcularium personarum nullus præsumat deferre ad Curiam Domini Papæ, sine Superioris sui licentia speciali, nec talium literas quarum tenorem non noverit, ad aliquam personam, vel Generale Capitulum præsumat quisquam mittere, vel deferre. Nec aliquis irregularem Monachum mittat ad Curiam causâ dispensationis obtinendæ, nec in fraudem hujus institutionis, nisi de Capituli Generalis licentia speciali. Transgressor sex diebus, duobus eorum in pane & aqua, peragat levem culpam, & quadraginta diebus sit extra stallum Abbatis, in sequenti Capitulo Generali veniam petiturus. Nulla insuper

super persona Ordinis vadat vel mittat ad Curiam pro Principibus contra Principes vel Potentes; qui contra hoc venire præsumpserit, si Abbas fuerit, deponatur; si Monachus vel Conversus, à domo propria emittatur, non-nisi per Capitulum Generale reversurus.

Caveant quoque Abbates, quantùm poterunt, causas & negotia subire secularium personarum; nec divortia seu alia hujusmodi, quæ sine Ordinis scandalo nequeunt procurari, per personas Ordinis ullatenùs procurentur; nec intersint personæ Ordinis placitis, nisi suis aut aliarum de Ordine personarum: Si verò aliis adesse contigerit quispiam non sit ibi judex nisi de mandato Domini Papæ, nec etiam prolocutor, nec ad consilium partium eat, nisi pro bono pacis, nec solus arbitrium suscipiat, nec etiam cùm aliis, nisi cum magna maturitate & diligentia circumspecta.

Quæcunque verò persona Ordinis in servitium conceditur Prælatorum, honestis officiis deputetur, alioquin per Abbatem proprium quàm citiùs revocetur.

CAPUT II.

De Euntibus vel Redeuntibus pro negotiis Ordinis.

NULLUS Abbas vel Monachus extra Infirmitorium alicujus Monasterii dirigat gressus suos non reversurus eodem die, benedictione quæ solet dari in Ecclesiâ talibus non acceptâ, alioquin panis & aquæ pœnitentiam sustineat ipsâ die, nisi evidenti necessitate aut utilitate Ordinis excusetur. Nullus item Abbas aut Monachus sine cucullâ de cætero audeat equitare, pileis autem griseis tantummodò dum equitant, tam Abbatibus quàm Monachis liceat uti. Nulla etiam Monachis vel Conversis, nisi pro evidenti necessitate aut certâ & evidenti utilitate domûs aut Ordinis egrediendi licentia tribuatur, & quibus data fuerit; certus & competens præfigatur terminus revertendi, infra quem nisi redierint, vel ad locum ad quem diriguntur non ierint; sed notabiliter diverterint: pro fugitivis habeantur. Quicunque verò per inquietationem aut importunitatem egrediendi licentiam obtinuerit, petat inde ve-

niam in visitatione ad Visitatoris arbitrium puniendus. Abbas quoque ad aliam Abbatiam veniens Monachos sine licentiâ non retineat à labore, nec de Claustro evocet insimul plusquàm duos. Si autem in Infirmitorio fuerit; nullus præter servitores ad ipsum præsumat accedere, nisi qui nominatim fuerit vocatus ab eodem, vel cui jussum fuerit. Monacho in via eunti vel redeunti cum Converso Portario loqui licet, quandiù extra terminos fuerit Abbatiæ; qui autem post signum Nonæ jejuni veniunt ad Abbatias Ordinis, non-nisi semel comedant ipsa die. Nullus quoque Monachus vel Conversus causâ loquendi vel pernoctandi divertat ad Moniales cujuscunque Ordinis vel reclusas; nisi de sui Abbatis licentiâ speciali; qui contravenire præsumpserit, per annum omnium ultimus habeatur.

CAPUT III.

De Emissis vel Ejectis à domibus propriis pro culpâ.

NULLUS Monachus vel Conversus ad instantiam suam ad domum aliam emittatur; nec etiam pro culpa quam sine gravi damno vel scandalo in domo propria poterit emendare; & emittendi semper de quatuor aut quinque seniorum consilio emittantur. Quicunque aliter aliquem emiserit, omni sextâ feriâ jejunet in pane & aqua; donec emissus fuerit revocatus, vel emittens fuerit in certo & firmo proposito revocandi quàm citò poterit teste conscientia. Libellum autem de causis emissorum Prior habeat & reservet, ut de ipsis possit coram Visitatoribus reddere rationem. Qui hujusmodi pœnitentiam subire per unum mensem contempserit vel neglexerit, deinceps ingressum Ecclesiæ sibi noverit interdictum. Emissum autem extra propriam Provinciam, vel unam aliam duntaxat propinquiorem Monasterio emissi, nullus recipere teneatur, exceptis illis quos ad remotas partes emitti decrevit Capitulum Generale. Quilibet etiam emittens emisso de securo conductu, usque ad locum ad quem emittit provideat, quod similiter remittens facere teneatur.

Abbates ad quos tales emissi fuerint, ipsos per suas li-

teras ad alias Abbatias mittere possunt de propriorum Abbatum licentia vel mandato, dummodò constet eis de sufficientia vestium emissi, aliàs ad primum emittentem remittat eundem. In literis quoque clausis quæ talibus traduntur, quos Ordines Monachus habeat, & cujus artis sit Conversus, & quantitas vestium inseratur, quæ ad minùs debet esse talis; scilicet tres Tunicæ, duæ Cucullæ & Scapulare, & duo paria Caligarum, aliter ad se missum quis recipere minimè teneatur. Nec aliquis Monachus, vel Conversus pro culpa vel dispersione emittatur, nisi ad domum ubi sit Conventus, ut possit vivere regulariter, & secundùm Ordinis Instituta. Prædictorum autem emissorum literis viaticis tam moderatus terminus apponatur, quòd ex hoc non habeant tempus, nec materiam evagandi; & si à debito itinere diverterint per unam dietam, pro fugitivis habeantur. Hujusmodi autem emissis pro culpa, egrediendi à domibus ad quas missi sunt, nulla nisi pro urgentissima necessitate à quoquam licentia concedatur. Nullus etiam Abbas hospitem ad se missum infrà annum audeat remittere, nisi in casibus in quibus suum proprium ad aliam domum meritò duceret emittendum: alioquin Abbati cui miserit, tantum in pecunia refundere teneatur, quantum remissus in domo ipsius remittentis, pro rata illius temporis expendisset.

Hi autem ad quorum domos, quacunque ex causâ, personæ Ordinis diriguntur, eisdem sicut propriis provideant liberaliter & honestè; hoc excepto quòd si Conventus domûs, in qua fuerit hospes, non habuerit vestimenta, generaliter illo anno Abbas proprius teneatur de vestibus eidem providere. Ne verò Monasteria pro susceptione plurimorum hospitum prægraventur, suscipiendorum numerus sit taxatur, quòd domus habens viginti personas Religiosas, unum hospitem Monachum vel Conversum debet pro culpa sive dispersione missum suscipere: habens autem quadraginta, duos; & sic ascendendo singulos pro vicena qualibet retinendo.

Quoties autem Generale Capitulum concêdit alicubi dispersionem fieri, vel aliquos absolvit à susceptione hospitum, dispersio durat duntaxat biennio, & talis absolutio tantùm triennio, nisi in definitione tempus longius

exprimatur. In domibus autem illis, quæ à susceptione hospitum absolvuntur, quandiù durat hujusmodi absolutio, Novitii non suscipiantur, nec nova ædificia construantur, sed ruinosa tantummodò reparentur: Nec aliquis Abbas, Monachum vel Conversum à professione absolvat vel totaliter dimittat, nisi de alio Abbate, qui velit ejus professionem recipere, penitùs ei constet.

Quotiescunque verò ejectos de Ordine cum literis absolutoriis, seu totaliter dimissos, pœnitentiâ ductos contigerit velle ipsis Abbatibus Ordinis confiteri, auctoritate Capituli Generalis possunt eos audire & à peccatis absolvere, ac injungere pœnitentiam salutarem: & quia Conversi Monialium Ordinis nostri, Conversis nostris in professione & habitu per omnia sunt conformes, quandocunque dicti Conversi Monialium pro culpis suis ad Abbatias Monachorum per Visitatorem suum emissi fuerint ordinatè, Abbates Ordinis in collegiis Conversorum eos admittere teneantur. Nullus verò Monachus vel Conversus pro culpa pœnæ subjectus vel emissus, ad petitionem sæcularium, ad reversionis vel reconciliationis gratiam admittatur; alioquin ad preces talium revocans vel reconcilians, hoc ipsum aliàs non facturus, usque ad proximum sequens Generale Capitulum gradum Altaris ascendere non præsumat, in eodem super hoc veniam petiturus.


CAPVT IV.

De Emissis pro dispersione & remanentibus.

NVLLVS Pater Abbas aut Visitator Conventum per alias domos Ordinis dispergere audeat vel præsumat, paupertatis prætextu, vel alia ex quacunque causa, sine licentia Capituli Generalis, si dictum Capitulum Generale possit commodè expectari. Quòd si aliter factum fuerit, nullus teneatur recipere ad se missos; hoc idem statuitur de Conventu Monialium, hoc adjuncto quòd illarum taxetur numerus pro modulo facultatum. Abbas autem qui Conventum dispergit, non mittat ad domos dispersas, vel à susceptione hospitum absolutas. Abbates autem ad quos dispersi mittuntur, ipsos benignè recipiant, & sicut propriis charitativè provideant & honestè: alio-

quin super hoc in Capitulo Generali veniam petant, inde gravissimè puniendi. Qui verò tales mittunt, honestè mittant eos, & tam mittentes quàm illi per quos transeunt, eisdem de vectura & aliis necessariis provideant, sicut usque modò in Ordine extitit observatum.

Mittendi verò pro dispersione, non-nisi de Patris Abbatis consilio nominatim mittantur, nec etiam cùm tempus fuerit revocentur. Omnes quoque Abbates, suos de cætero dispergentes, omnem provisionem quæ in usus dispersorum cederet si adessent, in evidentem utilitatem domorum suarum convertere teneantur, & de hoc Patribus Abbatibus vel Visitatoribus facere plenam fidem. Monachi verò qui in Abbatia dispersa remanserint, in Claustro, Refectorio, Dormitorio & Oratorio silentium teneant, more solito, & omnes in Refectorio comedant parcitate victûs contenti. Post Completorium nullus loqui præsumat. Missa in Conventu cantetur; pulsetur ad omnes horas Canonicas, & in Oratorio solenniter decantetur; & si fuerint duodecim Monachi vel ampliùs, observantias Ordinis per omnia prosequantur. Quandiù verò durat dispersio, nulla persona ad habitum vel convictum recipiatur ibidem, nisi talis fuerit unde possit aliàs grave damnum & magnum scandalum generari. Inhibetur etiam ne Conventus aliquis ad pernoctandum mittatur ad grangias, nisi pro necessitate inevitabili, tempore messionis; infirmi verò & debiles, prout Abbati visum fuerit, poterunt retineri.



DISTINCTIO XI.

De personis in Ordine recipiendis.

CAPUT PRIMUM.

De Novitiis de Calatrava, de Cartusiensibus, & aliis Religiosis recipiendis.

OMNIBUS Abbatibus Ordinis præcipitur, quòd cùm non sit personarum acceptio apud Deum, omnes, dummodò boni & idonei sint, prò indifferenti acci-

piant Novitios, præsertim indigenas cùm ad illos maximè teneamur. In recipiendis autem Novitiis Clericis, tanta in literatura competenti, ætate legitimâ, & probatione spirituum, si ex Deo sint, adhibeatur diligentia, quòd cedant ad utilitatem Ordinis & honorem. Et idcircò districtissimè prohibetur, ne aliquis deinceps recipiatur in Ordine, nisi constet ipsum de legitimo matrimonio natum; vel super dispensatione suâ literas Apostolicæ Sedis ostendat. Quòd si quis defectum natalium patiens vel fallaciter recipientis dissimulatione receptus fuerit, à Visitatore quàm citiùs hoc eidem innotuerit, expellatur; & Abbas in hoc delinquens, per Patrem Abbatem vel Visitatorem citetur ad Capitulum Generale. Eidem pœnæ sit subditus qui aliquem de mendicantibus Ordinibus, vel apostatam seu fugitivum, aliorumque Ordinum aliquem nostro præsumpserit Ordini sociare. In domo autem ubi orta fuerit conspiratio per Monachos, Novitii Monachi, ubi verò per Conversos, Conversi deinceps non recipiantur usque ad nutum Capituli Generalis, nisi fortè talis persona fuerit, unde meritò grave damnum vel scandalum formidetur.

Numerus autem recipiendorum, secundùm taxationem Patrum Abbatum diligentiùs observetur; quem quidem numerum quicunque auctoritate propria transgressus fuerit, per Patrem Abbatem secundùm merita puniatur. Inhibetur autem Patribus Abbatibus Ordinis universi, ne per literas obligent se de aliquo recipiendo in Monachum vel Conversum; literas enim super hoc datas vel dandas, in posterum nullius esse roboris decernit Capitulum Generale. Novitii infra decem & octo annos recepti, à Visitatoribus ejiciantur, & Abbates, qui tales scienter receperint, omni sextâ feriâ sint in pane & aquâ, quandiù duxerint retinendos, exceptis illis qui remotas habitant Regiones, utpotè Phrygiam, Hungariam, Poloniam, Boëmiam, Alemaniam, & Germaniæ partes, aliaque loca in quibus adulti raró ad conversionem veniunt; quibus indulgetur, ut à quindecim annis & suprà ad conversionem licitè recipiant venientes. Contrarium facientes, pœnæ subjaceant prænotatæ. Novitiorum autem qui primus ingreditur Capitulum, si perseveraverit, prior habeatur; etiam-si benedicatur posterior ante ipsum.

Novitii verò ex domibus exeuntes, si reverti voluerint, satisfaciant, sicut alii fugitivi Ordinis: & si recipiendi fuerint, veniant ad hospitium, & ibi induti veniant in Capitulum, & de Capitulo in probationem. Qui verò eâ die quâ exeunt revertuntur, nihil de ordine suo perdunt. Novitii quoque qui in probatione lepram incurrerint, de jure emittantur, sed de misericordiâ poterit eis provideri. Idem statuitur de caducis.

Conceditur insuper Fratribus de Calatrava; ut cùm ad domos nostras venerint, cum Monachis in Choro, in Capitulo, in Refectorio, & in Infirmitorio possint esse. In Choro Magister eorum immediatè post Sacerdotes, vel in altiori loco, si Abbati visum fuerit ad quem venit, post omnes tamen Abbates, si præsentes fuerint collocetur. Alii verò Fratres Laïci, post omnes Monachos, supra Novitios locabuntur. Clerici autem secundùm tempus suum, in Ordine loca inter Monachos sortiantur, & in Capitulo & in Refectorio; Magister autem eorum post Priorem. Cæteri tam Clerici quàm Laïci, juxta suos ordines residebunt, & sicut Monachi benedictionem accipient eundo & redeundo.

Ita Cap. Gen. an. D. 1222.

Cùm verò filiatio domûs de Calatrava ad domum de Morimundo non solùm longâ temporis præscriptione, verùm etiam ad Capituli Generalis petitionem, jam *Apostolicâ gratiâ* confirmata pertineat pleno jure, personis Ordinis inhibetur districtiùs, ne per alicujus literæ impetrationem, consilium vel auxilium apponendo aliquid attentare præsumant, per quod dictæ domûs de Morimundo possessio perturbetur; quicunque contrarium præsumpserit, sciat se sententiæ Conspiratorum per omnia subjacere. Monachus etiam quem Abbas Morimundi Priorem in eadem domo instituerit, ac etiam alii qui ab eodem Priore Confessores ibidem fuerint constituti, confessiones audiant, & absolvendi Fratres de Calatrava liberam habeant potestatem.

Apostolicâ gratiâ nimirùm per Gregor. IX. & maximè per Innocentium III. an. D. 1188.

De Cartusiensibus verò Fratribus, pacis charitatisque gratia constituitur, ut nullum de Ordine ipsorum, sine eorum licentia recipiamus, nec ipsi de nostris recipiant sine nostra licentia & assensu. Si qui verò de nostris ad Ordinem Fratrum Prædicatorum & Minorum, seu ad aliam

quamcunque Religionem etiam de propriorum Abbatum licentia transierint, vel pro peregrinatione, se quocunque genere medicinæ sine licentiâ exierint, pro fugitivis habeantur.

Peregrinationis autem & cujuslibet alterius singularis observantiæ votum à quacunque & quantacunque persona Ordinis emissum, irritum Capitulum Generale decernit, votorum hujusmodi expletionem, seu executionem sub pœnis infrà scriptis firmiter interdicens; videlicet quòd Abbas hoc faciens sit extra stallum Abbatis per viginti dies continuos in domo propria, & faciat levem culpam: Monachus vel Conversus, ultimus omnium sit per annum: Abbatissæ verò ab Officiis deponantur, & Moniales per annum priventur habitu regulari.

CAPVT II.

De Prælatis, Familiaribus & Hospitibus recipiendis.

CONCEDITVR Conventui Athanatensi, Abbatibus Sancti Dionysii in Francia, Sancti Vedasti Attrebatensis, & Sancti Germani Parisiensis, de Engolismo, & Monachis eorundem universis, & novi Monasterii & Ordinis Cluniacensis; Abbati & Monachis de Sancto Albano in Anglia, quòd cùm ad domos nostras diverterint, in nostris Refectoriis, si voluerint, admittantur. Prælati insuper quicunque cùm ad domos nostri Ordinis venerint, honestè recipiantur, & secundùm facultates domorum honestè & humiliter eis administretur. Pro victualibus, si quæ eorum fortè familiæ detulerint, nullatenùs eis pecunia refundatur: Legati verò præcipuè Domini Papæ cum omni honore, humilitate & reverentia recipiantur, & qui non fecerit, à Generali Capitulo se noverit graviter puniendum. Nullus tamen in Abbatiis Ordinis nostri pro tenendis hostagiis aliquatenùs admittatur; Abbates, Priores, Subpriores, qui id sustinuerint, à Patre Abbate graviter puniantur.

Monachus verò vel Conversus ex aliqua domo egressus vel ejectus, & per licentiam alibi receptus, non intret in domum de qua exivit, neque in Conventum Converso-

rum

rum ad Grangias; nisi de licentia Abbatis domûs illius aut Capituli Generalis, si auctoritate ipsius egressus fuerit vel ejectus. Abbas autem vel quicunque de Ordine, nisi fuerit fugitivus, licet sit excommunicatus; in loca Ordinis cùm venerit, seorsum honestè ad communionem temporalium admittatur. Si Abbas aliquis contra fecerit, vel fieri procuraverit, graviter puniatur. Monachus vel Conversus qui hoc commiserit, omni sextâ feriâ sit in pane & aqua & ultimus omnium habeatur, & in Capitulo vapulet, usque ad sequens Capitulum Generale.

De Leprosis verò omninò interdicitur, ne propè domos Ordinis nostri habitare; aut in eis recipi aliquatenùs permittantur. Si quis ad habitum nostrum receptus ante petitionem suam in Capitulo factam obierit, pro Familiari non pro Novitio habeatur.

CAPUT III.

De Fugitivis Ordinis, ab Ordine discedentibus, per sæculum evagantibus, & ad Ordinem revertentibus.

APOSTATÆ seu Fugitivi Ordinis; sive abjecto habitu sive cum ipso, tanquam excommunicati; tam à Generali Capitulo quàm à canone ab omnibus cautiùs evitentur; & in omnibus Capitulis Ordinis in quibus fit sermo; etiam in audientia sæcularium; denuncientur excommunicati. Tribus autem Abbatibus primis cujuslibet Provinciæ, nec-non & Provisoribus solennium studiorum; scilicet Parisiensis, Tholosæ, Montispessulani, arctiùs injungitur à Capitulo Generali; (sub tali pœna, quòd quandiù neglexerint hoc præceptum implere, omni sextâ feriâ sint in pane & aqua) quatenùs dictos fugitivos vel Apostatas capiant cum propriorum Abbatum expensis, seu capi faciant, invocato ad hoc; si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis; captosque detineant, vel ad proprias domos mittant. Omnibus quoque Provincialibus Abbatibus sub pœna prædicta præcipitur; quòd quàm citò tales Fugitivi vel Apostatæ ad eorum notitiam devenerint, ipsis Abbatibus seu Provisoribus antè dictis, de eisdem ubi inveniri

poterunt, sollicitè studeant intimare. Omnes quoque Ordinis personæ hujusmodi Apostatis in sua malitia quoquo modo faventes, excommunicationis sententia à Capitulo Generali percelluntur.

Prædicti etiam Apostatæ, qui plusquàm per decem dies in Apostasia perstiterint, cùm ad Ordinis obedientiam revertuntur, per continuum triennium privati maneant habitu regulari. Veruntamen post anni lapsum, non anteà, sine Generalis Capituli licentia, proprii Abbates cum talibus benè correptis, in quibus sunt manifesta signa poenitentiæ, super restitutione regularis habitûs, de Seniorum consilio poterunt dispensare. Similiter autem & in primo loco locari poterunt, qui ante completum decennium de Apostasia redierunt; cæteri omnium quos professos invenerint, ultimi sine dispensatione aliqua perpetuò remanebunt. Quando autem aliquis recipitur vel ponitur ultimus pro aliqua sua culpa, non cantet nec legat, nisi jussus fuerit ab Abbate. Ipse autem Abbas dare licentiam cantandi, vel legendi poterit, cùm viderit oportere, & Sacerdotem in Ecclesia ultimum ponere Sacerdotum. Sacerdotes verò de sæculo revertentes, si in sæculo celebraverint, non celebrabunt nisi de licentia Capituli Generalis, sed nec in sacris Ordinibus, dispensatione non habitâ, audeant ministrare.

Cap. G. an. 1282. Quicunque autem Monachus, vel Conversus jactandò sive comminando dicere præsumpserit in audientia cæterorum se velle exire ab Ordine, vel habitum deponere regularem, per Custodes Ordinis in catenis & vinculis, aut in carcere retrusus tandiù teneatur, donec ausui temerario ipsa poena tribuat intellectum, ita tamen quòd ex hoc notam criminis non incurrat. Hoc idem statuitur de his qui de sæculo revertentes, determinatum sibi habitum noluerint assumere vel portare: tales etiam non permittantur infra Abbatiam vel extra, officium aliquod exercere in habitu sæculari.

Quicunque verò ab Ordine apostataverint, si Monachus, plusquàm duas Tunicas & Cucullam, Conversus, plus quàm duas Tunicas & Cappam ad sæculum deportaverint, residuum pro furto habeatur. Et si postmodum compuncti ad Ordinem reversi fuerint, super prædicto

furto ad proprium Abbatis arbitrium puniantur. Abbates verò quibus scribit Domnus Cisterciensis pro fugitivis, eos recipiant, secundùm quod merita eorum aut demerita requirunt, *salvâ Ordinis disciplinâ*. Fugitivi quoque qui juxta Regulam usque tertiò recipiuntur, si plusquàm ter apostataverint, & pœnitentes redire voluerint & satisfacere pro delicto, omninò recipiantur vel in domibus propriis, vel in locis aliquibus earum, si aliud canonicum non obsistat, semel tantùm ad victum, & non ad habitum regularem; sed ad alium sicut Abbati visum fuerit expedire; quem quidem habitum si recipere noluerint aut portare, eisdem temporalia denegentur. Si verò suscepto illo habitu iterùm ad sæculum regressi fuerint, vel aliquid tale commiserint pro quo Monachus teneatur emitti, nullus eis de Ordine teneatur ulteriùs providere. Eis autem in habitu sibi constituto vel tradito existentibus, horis vigiliarum venire teneantur ad Ecclesiam, extra Chorum, & jejunia Conventûs prosequantur. Conversi verò in Familiarium habitum redacti teneantur ad observantias Conversorum.

Illi autem Apostatæ qui salutis suæ immemores per sæculum evagantur, per proprios Abbates, vel alios quoscunque Abbates Ordinis, vel solennium studiorum Provisores, auctoritate Capituli Generalis capiantur aut capi procurentur, ad expensas propriorum Abbatum, invocato ad hoc, si necesse fuerit, auxilio brachii sæcularis; quas quidem expensas proprii Abbates teneantur refundere detentoribus eorundem à tempore captionis. Quæcunque verò personæ Ordinis nostri per sæculum cum habitu nostro evagantur honestatem Ordinis nostri denigrantes, omnibus diebus quibus habetur sermo in Capitulo per totam illam Provinciam, in omnibus Abbatiis Ordinis excommunicationis sententiam incurrisse auctoritate Capituli Generalis promulgentur; & si aliquando ad Ordinem redierint, à propriis Abbatibus super dictâ sententiâ, auctoritate Capituli Generalis absolvantur.

CAPUT IV.

De Abbatibus extra proprias Abbatias defunctis, & aliis ad sepulturam recipiendis.

SI aliquis Abbas extra domum propriam obierit, liceat Monachis suis ipsum, si voluerint, ad domum propriam deportare, auctoritate Capituli Generalis. Si quis verò Defunctus pro intolerabili fœtore non possit in Ecclesiâ sustineri, usque dum Missam habeat, sepeliatur ipsa die, & in crastino non obstante alicujus Sancti Missa propria, quæ tunc à Cantore alii injungatur, Missa pro eo tam à singulis Sacerdotibus quàm à Conventu celebretur, ac si eadem die fuisset traditus sepulturæ.


Si verò corpus alicujus Abbatis defuncti ad quamcunque domum Ordinis nostri portari contigerit, ad portam domûs à Conventu processionaliter ei occurratur, & in Chorum Monachorum honorificè deportetur, & circa ipsum more solito vigiletur; & pro ipso in crastino solenniter celebretur.

In majoribus verò Ecclesiis nostris non sepeliantur nisi Reges & Reginæ, Episcopi & Prælati. In Capitulis autem nostris Abbates vel Prælati, si magis duxerint eligendum. Lapides quoque in Claustris nostris positi super tumulos Defunctorum terræ coæquentur, ne offendant pedes transeuntium.

Ad Confessionem insuper, ad sacram communionem, & ad sepulturam recipimus mercenarios, hospites, detentos infirmitate in Monasterio, peregrinos & omnes etiam illos, qui dummodò non sint excommunicati vel interdicti vel publicè usurarii, in Cœmeteriis nostris sepulturam elegerint, de suorum conscientia Sacerdotum.

Nullus autem de Ordine nostro procuret, ut Fundatores Abbatiarum Ordinis, alibi quàm in ipsis Abbatiis quarum Fundatores extiterunt, eligant sepulturam.





DISTINCTIO XII.

De Contractibus & Depositis.

CAPVT PRIMVM.

De Rebus vendendis, de Vsuariis, Contractibus, Gageriis & Nundinis, & de terris tradendis.

MERCATORES nostri Ordinis non vendant cariùs res nostras pro termino prolongando, quòd si fecerint, tribus diebus uno eorum in pane & aqua pœnitentiam sustineant levis culpæ; & qui viliùs emunt ut vendant cariùs, pœnam consimilem sortiantur: Illis tamen rebus exceptis, quæ sumptibus nostris ex industria meliorationis recipiunt incrementum. Poterunt tamen lanæ nostræ vendi ad terminos longiores, non tamen cariùs propter hoc, & major pecuniæ quantitas recipi, quàm valeant uno anno, dum tamen in aliis usibus dicta pecunia poni; quàm in solvendis debitis à quacunque persona Ordinis minimè præsumatur. Nulla tamen persona Ordinis præsumat vendere personis sæcularibus pro pecunia aliquam pensionem, nisi illa pecunia in expensas alicujus possessionis; de qua fructus percipiat, qui pecuniam tradiderit; totaliter convertatur. Si verò quisquam Abbatum habuerit usuaria quæ non nisi sibi sufficere valeant, vel conventionem aliquam super aliquo contractu facto vel faciendo cum aliquo inierit, nullus alius super hoc manum apponere vel aliquam conventionem inire præsumat; sine consensu illius Abbatis qui priùs interposuit partes suas.

Gageriæ verò, exceptis feodis nostris, secundùm quod à jure concessum est, ulteriùs non recipiantur, transgressores verò graviter puniantur. Monachus vel Conversus quandiù in nundinis fuerit, de nulla domo Ordinis nostri victum sibi vel equis suis requirere audeat vel præsumat. Possessiones Abbatiarum Iurisperitis vel aliis personis sæ-

cularibus non tradantur, vel de cætero concedantur gratis ad vitam, nisi de consensu Capituli Generalis; nec etiam personis de Ordinibus mendicantibus aliqua pensio vel præbenda concedatur, & si concessa fuerit, revocetur: Indulgetur tamen Abbatibus, si viderint expedire, ut tradant sæcularibus vineas & terras, & alias possessiones ad excolendum, de consensu seniorum domûs suæ, facta tamen priùs compositione de decimis, de voluntate Diœcesani Episcopi & assensu.

Cùm verò alicui Monacho vel Converso aliquis Abbas suam tradiderit grangiam ad firmam, soluto censu in quo tenetur; dictus Monachus vel Conversus residuum bonorum grangiæ sibi commissæ sibi non appropriet, nec præter ordinationem sui Abbatis aliquid inde facere audeat vel præsumat. Si verò vinum ad brocam vendi contigerit, provideat Abbas diligenter vel Cellerarius, ut per tales personas vendantur, ne scandalum inde Ordini oriatur. Lusores autem & mulierculæ, ubi fieri poterit, ab ingressu restringantur.

CAPUT II.

De fidejussione, custodia depositorum, mutuis non contrahendis & eleemosynis recipiendis.

NULLUS de Ordine nostro pro aliqua persona vel Ecclesia, quæ non sit Ordinis nostri, fidejussorem se constituat, vel per literas seu per sigilla sua se vel Ecclesiam suam obligare præsumat, nec etiam ab aliquo mutuum accipiat ut aliis mutuet. Si quis Abbas per se vel per interpositam personam contravenire præsumpserit, ipso facto auctoritate Summi Pontificis ab omni administratione spiritualium & temporalium noverit se suspensum; si verò summa contracti mutui seu obligationis viginti librarum Turonensium valorem excesserit, *ipso facto* sit depositus à regimine Abbatiæ, & nihilominùs carceri mancipetur, usque ad nutum Capituli Generalis. Monachi verò vel Conversi, de quorum consilio id factum fuerit, à domo propriâ eliminentur, non reversuri, donec Abbatia indemnitati fuerit restituta. Nec aliquis Abbas mutuet pecuniam

alicui qui non sit de Ordine nostro ultra summam viginti librarum, qui contra facere præsumpserit; veniam petat in Capitulo Generali. Quicunque Monachus vel Conversus aliquod mutuum contraxerit vel tradiderit sine Abbatis sui licentia speciali, proprietarii & furis pœnitentiâ puniatur. Nec ponat se aliquis Abbas obsidem pro aliquâ persona Ordinis nostri vel etiam sæculari; alioquin quandiù obses fuerit, non-nisi panem & aquam comedat & jejunet. Si verò contigerit aliquando homines alicujus Abbatiæ capi occasione ipsius Abbatiæ, sive rerum quas ab ipsa possident vel tenent: Abbas cujus homines sunt, si capti fuerint, vel *mandatum* ejus, pro ipsis fidejubere poterit, in tanto quantum de bonis ipsorum hominum in propria habuerit potestate.

Vel *mandatum*, id est, aliquis ex mandato ejus.

Deposita verò in domibus nostris non suscipiantur, nisi de conscientia ad minus trium Fratrum, & hoc ad jussum Abbatis, & sub bono testimonio reddantur. Abbas verò studiosè provideat quomodò commissa diligenter custodiantur, ac fideliter conserventur, & nullus alii mutuare vel in proprios usus expendere audeat depositum alterius, sine depositoris conscientia & assensu. Ab his quoque quos pro certo scimus excommunicatos esse, & publicis fœneratoribus, nullam licet nobis recipere donationem vel eleemosynam, exceptis victualibus, in gravi necessitate duntaxat aut periculo constitutis. Communicare etiam illis quos scimus excommunicatos esse, in mensa, in oratione, in salutatione & in osculo non debemus.



DISTINCTIO XIII.

De Victu & Alimentis.

CAPUT PRIMUM.

De Cibis conventualibus & quadragesimalibus.

MONACHI & Conversi Ordinis nostri non-nisi bis in die ullo tempore comedant præter mixtum. Adolescentiores verò Fratres, quibus mixtum sumere diebus jejuniorum conceditur, semper ante Tertiam illud su-

mant. Minuere verò non debent Monachi & Conversi extra Abbatias Ordinis nostri, nisi pro magna & evidenti necessitate, aut cùm fuerint in Curia Romana, vel cum Cardinalibus, Principibus, vel Prælatis assiduè commorantes. Abbates quoque & Monachi tam in via directi quàm in grangiis commorantes & cellariis, communia observent jejunia, sicut illi de Conventu, prout in Regula continetur, omniumque solennitatum quæ in Ordine habent vigilias, si contigerit eas venire feriâ secundâ, præcedenti Sabbato in cibo quadragesimali jejunium celebretur; Missa verò & totum Officium fiat sicut fieri consuevit. Nec liceat aliquatenùs alicui Prælato Ordinis super hujuscemodi jejuniis dispensare, nisi in casibus ab Ordine approbatis. In toto etiam Adventu Domini, exceptâ primâ Dominicâ, in secunda & tertia feria ante caput jejunii, in Vigilia Pentecostes, jejuniis quatuor temporum in Septembri, vigilia Sancti *Ioannis Baptistæ*, Apostolorum *Petri* & *Pauli*, *Laurentii*, Assumptionis Beatæ *Mariæ*, *Matthæi* Apostoli, *Simonis* & *Iudæ*, *Omnium Sanctorum*, *Andreæ* Apostoli, quadragesimali tantùm utimur cibo. Abstinentia verò sextæ feriæ in quadragesima taliter teneatur, ut in omnibus sextis feriis, excepto die Parasceves, in Conventu uno pulmento contenti simus & potu aliis temporibus consueto. Porrò qui ante conversionem vovêre jejunia, per omnia Abbati suo obedientes, Fratres alios victu dissimili non perturbent.

CAPUT II.

De Carnibus non comedendis, nec sæcularibus ministrandis.

DE Carnibus edendis seu ministrandis illud irrefragabiliter teneatur, quod in Beati Benedicti Regula continetur. Igitur extra Infirmitoria nostra carnes nullatenùs à personis Ordinis comedantur, nisi à transeuntibus magnum mare, quandiù fuerint in mari. Qui contra fecerit, *in sententiam excommunicationis incidet ipso facto.* Et si Officialis fuerit, ab Officio deponatur; nec deinceps ad aliquod Officium promoveatur, sine licentia Capituli Generalis.

Hæ pœnæ non habentur in omnibus manuscriptis uniformiter, nam pleraque non loquuntur de sententia excommunicationis.

Suspenditur hanc excomm Cap G an 1438.

neralis. Monachus verò vel Conversus non Officialis pro qualibet vice per mensem privatus maneat habitu regulari. Eidem pœnæ subjaceant Moniales, Conversi & Capellani earundem, licet nobis in habitu sint difformes.

Diebus quoque Sabbatorum & à Septuagesima usque ad Pascha, in Infirmitoriis nostris non comedantur carnes, nec pulmenta sagimine condiantur. Qui verò in domibus alterius Ordinis comedunt, vel alibi extra Infirmitoria Ordinis nostri, si sagimen inesse crediderint, abstineant à pulmentis. In Monasteriis autem Monialium id potissimè observetur, transgressores pro qualibet vice à vino abstineant una die.

Episcopis verò vel aliis personis quæ non sunt de Ordine nostro, infra septa Abbatiæ vel in domibus contiguis carnes nullatenùs ministrentur. Sæculares item vel alterius Religionis personæ propè Cimeteria nostra habitare, vel carnes comedere nullatenùs permittantur; & quicunque Abbas infra septa Abbatiæ vel in domibus contiguis carnes talibus ministraverit, vel ministrare fecerit, præterquàm pauperibus infirmis aut personis assiduè in Abbatiis commorantibus, in loco ad hoc specialiter deputato: veniam inde petat in Capitulo Generali, super hoc graviter puniendus. Officiales verò & Monachi & Conversi hoc procurantes vel facientes, omni sextâ feriâ sint in pane & aqua, usque ad sequens Capitulum Generale.

CAPUT III.

De Pitantiis & Potu Ordinis.

DE Pitantiis petendis antiquus ordo servetur, ut ad Abbatis arbitrium omnia fiant., nec de ipsis aliquo tempore in Capitulis nostris aliqua mentio habeatur, nec quacunque occasione quasi de jure aut consuetudine petantur: nec minutionum tempore seu aliàs præsumat quis procaciter petere esum carnium sibi ministrari, quin potiùs ad Abbatis arbitrium singulorum infirmitatibus consulatur regulariter. Si quis contra præmissa importunum vel protervum se exhibuerit, cogatur tribus diebus facere pœnitentiam levis culpæ. Si quis autem tam perversus fuerit quòd propter victûs tenuitatem, licet pro modo loci &

temporis portabilem, tantum impatiens fuerit, quòd se à divino servitio & regularibus observantiis subtraxerit, pœnâ Conspiratoribus debitâ castigetur. Monachus verò vel Conversus qui suggerit alicui sæculari, ut eleemosynas quas dare voluerit Abbatiæ, Conventui det specialiter ad pitantiam, per mensem careat pitantiâ, nisi infirmus fuerit vel minutus. Inhibetur etiam districtiùs auctoritate Capituli Generalis, ne de cætero occasione aliqua Eleemosynarii seu Pitantiarii, vel quocunque nomine censeantur, ad faciendum Conventui pitantias Generales se ullatenùs intromittant, sed omnes eleemosynæ ad nutum Abbatis, prout meliùs viderit, expendantur. Abbas verò quicunque in Infirmitorio existens, in Refectorium pitantiam non mittat, nisi solus Abbas illius loci, vel etiam Pater Abbas.

Notandum quòd cùm Biblia legitur in Refectorio, legi debet capitulorum numerus à lectore. In Provinciis in quibus non est hactenùs consuetum bibere vinum, sicera vel cervisia in grangiis ministrari de cætero nullatenùs præsumatur, nisi Abbati vel Episcopo Ordinis, excepto Priore, duobus Cellerariis majore videlicet & medio, quibus conceditur, ut tantum vini in grangiis expendere possint, quod sufficiat sibi & uni socio, si tamen eis ab Abbate proprio vinum in grangiis bibere sit permissum. Et si fortè intra septa grangiarum sint vineæ, de vino ipsarum nihil omninò audeant facere Conversi, nisi prout Abbas duxerit disponendum. Prohibetur insuper, ne quis in Ordine frequentibus potationibus audeat uti: qui verò contrarium fecerit, pœnitentiam agat levis culpæ, si super hoc comprobatus fuerit vel convictus.



DISTINCTIO XIV.

De Conversis.

CAPUT PRIMUM.

De Receptione & Professione Conversorum.

PROVIDEAT Abbas, ubi multitudo Conversorum exigit, Monachum Sacerdotem idoneum & discretum, maturis moribus præditum, qui præsertim in victu

& vestitu Fratres Laïcos exemplo suo ædificet, & eis Magistrum ordinet & Confessorem; qui tamen de gravioribus causis, vel de quibus Abbas præceperit, eos ad ipsum remittat; sicut & Confessores Monachorum debent facere. In diebus Sabbatorum vel Vigiliis solennitatum in quibus communicare debent, ad locum congruum exeat, confessiones eorum more solito recepturus: similiter & manè post Primam ubi visum fuerit oportere; & si tantus fuerit numerus, etiam alii addantur ad hoc opus.

De Capitulo tenendo, Abbatem, si præsens est, vel Priorem admoneat, & ipse si missus fuerit, solus accedat. Aliis etiam horis quicunque Conversus de confessione ei loqui voluerit, ad locum idoneum secedat, nisi in communi labore fuerit Monachorum vel cum cæteris exiens ad laborem. Semel in hebdomada horis, quibus Abbas constituerit, circumeat officinas & infirmorum domos, ubi singulis vel pluribus simul loqui poterit de Ordine, vel de utili consolatione, vel salute animæ. Aliter nec Conversis, nec hospitibus loquatur in Monasterio, nec exeat de Claustro sine licentia speciali. Si infirmorum Conversorum Custos aliquem de infirmis indigere viderit Confessore, eum faciat venire. Idem Magister Conversis qui fuerint in Abbatia, nec licentiam tribuat cum aliquo loquendi, dandi aliquid, vel accipiendi, seu eundi quocunque, quia ad eundem non pertinet. Ad grangias vadat illo tempore quod fuerit institutum, ubi Capitulum teneat & confessiones recipiat, ubi cum omnibus loqui poterit, & taliter se exhibeat, ut de adventu ejus animarum eorum ædificatio debeat provenire.

Quando verò aliqui in Conversos recipi debent, in Capitulo Monachorum primò recipiantur, deinde in Capitulo Conversorum, quod hac de causa poterit quolibet die congregari. Deputetur autem eis Magister Conversus idoneus ad mores instruendos, & docendum de Ordine. Novitius Conversus, si pannos sibi emerit, tales emat quales habemus: mantellum verò non habeat. Nullus etiam Conversus librum habeat, nec discat aliquid, nisi *Pater noster*, *Ave Maria*, *Credo in Deum*, *Miserere mei Deus secundùm*, & cætera quæ debere disci, inferiùs est statutum, non tamen literâ, sed corde tenus hoc addiscant. Qui verò

sub habitu laïcali in sacris Ordinibus constituti in Conversos recipiuntur, cùm hoc Abbati constiterit, ejiciantur, vel inter Familiares cum coronæ caractere teneantur. Post annum veniat Novitius in Capitulum Monachorum, ubi primò prostratus veniam petat, & surgens ad imperium Abbatis, cùm interrogatus spoponderit de stabilitate sua, dicat Abbas, *det tibi Deus perseverantiam* : & respondeant omnes *Amen*. Et relicta omni proprietate faciat professionem hoc modo. Veniat ante Abbatem, flectat genua sua, & jungat manus suas, ponatque eas inter manus Abbatis, & promittat ei *obedientiam de bono usque ad mortem*. Et Abbas respondeat, *det tibi Deus vitam æternam*. Et responso ab omnibus *Amen*, & deosculato Abbate, exeat & discedat.

Et sciendum quòd ab illo die, quo fecit petitionem in Capitulo Monachorum, & receptus est in probatione Conversorum, in Ordine nostro Monachus non fiet. Qui si suadente Diabolo exierit de Ordine nostro & Monachi vel Canonici regularis habitum à quolibet receperit, deposito habitu in Conversum recipiatur, nisi fortè (quod absit) sacrum Ordinem receperit; Quòd si fecerit, ad habitum regularem nullatenùs admittatur. Tales verò ubicunque, si fieri potest, in Conversos recipiantur, qui laborem unius
An. 1261. Mercenarii possint singuli compensare. Quicunque verò laborem sibi injunctum implere noluerit, redigatur ad Familiaris habitum usque ad nutum Visitatoris, & tantùm grossiori pane vescatur. Et non Fratres proprio nomine, sed Conversi vocentur, excepto in Provincia & in Vasconia & ultrà, eo quòd nomen illud Conversi in prædictis Provinciis habetur suspectum propter hæreticam pravitatem.

CAPUT II.

De Vigiliis & Horis Conversorum.

AB Idibus Septembris usque ad Cœnam Domini, privatis diebus pulsetur campana major incipiente primi Nocturni ultimo Psalmo, & tunc omnes Conversi ad Vigilias surgant; dictâ autem Collectâ post Nocturnos, mox ad sibi injunctos labores exeant. A Pascha autem usque ad

Idus Septembris quando meridianam non habent, privatis diebus usque ad Laudes pausent, pulsatoque signo surgant, & eant ad Ecclesiam, factisque orationibus Vigiliarum, Laudum, & etiam Primæ, exeant ad opera consueta. Ad cæteras verò horas diei non eant ad Ecclesiam, sed ubicunque laboraverint, faciant orationes suas, nisi dies fuerit feriatus. Dominicis autem & festivis diebus quibus non laborant, tam hyeme quàm æstate quando & Monachi surgere teneantur. Porrò qui de grangiis vel de via eadem die venerint, eant dormitum, si voluerint, post quartum Responsorium decantatum; cæteri verò non exeant, sed totum servitium audiant, nisi eos obedientia revocaverit ad aliquid faciendum. Festivis verò diebus quibus laborant in æstate pulsato signo ad Cantica omnes surgant. Conversi autem qui fuerint in Abbatia, ad Ecclesiam hora Completorii ire teneantur. Qui verò in grangiis fuerint à Kalendis Novembris usque ad Cathedram Sancti Petri, vigilent circa quartam partem noctis. Et à Cathedra usque ad Pascha, & ab Idibus Septembris sic surgant, ut orationes Vigiliarum & Laudum perficiant ante lucem. A Pascha autem usque ad supradictas Idus Septembris incipiente luce surgere teneantur.

Tam ad Vigilias quàm ad cæteras horas tabula pulsetur in omnibus grangiis, & tanquam Monachi orationes facere teneantur; post erectionem verò & signaculum, si duo fuerint vel plures, prior eorum dicat, *Deus in adjutorium*, &c. & responso *Domine ad adjuvandum*, &c. Ad Vigilias subsequatur prior eorum, *Domine labia mea aperies*, totum versum, cæteris respondentibus tertiò eundem versum. Deinde dicatur sub silentio *Pater noster*, quo dicto dicat prior omnibus audientibus, *Gloria Patri*, & cæteri dicant, *sicut erat*, totum versum, & hoc usque vigesies fiat. Post vigesimum autem *sicut erat*, subsequatur Priore incipiente *Kyrie eleison*, &c. & tunc Prior dicat in audientia totum *Pater noster*, tam ad Vigilias quàm ad omnes horas adjungens *per Dominum*, &c. Cæterique respondeant *Amen*. Deinde dicto à Priore *Benedicamus Domino*, cæteri *Deo gratias* respondeant.

CAPUT III.

De Festivitatibus, Missis, & Communione Conversorum.

IN præcipuis Festivitatibus Conversi non laborant, sed ab operibus requiescunt, videlicet in *Nativitate Domini, & tribus diebus sequentibus, in Circumcisione, Epiphania, Parasceve, in die Paschæ & feria secunda, in Ascensione Domini, Pentecoste & feria secunda, in omnibus solennitatibus Beatæ Mariæ, Philippi & Iacobi, in Nativitate Beati Ioannis Baptistæ, Apostolorum Petri & Pauli, Iacobi Apostoli, Laurentii, Bartholomæi, Matthæi Apostoli, Michaëlis, Simonis & Iudæ, omnium Sanctorum, Martini Episcopi, Andreæ Apostoli, Thomæ Apostoli. In Dedicatione Ecclesiæ* qui sunt in Monasterio non laborant, sed qui fuerint extra terminos operentur: & qui intra, si necesse fuerit, faciant quod eis fuerit imperatum.

Propter penuriam autem Conversorum, & quia ipsos Conversos de majoribus & honestioribus Officiis sive negotiis decet occupari, indulgetur ut qui voluerint in coquinis per servitores Laïcos non suspectos, sed bonæ famæ & conversationis honestæ sibi faciant deserviri.

In solennitatibus quibus Conversi laborant & Monachi feriantur, Conversi qui in Abbatia fuerint, primam Missam tantùm audire teneantur. Solennitates verò transpositas Conversi in grangiis agant, quando & sæculares die suo; in Abbatiis autem sicut & Monachi, ita quòd auditâ primâ Missâ exeant ad laborem. Nullus quoque in grangiis & Abbatiis, Dominicis & Festis diebus quibus Conversi non laborant in vecturis, nisi pro victualibus deferendis, vel Ecclesiis construendis faciat Conversos laborare, nisi necessitas aliter exegerit faciendum. Quibuscunque verò diebus duæ Missæ cantuntur, præcipuisque jejuniis vel quando præsens Defunctus fuerit, Monachus, Novitius, aut etiam Conversus & in solenni Commemoratione Defunctorum, Missarum intersint celebrationi, nisi obedientia aliud præceperit faciendum. In Ecclesia verò, in erectionibus & inclinationibus & cæteris observantiis, sicut Monachi per omnia debent se habere. Ad Aquam verò Bene-

dictam, sicut permiserit uniuscujusque Monasterii dispositio, sic accedant.

Septies verò communicabunt Conversi in anno, nisi quem crebriùs vel rariùs certa de causa Abbas judicaverit accessurum, videlicet in *Nativitate Domini*, *Purificatione Beatæ Mariæ*, *in Cœnâ Domini*, *Paschâ*, *Pentecoste*, *Nativitate Beatæ Mariæ*, *& in solennitate omnium Sanctorum.* Qui verò diebus supradictis communicare non poterunt, die qua competenter occurrere poterunt communicabunt. Conversis verò ab Abbatiis nostris remotis licet extra Abbatias nostras communicare, si tamen Abbati visum fuerit expedire.

CAPUT IV.

De Capitulo, silentio, & disciplina Conversorum.

OMNIBUS *Dominicis diebus* præter eos quibus sermo generaliter in Capitulo Monachorum fit, quibus tantùm Conversi ingrediuntur Capitulum Monachorum, in crastino etiam *Nativitatis Domini*, *Paschæ*, & *Pentecostes*, finitâ Missâ Matutinali ingrediuntur Conversi Capitulum suum, ut teneatur eis Capitulum ab Abbate, vel aliquo alio cui super hoc ipse commiserit vices suas. Qui veniens antequam resideat, cæteris stantibus versis vultibus ad Orientem, dicat *Pretiosa* & cætera quæ sequuntur, more solito Monachorum in via directorum, respondentibus Conversis quæ fuerint respondenda; deinde resideat qui præerit Capitulo, & dicto *Benedicite* & responso *Dominus*, faciat sermonem, quo finito & subjuncto ab omnibus *Amen*, dicat qui præerit Capitulo, *loquamur de Ordine nostro;* Quòd si recipiendus fuerit Novitius, dicat Conversus cui hoc injunctum fuerit, *Novitius est recipiendus*, tunc qui præest dicat, *Conversus quidam est receptus in Capitulo Monachorum, veniat & mittemus eum in ordine suo*, & jussu ejus adducat eum prædictus Conversus, cui petitâ veniâ astanti ante eum exponat breviter asperitatem & vilitatem Ordinis; deinde oret pro perseverantia ejus, & dicto ab omnibus *Amen*, jubeat eum in ordine suo collocari. Tunc petant veniam & proclament, & per omnia agatur sicut in Capitulo Monachorum. Quibus peractis &

dicto *Adjutorium* & responso *Qui fecit &c.* inclinent humiliter & discedant.

Conversus verò qui cuilibet Magistro sibi deputato inobediens fuerit, in Capitulo recipiat disciplinam, & tribus diebus humi residens coram Conversis comedat sine mappa. Ab Octava autem *Pentecostes* usque ad *Nativitatem Domini*, & ab Octava *Epiphaniæ* usque ad *Pascha* omni sextâ feriâ accipiant disciplinam; nisi fuerit aliqua festivitas in qua non laborant, quæ super hoc jusserit indulgendum. Quòd si aliquâ causâ impediatur, die qua expedierit restauretur. Quòd si fortè omninò impediatur, saltem dicant septies *Miserere* vel toties *Pater noster* pro disciplinâ.

In quibuscunque verò officinis tenent silentium Monachi, teneant & Conversi, nec aliquam officinam ingrediantur sine licentia speciali. In Refectorio suo & Dormitorio omninò teneant silentium, & prætet hoc in omnibus locis aliis, nisi fortè jussu Abbatis vel Prioris in aliquo loco determinato loquantur; vel etiam de licentia Cellerarii, si ei data fuerit hæc potestas. Similiter qui in grangiis sunt Conversi teneant silentium & post Completorium, & dum dicunt horas suas. Et sciendum est quòd sine caputiis eis loqui non licet, nisi cùm laborant vel cùm infirmitate corporis detinentur. Qui verò Conversus intra Abbatiam vel extra scienter silentium suum fregerit, aut, prout dictum est, non tenuerit: pœnam fractionis silentii pro qualibet vice sustineat, prout superiùs distinct. 7. capitulo de hujusmodi transgressoribus, est notatum.

CAPVT V.

De Refectione, Cibo, Mixto, & Minutione Conversorum.

CONVOCATIS aliquo signo Conversis ad refectionem, dicant omnes *Benedicite*, & *Kyrie*, & *Pater noster*; deinde prior eorum dicat, *Et ne nos*, & alii respondeant, *Sed libera, &c.* Tunc prior signum faciat dicens, *In nomine Patris & Filii & Spiritus, &c.* & alii respondeant *Amen.* Tunc resideant ad mensam secundùm ordinem

dinem suum comedentes; & si fortè quis tertiò versum in Abbatia perdiderit; ablata portione vini ultimus comedat illa vice. Peracta refectione surgentes prior dicat *Miserere mei Deus* totum versum & alii alium; sicque alternatim dicant alios versus; adjungentes *Gloria Patri*, &c. *Kyrie eleison*, *Pater noster*. Deinde prior *Et ne nos*, & alii *Sed libera*, dicatque *Benedicamus Domino* & alii *Deo gratias*; sicque Ecclesiam ingressi, dicant sub silentio *Pater noster*; factoque signo à priore signantes se & inclinantes discedant. In grangiis quoque illud *Pater noster* non dicant, sed incipientes *Miserere* intrabunt Oratorium sumpto cibo. Eisdem cibis vescentur Conversi quibus & Monachi.

Si quos autem judicaverit Abbas oportere mixtum sumere, in Abbatia sumant illud. Mixti quoque quantitas hæc sit; medietas libræ panis sui vel major quantitas grossioris & aqua. Qui verò in grangiis sunt, non jejunabunt nisi in præcipuis jejuniis, scilicet in Adventu & omni sextâ feriâ ab Idibus Septembris usque ad Quadragesimam; & habebunt singuli libram panis, & insuper de pane quantum necesse fuerit grossiori. Conversi qui in domibus juxta Abbatiam habitant & laborant, juxta pristinam consuetudinem in ipsis domibus comedant, nec aliter liceat immutare.

Conversi non in grangiis, sed in Abbatia minuantur, quando Abbas præceperit hoc agendum: qui autem contempserit; minutionem illam perdat. Conversi verò in Abbatia minuti; tertia die post prandium recedere teneantur; nec ad grangias campanas habeant, nisi parvas nolas si voluerint, ad Conversos in Refectorio, quando necesse fuerit, pro refectione convocandos. Conversi autem qui in villis, grangiis & Cellariis sine cappis (ubi eas habere poterunt) comederint vel biberint, in sequenti die panis & aquæ pœnitentiam sustinebunt.

CAPUT VI.

De Vestitu, Lectis, & Itinere Conversorum.

VESTITUS Conversorum est Cappa; Tunicæ, Caligæ, Caputium tantummodò cooperiens scapulas & pectus; Bubulcis & Quadrigariis tamen & Pastoribus ampliorem mensuram Abbas poterit providere. Pelles quoque

grossæ sint & simplices; quòd si cui Abbati visum fuerit de ipsis grossis pellibus cùm veteres fuerint aliquas operiri, non-nisi de veteri panno fiat. Si quis autem Abbas inordinatum mantellum contra illud quod supradictum est ab aliquo superveniente Converso portari deprehenderit, illum retineat, & qui tali usus fuerit, per annum mantello careat, & in Capitulo vapulet, & sextâ feriâ sit in pane & aqua. Licet autem Conversis quatuor habere Tunicas, si Abbati visum fuerit oportere; solis verò Fabris conceditur habere camisias, non tamen nisi nigras & rotundas. Pelles sylvestres non operantur Conversi nostri, nec catinas, nec caninas, nec varias, nec grisias, seu alias hujusmodi, etiamsi aliqua occasione habere contigerit, nam eas emere non licebit. Conversi in grangiis bottas non habeant, sed nec in Abbatia, nisi fortè propter vigilias alicui concesserit Abbas, sed & ipsæ sint vetustæ. Si quis verò Conversus novas habuerit, donec eas reddiderit, omni sextâ feriâ sit in pane & aqua, & in Capitulo verberetur.

Lectos verò habeant sicut & Monachi præter lenam, & loco ejus utantur pellibus. Conversus verò Converso caput non lavet, nisi de licentia speciali, & nisi fortè ei qui propter infirmitatem sibi lavare non potest: qui contra fecerit, in Capitulo Conversorum verberetur. Conversis etiam conceditur, ut quandocunque Monachi rasuram habuerint, & ipsi rasuram habeant ut in Ordine uniformitas observetur. De Conversis grangiarum, Dominicis & Festivis diebus ad Abbatiam venientibus, in dispositione Abbatis erit secundùm paucitatem vel multitudinem Conversorum & locorum positionem, ut jubeat eos in ordine suo comedere vel seorsum: & cùm ad Abbatiam venerint, ubi competenter fieri poterit, simul veniant, simul comedant & recedant, nec cibis utantur nisi quadragesimalibus, donec communionem Paschalem receperint, licet eam contigerit in Cœna Domini recepisse.

Conversus verò qui in itinere est, teneat silentium in refectione sua & post Completorium, & in omnibus se habeat sicut Monachus, qui in itinere est directus. Qui veniens ad Monasterium vel grangiam Ordinis nostri, per omnia teneat ordinem suum, sicut Conversi faciunt dicti loci; poterit tamen loqui cum Converso stabulario. Conceditur

enim Conversum habere stabularium & ipsum loqui cum Conversis Ordinis nostri; sicut cæteris hospitibus loqui solet. Qui tamen equitant & Conversi mercatores à festo sanctæ *Crucis*, nisi fuerint in grangiis vel Cellariis, jejunium ut Monachi teneant, nisi de Converso secum equitante Abbas, urgente necessitate, aliter duxerit disponendum. Qui aliter facere præsumpserit, uno die sit in pane & aqua; & Conversi de foris venientes, super genua prosternantur.



DISTINCTIO XV.

De Monialibus.

CAPUT PRIMUM.

De Paternitate, Visitatione, & Incorporatione Monialium.

QUICUNQUE Pater Abbas paternitatem Abbatiæ Monialium justo titulo, bona fide, & nomine suæ Abbatiæ *decennio* possederit, illam de cætero possideat pacificè & quietè: motisque jam olim quæstionibus, Ordinis judicio terminatis & sopitis, omnibus de cætero super hoc Capituli Generalis audientia denegetur. Et quicunque Monachorum vel Monialium visitat Abbatiam, in Charta suæ visitationis cujus auctoritate visitat scribere non omittat. Quæcunque verò Abbatissa vel quicunque Conventus Monialium Patrem Abbatem vel alium ab eo missum, ad officium Visitatoris admittere renuerit, *ipso facto* tam Abbatissa quàm Priorissa & Subpriorissa & Celleraria se noverint excommunicationis seu depositionis sententiam incurrisse: Conventus verò interdicti sententiæ supponatur. Patres autem Abbates seu Visitatores de consilio seniorum suorum auctoritate Capituli Generalis secundùm facultates taxent numerum personarum; ita saltem quòd à Monasterio possint habere victum necessarium & vestitum. Quem numerum si Abbatissa vel Priorissa augere præsumpserit, sine Patris Abbatis licentia speciali per receptionem vel alio quoquo modo: absque retractatione aliqua deponantur;

Ita Cap. Gen. an. D. 1152.

& nihilominùs receptio talis pro nulla penitùs habeatur. Nec unquam plus quàm duæ de genere Abbatissæ in uno Monasterio ad regularem habitum admittantur. Abbatissæ verò quæ filias habent, non intersint visitationibus quæ fiunt ab Abbatibus in Monialium Abbatiis: sed ipsi Abbates visitent, corrigant, & statuant quæ secundùm formam Ordinis viderint statuenda. Abbatissæ autem Matres possunt (si postmodùm accesserint) charitativè corrigere, si quæ invenerint corrigenda, dummodò caveant præ omnibus, ut de his quæ statuerit Visitator, minuere, mutare, vel in contrarium statuere omninò aliquid non præsumant; nec ea quæ ipsæ jusserint, redigere in scripturam. Nulla quoque Monasteria Monialium sub nomine vel jurisdictione nostri Ordinis de cætero construantur vel Ordini associentur, maximè cùm illud nobis à Sede Apostolica sit indultum; Monasteria verò quæ jam sunt Ordini nostro sociata, non expirent sine licentia Capituli Generalis.

CAPUT II.

De Inclusione, Confessione, ac Claustris Monialium.

IN Monasteriis in quibus Moniales Ordinis nostri anno Domini millesimo ducentesimo octogesimo nono inclusæ erant, quæque modò sunt, vel in posterùm fuerint, perpetuò sint inclusæ. Aliis verò Monialibus Ordinis universi egressus interdicitur, nisi Abbatissæ tantùm cum duabus Monialibus, vel ad plus cum tribus, & Cellerariæ cum una, quibus exire conceditur ad domorum negotia procuranda, vel propter alias inevitabiles causas; de licentia tamen Visitatoris sui, & hoc ipsum rarissimè fiat & honestè. Abbatissa autem quæ aliter dederit licentiam, deponatur. Moniales verò quas de cætero Ordini nostro incorporari contigerit, quantumcunque firmiùs includi poterunt, ante incorporationem firmiter ac perpetuò includantur.

Omnes Moniales Ordinis loquantur de confessione per fenestram ad hoc congruè deputatam, præter graviter infirmantes; exceptis Visitatoribus, cum quibus de confessione in Capitulo loqui possunt: & nulli confiteantur, nisi Patri Abbati vel cui ipse commiserit vices suas; præsertim

cùm per Domini Papæ privilegium speciale sit inhibitum; ne quis de confessionibus earum se intromittere audeat, nisi de Patris Abbatis licentia speciali. Nec Abbatissæ sive Moniales pro confessione seu absolutione vel aliâ quacunque causâ personaliter accedant ad Capitulum Generale: sed si excommunicatæ fuerint, à Patre Abbate debent absolvi, vel ab alio cui ipse commiserit vices suas. Nec alicui exceptis Visitatoribus, Episcopis & Domini Papæ Legatis permittatur in ipsarum Capitulis prædicare.

Nulla quoque Monialis loquatur cum aliquo, nisi per fenestram benè & spissè ferratam vel *laquericium* modo consimili præparatum, exceptis Abbatissis, Cellerariis & aliis, cùm exierint ad negotia domûs procuranda. Conceditur tamen ut cum bonis & honestis personis interdum loqui liceat loco & tempore congruenti, & Visitatoribus cum quibus licitè loqui possunt; cum personis verò forensibus, nisi sint carnales patres, vel fratres vel sorores aut consanguinei, nulli Moniali liceat habere privata colloquia vel secreta quoquo modo, nisi in præsentia Abbatissæ vel locum tenentis, & in audientia ejusdem, & in loco ad hoc deputato. Quæ aliter fecerit, eidem habitus regularis auferatur.

Per *Laquericium* intellige fenestram reticulatam in laqueari existentem, vel parieti adjunctam & sub laqueari prominentem.

Nullus etiam præter Visitatores Claustrum Monialium ingrediatur, nisi fuerit tam Reverenda persona ac honesta, ut ei sine damno & scandalo ingressus nequeat denegari. Nec pueri in Claustro Monialium erudiri vel nutriri aliquatenùs permittantur, nec puellæ in habitu sæculari. Mulieres etiam sæculares in Claustris ipsarum vel in Infirmitoriis non pernoctent; Conjugatas insuper secum habere non permittantur. Alioquin quandiù prædictæ in dictis locis vel Abbatiis residentiam fecerint corporalem, divina ibidem minimè celebrentur.

In Monasteriis quoque Monialium districtiùs inhibetur, ne quibuscunque personis regularibus vel sæcularibus, nisi in extrema necessitate, carnes de cætero ministrentur; sed cibi conventuales, si necesse fuerit, apponantur una die: ubi autem aliter attentatum fuerit, tam ministrantes quàm ministrari procurantes, per ablationem habitûs puniantur.

CAPUT III.

De Benedictione habitûs, & Correctione Monialium.

BENEDICTIONEM quæ fit super Novitios Ordinis elapso probationis anno, & mutationem habitûs faciant super Moniales Patres Abbates, vel earum Visitatores seu alii Abbates Ordinis, de ipsorum tamen licentia speciali: & solum Abbatissæ nomen, cujus Monialis benedicitur quæ tunc præsens esse tenetur, in professione exprimatur. De receptione verò puellarum ante decennium non facienda, & de his quæ ipsarum intuitu data fuerint Monasterio vel oblata qualiter expendantur; & de consecrationibus Monialium; nulla Abbatissa seu Monialis se intromittat, sed Patrum Abbatum dispositioni totaliter committitur auctoritate Capituli Generalis. Et de cameris etiam statuitur, quòd à nulla habeantur, exceptis illis à quibus Monasteria fundata sunt; sed si quæ jam factæ fuerint vel fiant in posterùm, diruantur. Moniales autem Ordinis omninò nihil habeant proprium sicut nec Monachi.

Universæ autem Moniales Ordini nostro sociatæ, in singulis domibus habitum habeant uniformem, videlicet Cucullam sine mantello, vel mantellum sine Cuculla. Itaque illæ quæ hactenùs mantellos habuerint, habeant illos, sed Cucullis de cætero non utantur. Idem faciant illæ quæ hactenùs usæ sunt Cucullis. Scapularibus tempore laboris utantur, velaminibus semper nigris quæ benedictæ sunt; aliæ albis; & sint sine caputio tam scapularia quàm Cucullæ.

Moniales insuper & Conversæ, si Conspiratrices vel Simoniacæ repertæ fuerint vel rebelles, sub pœna excessui congruente, cum Patrum Abbatum vel Visitatorum suorum literis ad alias domos Ordinis emittantur, non-nisi de licentia Capituli Generalis reversuræ; & Abbatissæ ad quas missæ fuerint, eas recipere teneantur: & ad hoc si obedire noluerint, per Visitatores Ordinis auctoritate Capituli Generalis compellantur. Moniales verò fugitivæ ad Ordinem revertentes, vel in carnali contagio deprehensæ; ad Patrum Abbatum seu Visitatorum arbitrium juxta demerita puniantur: Abbatissæ verò nolentes eas recipere, depo-

nantur. Si quæ verò in casus illos inciderint pro quibus Monachi incarcerantur, illæ carceri mancipentur. Et quia Abbatissæ Capitulum Generale non habent, veniam de suis excessibus tam in visitatione quàm aliàs petant, quoties necesse fuerit, coram ipso Visitatore, & ab ipso Visitatore vel de ejus præcepto à Monachis proclamentur & corrigantur. Hoc idem statuitur de correctione Monialium Ordinis universi.

CAPUT IV.

De Institutione Abbatissarum, & de Capellanis & Conversis earum.

NULLA Monialis Ordinis in Abbatissam promoveatur quæ *trigesimum* ætatis non compleverit *annum*. Quæ verò in Abbatissam assumitur in domum diversi habitûs, eis quas invenerit in habitu se conformet. Cùm aliqua ad officium assumpta fuerit Abbatissæ, officium illud Abbatissa propria eidem injungere non omittat. Abbatissæ autem tantùm in professione utantur Baculo pastorali. *Ita Cap. Gen. ann. D. 1251.*

Conversi verò Monialium completo Novitiatûs anno, in Capitulo ipsarum ante analogium venientes prostrati veniam petant, deinde exposita breviter Ordinis asperitate, perseverantiam promittentes, proprietati ibidem renuntient more Ordinis consueto. Postea libro Regulæ super genua Abbatissæ sedentis apposito, genibus flexis, & manibus super dictum librum positis dicant, *Promitto vobis obedientiam de bono usque ad mortem;* Abbatissa verò dicente, *Deus det tibi vitam æternam*, Conventus respondeat *Amen.* Quibus peractis & osculato libro, mox exeant & discedant. *Ita Cap. Gen. an. 1254.* *An 1254.*

Capellani verò & Clerici earum ad domos Ordinis divertentes, à convictu sæcularium sequestrati in honesto recipiantur loco, & eis ministretur liberaliter & honestè. Confessiones verò Monialium non audiant Capellani, nisi de Patrum Abbatum licentia & assensu: nec de cætero ab Abbatissis absque Patrum Abbatum licentia, & majoris & sanioris partis Conventûs consilio & assensu requisito & obtento, recipiantur in domibus Monialium ad habitum Ordinis Capellani. Illos autem qui jam recepti sunt ad habitum & pro-

fessionem, qui Missas secundùm Ordinis formam & consuetudinem noluerint celebrare, Abbatissæ & Visitatores earum durè corripiant & castigent. Si autem Conversos Monialium per Abbatias Ordinis transire contigerit, poterunt in Refectoriis Conversorum recipi, dummodò eis conformes sint in habitu & tonsura. Moniales quoque Ordinis Provisores suos Procuratores appellent, & nunquam Præpositos vel Priores; nec eos nisi de Visitatoris licentia speciali ulteriùs eligant vel assumant.

DECRETUM CAPITULI GENERALIS.

DISTRICTE præcipitur Abbatibus, Prioribus, Subprioribus & Magistris Conversorum Ordinis universi, ut annis singulis præsentem librum Definitionum ex integro vel ipsi legant, vel in audientia sua faciant sibi legi: qui hoc neglexerit, tribus diebus uno eorum in pane & aqua pœnitentiam sustineat levis culpæ. Visitatores verò Abbatibus denuntient, ut eis, quos invenerint mandati hujus transgressores, infligant pœnitentiam peragendam à Capitulo definitam. Et sciendum est quòd non est intentio Capituli Generalis pro transgressione Definitionum quarumlibet præmissarum, ad culpam, nisi contemptus intervenerit, sed ad pœnas tantùm personas Ordinis obligare. Abbatissis verò, Priorissis, Subpriorissis Monialium Ordinis universi sub pœna levis culpæ tribus diebus uno eorum in pane & aqua firmiter præcipitur, ut hanc Definitionem ad eas specialiter pertinentem cum libro Regulæ colligatam habeant in quaterno conscriptam, & in Capitulo suo coram suo Conventu ex integro annis singulis perlegere teneantur, & observent ipsæ, & ab aliis faciant firmiter observari.



NOMASTI-

NOMASTICON CISTERCIENSE

SEU

ANTIQVIORES ORDINIS CISTERCIENSIS CONSTITVTIONES.

TERTIA PARS.

COMPLECTENS EAS QVÆ TERTIO prædicti Ordinis sæculo sancitæ sunt.




ADMONITIO

IN SUBSEQUENTEM BENEDICTI PAPÆ XII. CONSTITUTIONEM.



CUM *in aliquibus Monasteriis Cisterciensis Ordinis, sub finem secundi aut sub initium tertii illius sæculi abiret in laxamentum Observantia regularis : Cœlo interim clementiùs aspirante, permisit Deus, ut* Iacobus Furnerius *aliàs* Novelli *nuncupatus, patriâ Tolosanus, Monasterii de Bolbona fieret Monachus, ac subinde Fontisfrigidi ejusdem Ordinis Abbas, tum Episcopus Appamiensis, ac subinde Mirapicensis & Cardinalis tituli S. Priscæ, ac tandem, ut ipse ait,* successivis prælationum honoribus summi conscenderet Cathedram Pastoratûs. *Is ergo suscepto summo Pontificatu, nomen & zelum Sancti Benedicti parentis sui arripiens, duplici Constitutione, unâ quidem pro Cluniacensibus cæterisque Monachis nigris, alterâ verò pro Cisterciensibus, utrosque ad sanctiorem vivendi rationem, strictioremque Regulæ Observantiam studuit revocare, anno Pontificatûs sui primo, & Incarnationis Dominicæ millesimo trecentesimo trigesimo quinto.*





CONSTITVTIO
D. BENEDICTI PAPÆ XII. PRO REFORMATIONE ORDINIS CISTERCIENSIS.

CAPVT PRIMVM.

Prædicti Ordinis Reformationi vult hic Summus Pontifex incumbere; tum ob primam illius sanctitatem, tum ob illius habitum ab ipso adhuc adolescente susceptum.

Anno Dom. 1335. Cisterc. 237.



ENEDICTVS EPISCOPVS, SERVVS SERVORVM DEI, ad perpetuam rei memoriam. Fulgens sicut stella matutina in medio nebulæ, sacer Cisterciensis Ordo in Ecclesia militante strenuè militat operibus & exemplis, fervideque satagit per sanctæ contemplationis applausum, & innocentis vitæ meritum, montana scandere cum Maria: seque per exercitium laudabilium actionum, & pensum piorum operum curiosum, Marthæ satagentis officio conformare. Hic nempè Ordo in divini cultûs ministerio sedulus, ut sibi & aliis proficiat ad salutem; in sacræ lectione paginæ studiosus, ut ad perfectam excellentiæ supernæ cognitionem valeat pervenire; præstans & promptus in operibus Charitatis, ut adimpleat legem Christi, à mari usque ad mare palmites suos meruit dilatare: quia gradualiter ad virtutum culmina patenter ascendit, ac proinde per sacri Pneumatis inflammantis corda debilia fistulas, gratiis abundavit; dignumque se reddidit à Romanâ Ecclesiâ, Ecclesiarum omnium magistrâ, gratiosis favoribus communiri. Hujus quoque Ordinis ab adolescentia perseveranter jugum sustulimus, & in eo alumni

effecti, per temporum curricula diuturna, crevimus tam in illo quàm extra ipſum ſucceſſivis Prælationum honoribus, & tandem conſcendimus (quanquàm immeriti) ſummi Cathedram Paſtoratûs. Licet autem, exigente Apoſtolici magiſterii curâ, cujuſlibet Ordinis approbati incrementùm felix & floridum plenis affectibus in eo zelemur, à quo cœlicæ ac terrenæ ſalutis perfectio derivatur: eundem tamen Ciſtercienſem Ordinem acie internæ devotionis & charitatis aſpicimus, & ea quæ ipſius ſalutem & proſperitatem reſpiciunt, quantum æterni Patris beneplacitis gratificari credimus, favorabiliter promovemus.

Sanè recenſentes memoriter, quòd ab olim, dum eramus intra Ordinem prælibatum, certa nos experientia inſtruebat, quòd ſuper quamplurimis articulis inferiùs explicatis, Ordo ipſe Apoſtolicæ proviſionis remediis indigebat: Nos hactenùs & moderno tempore ſuper eis & nonnullis aliis, à dilectis filiis Guillelmo Ciſtercienſi, Ioanne de Firmitate, Ioanne de Claravalle, & Raynaldo de Morimundo, Monaſteriorum dicti Ordinis Cabilonenſis & Lingonenſis diœceſis Abbatibus, diligenti collatione præhabitâ, ſuper his omnibus plenariè informati, dignum duximus, pro urgenti neceſſitate ac evidenti utilitate Ordinis memorati, ſuadentibus etiam aliis juſtis & rationabilibus cauſis, Statuta & Ordinationes, prout ſeries ſubſcripta deſcribit, auctoritate Apoſtolicâ edere: quæ volumus & decernimus ſolidam habere roboris firmitatem, eaque debere perpetuis futuris temporibus firmiter obſervari. Videlicet,

CAPVT II.

Quòd quilibet Conventus proprium debeat habere ſigillum, & quòd nunquam niſi ſub certâ & præfixa juris ratione, Monaſteriorum bona & redditus eorundem diſtrahi debeant aut divendi.

CVM cautelæ proviſio in omnibus ſit habenda, & præcipuè ne paulatim deveniat in collapſum, quod eſt antiquitate vel prolixitate prædicti temporis acquiſitum:

Statuimus ac etiam Ordinamus, quòd quilibet Conventus cujusvis Monasterii seu alterius loci conventualis dicti Ordinis, habeat proprium & speciale sigillum.

Et quòd quilibet Abbas Monasterii, sive alterius loci conventualis administrationi principaliter Præsidens ejusdem Ordinis, & etiam Abbas Cisterciensis, qui est pro tempore, antequàm Abbatiæ suæ vel administrationi hujusmodi se immisceat, juramentum præstare ad sancta Dei Evangelia teneatur; quilibet etiam inferior Abbas in manibus Patris Abbatis, qui electionem de ipso factam confirmare habebit, & in præsentia sui proprii Conventûs, nec-non ipse Abbas Cisterciensis, qui est pro tempore, suo Conventui & prænominatis tribus, nec-non Monasterii de Pontigniaco dicti Ordinis Antisiodorensis diœcesis, Abbatibus, si apud dictum Monasterium Cisterciense præsentes extiterint: quòd possessiones vel jura ad suum Monasterium vel alium conventualem locum ejus pertinentes seu pertinentia non vendet, nec alienabit, nec impignorabit, neque de novo infeudabit, nec per aliquem modum donabit, nisi per modum inferiùs designatum. Et hoc idem illi qui nunc sunt Abbates Monasteriorum seu aliorum conventualium ipsius Ordinis regimini Præsidentes, teneantur juramentum præstare infra sex menses, postquàm Statutum & Ordinatio hujusmodi publicata fuerint in proximo secuturo Capitulo Generali ejusdem Ordinis.

Quòd quotiescunque alienationem rei immobilis, vel jurium alicujus Monasterii, vel alterius loci conventualis dicti Ordinis, vel diminutionem censuum, seu pensionum, vel canonis, aut venditionem arborum sylvarum non cæduarum imminere contigerit faciendas: tractatus duorum dierum ad minùs interpolatorum diligens ac maturus præcedere debeat, habendus per Abbatem Monasterii seu Præsidentem regimini alterius loci conventualis cujus erunt res, jura, census, pensiones, canon, & sylvæ hujusmodi, cum suo Conventu Monasterii seu alterius loci conventualis præfati. Et nihilominùs alienatio seu venditio hujusmodi fiat de consensu ipsius Conventûs, vel majoris & sanioris partis ejusdem: & quòd de tractatu & consensu jam dictis, scriptura conficiatur authentica, in qua nomina & cognomina tractantium & consentientium,

& sigilla Abbatis Monasterii, vel Præsidentis regimini alterius loci conventualis, & Conventus Monasterii seu loci hujusmodi appónantur. Et antequàm procedatur ad alienationem seu venditionem ipsam, petatur & obtineatur licentia super hoc ab ipsius Ordinis Capitulo Generali: & subsequatur discussio super alienatione seu venditione hujusmodi facienda per duos Abbates ejusdem Ordinis ab eodem Monasterio seu alio conventuali loco non remotos, per dictum Generale Capitulum deputandos, & cùm approbatione duorum Abbatum præfatorum: quodque tam Abbas Monasterii seu Præsidens ipsi conventuali loco, quàm duo Abbates prædicti, & etiam Pater Abbas ejusdem Monasterii seu alterius loci conventualis, cujus res, jura, census, pensiones, vel canon, aut sylvæ hujusmódi alienanda seu vendenda fuerint, juramentum præstent ante discussionem prædictam; quòd in præmissis fideliter se habebunt, omni dolo & affectione inordinatâ remotis: & quòd etiam fiat de causis alienationis aut venditionis hujusmodi & solennitatibus præfatis, per quatuor Abbates prædictos & Præsidentem ipsi conventuali loco sub eorum sigillis, plena & fidelis relatio in proximo subsequenti Generali Capitulo antè dicto; ut videatur, si circa hæc omnia debitè processerunt.

Verùm, cùm Monasterium seu alius conventualis locus, castrum, villa, grangia, vel res alia multùm notabilis, alienandum, vel alienandus, seu alienanda fuerit: Capitulum Generale ipsius Ordinis alienandi licentiam concedere non præsumat, nec procedatur ad eam quovis modo faciendam vel auctorisandam; nisi priùs per idem Capitulum Generale, Romano Pontifice consulto, & ab eo super hoc licentiâ petitâ & obtentâ. Si verò aliter quàm præmissum est, aliquis Abbas vel regimini Præsidens alienare præsumpserit: tam ipse quàm Officiales Monasterii ipsius seu loci conventualis in hac parte consentientes eisdem, ab administrationibus suis per Patrem Abbatem deponantur eorum; & alienatio hujusmodi sic præsumpta, sit ipso jure irrita & inanis.

Cæterùm, si propter alicujus Monasterii seu loci conventualis debita exsolvenda, vel ut aliquid aliud, quod eidem Monasterio seu conventuali loco sit utilius, acqui-

ratur, aliquid alienandum extiterit: pecunia quæ inde habebitur, ad nullos usus alios quàm in acquisitionem, seu debitorum solutionem hujusmodi convertatur: & si secùs actum fuerit, Abbas Monasterii vel alius Præsidens conventuali loco; pecuniam hujusmodi ad usus alios, ut præfertur, convertens vel conversioni hujusmodi consentiens, ab administratione sua per Patrem Abbatem deponatur ipsius. Cæteri verò Monachi participes vel consentientes in idipsum, sint ad quodcunque officium seu administrationem ejusdem Ordinis inhabiles *ipso facto*.

Nec pecunia ipsa in solius Abbatis seu alterius regimini Præsidentis, aut Bursarii alicujus eorum remaneat potestate; sed reponatur in aliquo securo loco, sub quatuor seraturis & diversificatis clavibus: quarum primam teneat Abbas Monasterii seu loci conventualis regimini Præsidens; secundam Bursarius; tertiam Prior claustralis, & quartam alius Monachus ipsius Monasterii seu loci conventualis, de quo ejusdem Monasterii seu loci conventualis Conventui vel majori parti ejusdem expedire videbitur, fideliter conservanda.

Volumus etiam, quòd circa concessiones jurium aut redituum alicui ad vitam ejus vel aliud certum tempus, & circa locationes vel etiam redituum aut fructuum venditiones ultrà quinquennium faciendas, præmissa forma per omnia servetur: hujusmodi tamen consultatione ac licentiâ Romani Pontificis, & etiam licentiâ dicti Generalis Capituli, & relatione in eo facienda, exceptis.

Permittimus tamen, quòd parvæ, steriles, & inutiles possessiones concedi possint sub annuo censu pecuniario, vel sub certa portione, seu quota proventuum, ad tantum tempus quantum visum fuerit Abbati alicujus Monasterii vel Præsidenti regimini loci conventualis ejusdem Ordinis; præcedente tamen maturo & diligenti tractatu habito cum suo Conventu, & de consensu ipsius vel majoris & sanioris partis ejusdem: præstitoque primitùs juramento per ambos Abbates prædictos, eodem Conventu præsente, quòd concessionem hujusmodi facere intendunt pro utilitate Monasterii seu loci conventualis, cujus erunt possessiones prædictæ. Et si aliter hujusmodi concessio facta fuerit, eo ipso sit irrita & inanis. Si autem multitudo dictarum possessionum,

sessionum, quamvis parvarum, sterilium vel inutilium; existeret concedenda; tunc ante hujusmodi concessionem earum consulatur idem Capitulum Generale, ac ipsius super hoc habeatur licentia, prout superiùs est dictum. Abbas verò vel Præsidens regimini loci conventualis, si contrarium attentare præsumpserit, ac Officiales ipsius Monasterii seu loci conventualis super hoc ei consentientes, per eorum Patrem Abbatem à suis administrationibus deponantur.

CAPVT III.

Quandonam & quomodo mutuum sit contrahendum: & quod quibuslibet instrumentis ea de re vel alia qualibet confectis, tam Abbatis quàm Conventûs debeant apponi sigilla.

INSVPER, quia plerumque contingit imminere necessitatis articulum, in quo ex diversis causis expedit Abbatibus & Præsidentibus principaliter regiminibus aliorum locorum conventualium contrahere mutuum: hanc provisionis cautelam modificatam in hac parte volumus adhiberi, quòd nullus Abbas vel alius loci conventualis regimini Præsidens ipsius Ordinis, sine consensu proprii Conventûs mutuum recipere valeat; & quòd in authentica scriptura obligationis inde faciendæ apponantur eorundem Abbatis vel regimini Præsidentis & Conventûs sigilla. Sed si Abbas à suo Monasterio vel regimini Præsidens ab ejus conventuali loco remotus existeret, talisque urgeret necessitas, quòd sine receptione mutui sibi, familiæ suæ, aut negotiis utilibus, seu causis per eum agendis providere non posset: permittimus, quòd tunc sine suo Conventu & ejus sigillo mutuum recipere valeat; quod tamen summam centum librarum, Turonensium parvorum, seu valorem ipsarum, sive integraliter, seu particulariter non excedat. Cujus mutui quantitatem, causam obligationis ac personam à qua illud receperit Abbas vel alius regimini Præsidens mutuum ipsum recipiens, infrà octo dies post ejus regressum ad Monasterium proprium vel suum conventualem locum, ipsius Conventui ad hoc specialiter

congregato; explicare plenariè teneatur: Et quòd ex quò semel usque ad hujusmodi summam centum librarum mutuum receperit, non possit ampliùs mutuum recipere sine consensu & sigillo Conventûs ejusdem, donec dictæ centum libræ fuerint integraliter persolutæ. Quicunque autem Abbas vel aliùs Præsidens regimini loci conventualis per se vel alium contrà fecerit, eo ipso ab ingressu Ecclesiæ ac divinis officiis sit suspensus.

Et quia gesta hominum scripturæ fidei committuntur; ut rei gestæ memoria in posterùm habeatur: volumus & ordinamus, ut ubicunque Abbates vel alii locorum conventualium regiminibus Præsidentes, aliquid cum expresso suorum Conventuum consensu facient, de quo testimonialis conficiatur scriptura, quòd sigilla ipsorum Abbatum vel aliorum regiminibus Præsidentium, eorumque Conventuum apponantur in illa: & quòd deinceps in sigillo cujuslibet Abbatis vel alterius loci conventualis regimini Præsidentis, quocunque nomine censeatur, ipsius nomen proprium exprimatur; ut meliùs sciri possit, per quem & cujus tempore id, de quo agetur, factum extiterit, & ut malitiis & falsitatum commentis meliùs via præcludatur.

CAPUT IV.

De Officiariis Monasteriorum, ac subinde de juramento ab illis præstando, & de rationibus tam per eos quàm per Abbates reddendis.

PRÆTEREA, cùm sit consonum rationi, ut negotiorum gestores & Officiales de gerendo fideliter & utiliter negotia, & officia exercendo illis commissa juramenti vinculo astringantur: volumus & ordinamus, quòd Cellerarii, Bursarii, negotiorum Gestores, Rentarii nuncupati, cæterique Officiales cujuslibet Monasterii seu alterius loci conventualis, & eorum grangiarum Magistri, cùm ad officia vel magisteria hujusmodi assumentur, juramentum præstare teneantur in manibus eorum Abbatis, vel alterius loci conventualis regimini Præsidentis, suique Conventûs, quòd in commissis sibi officiis, administra-

tionibus, vel grangiis fideliter se habebunt; & quòd de receptis & expensis fidelem computum reddent, & reliqua ipsi Monasterio seu conventuali loco, aut eorum Bursariis assignabunt: & quòd illi Cellerarii, Bursarii, negotiorum gestores, Officiales & Magistri qui nunc sunt, præstare teneantur simile juramentum.

Et quia, ubi prudentia & moderantia fidei firmitate vallatæ non vendicant sibi locum, luxus inest, longique temporis victum brevis hora consumit: decet & expedit, ut per dispensatores prudentes & fideles, quæque manu teneatur substantia, & etiam dispensetur. Vnde statuimus & etiam ordinamus, quòd in singulis Monasteriis & aliis conventualibus locis prædicti Ordinis, per Abbatem seu alium regimini Præsidentem, de seniorum sui Conventûs consilio duo Bursarii deputentur, quorum unus principalis existat: qui siquidem Bursarii omnes pecunias ipsius Monasterii vel loci conventualis undecunque provenientes universaliter recipiant, & de dicti Abbatis vel regimini Præsidentis mandato cæteris Officialibus & aliis distribuant, prout fuerit opportunum: ipsique Bursarii quater in anno, sed cæteri Officiales & receptores proventuum semel, & etiam pluries, si eidem Abbati vel regimini Præsidenti videbitur expedire, de omnibus receptis & expensis coram prædicto Abbate vel regimini Præsidente, ac senioribus de Conventu ipsius Monasterii seu loci conventualis, teneantur plenissimam & fidelem reddere rationem.

Abbates etiam vel regimini Præsidentes, coram dictis senioribus & Bursariis annis singulis de receptis & expensis per eos plenam & fidelem rationem reddere teneantur: recipiantque ipsi Abbates vel regiminibus Præsidentes à dictis Bursariis pecunias pro expensis eorum. Et si, dum ipsi extra Monasteria vel alia conventualia loca eorum accesserint, eos pecunias contingat de proventibus Monasteriorum seu locorum conventualium eorum, aut aliundè recipere: hujusmodi pecunias in ipsorum regressu reddant Bursariis prælibatis, computatis, si quas de ipsis pecuniis expenderint. Abbates verò seu alii regiminibus Præsidentes, si secùs attentare, vel sibi talia retinere præsumpserint, ab ingressu Ecclesiæ & à divinis post lapsum duorum mensium à

die regressûs hujusmodi computandorum; tandiù suspensi existant, donec ea tradant Bursariis memoratis.

CAPUT V.

De Visitatoribus Ordinis, & de his ad quæ tenentur tam illi quàm qui visitantur ab illis.

PORRÒ, quia per visitationis actum de vita & conversatione illorum qui visitantur, exquiritur; & per eum sincerè debet correctionis & reformationis officium exerceri; nec proinde hi juxta Canonicas etiam sanctiones, superfluis sunt impendiis aggravandi: Statuimus ac etiam ordinamus, quòd Visitatores dicti Ordinis in aliquo Monasterio per eos visitando, antequàm officium visitationis incipiant, non-nisi primâ die, quâ ad illud declinabunt, valeant demorari; & si manere ibi voluerint, sequenti die duntaxat licitum sit eisdem: & quòd visitationes in eodem Ordine faciendæ deinceps non durent ultra triduum continuum, nisi apparens necessitas, vel magna utilitas Monasterii visitandi dies exposceret ampliores: quodque ille Visitator qui ultrà istos primos dies duos, vel ultrà præfatum triduum absque necessitate vel utilitate præfatis, easdem visitationes prorogare præsumpserit; si Abbas fuerit, sit à stallo Chori & loco Capituli Abbatialibus per unum sequentem annum eo ipso suspensus, & sedere in stallo & loco Capituli remotis à stallis & locis Abbatialibus teneatur. Si verò fuerit Monachus, eo ipso sit per annum sequentem inhabilis ad quodcunque officium & administrationem seu gubernationem in eodem Ordine obtinenda: & nihilominùs per sex menses sequentes in pane & aquâ in suo Monasterio jejunare qualibet sextâ feriâ teneatur: & quòd similes pœnas incurrant Abbates & Monachi, qui visitationis officium impendendo, numerum evectionum per felicis recordationis Clementem Papam IV. prædecessorem nostrum super hoc taxatum excedent.

Nec præsumant Visitatores ipsi ante hujusmodi eorum visitationem, vel in ipsâ seu post eam, occasione dictæ visitationis aliquod munus suspectum, per se vel per alium

recipere, nec illud à suis recipi permittant: expensas tamen, quas fecerint ad visitatum Monasterium eundo & de ipso redeundo, recipere valeant juxtà ordinationem super hoc factam per Clementem eundem. Ubi autem à Monasterio jam visitato ad Monasterium visitandum, aliquod vel aliqua Monasteria in itinere constituta extiterint, ad quæ dicti Visitatores possint commodè declinare: hoc ipsi efficere valeant, dictaque Monasteria taliter constituta, eosdem Visitatores charitativè recipere, decenterque tractare ac eis providere in victualibus teneantur; & pro diebus quibus ad hujusmodi constituta, ut præfertur, Monasteria declinabunt, & eis, ut prætangitur, provisum extiterit, nullas expensas possint à Monasteriis seu locis visitatis recipere. Abbas autem contra prædicta recipiens, nisi infrà duos menses à receptione hujusmodi computandos, eis à quibus receperat receptum restituat: ipsis elapsis, duplum restituere teneatur; Monachus verò quicquid contra id receperit, restituere non postponat; & ob hoc, regulari subjaceat disciplinæ.

Nec audeant præfati Visitatores in ipsis visitationibus sibi alios Abbates adjungere, nec ipsi alii Abbates se illis adjungant, nisi pro consilio & auxilio, ubi casus depositionis alicujus Abbatis, vel aliud magnum & arduum negotium, seu patriæ vel locorum per quæ transire haberent, periculum immineret, seu interpretatio linguarum necessaria foret. Veruntamen Cisterciensis & quatuor Abbates quatuor principalium filiarum, qui sunt pro tempore ac superiùs nominantur, in eisdem visitationibus unum alium Abbatem (si velint) secum recipere, vel sibi adjungere valeant. Neque prædicti Visitatores nomina eorum, qui eis in ipsis visitationibus secreta revelaverint aliqua, ea revelare præsumant, nisi tunc demùm, cùm propter revelata hujusmodi, ad alicujus punitionem vel pœnam fuerit procedendum: nec-non revelantes hujusmodi puniantur, prout facti qualitas exiget, secundùm arbitrium ipsius Ordinis Capituli Generalis. Et quòd Abbates majores post Abbatem Cisterciensem, & quatuor alii Abbates earundem principalium filiarum, qui sunt pro tempore, extra visitationes eorum sex tantùm, alii verò minores Abbates quatuor evectionibus sint contenti: nec hoc prætextu

qui paucioribus uti solebant, credant sibi potestatem plurium attributam.

CAPUT VI.

De Hospitalitate Abbatibus & Monachis ultrà biduum non impendendâ extra casum infirmitatis.

RURSUS præcavere volentes, ne per Abbates vel Monachos dicti Ordinis, declinantes ad alia Monasteria ejusdem Ordinis, veniendo ad hujusmodi Capitulum Generale, vel de illo redeundo seu aliàs, hujusmodi alia Monasteria plus debito aggraventur: Statuimus & Ordinamus, quòd Abbates aut Monachi præfati ad idem Capitulum venientes, vel de ipso redeuntes seu aliàs, tanquam hospites ad aliquod Monasterium, seu locum conventualem jam dicti Ordinis declinantes, non remaneant in eodem Monasterio seu conventuali loco vel in aliis eorum locis ad expensas ipsius Monasterii aut loci conventualis, vel aliorum locorum ipsorum, ultrà diem quâ illuc declinaverunt & sequentem, ipsi vel aliquis de familia eorundem, nec ultrà dictos dies Abbas vel Cellerarius, aut aliquis alius dicti Monasterii seu loci conventualis, aut aliquorum locorum eorundem ipsos invitare vel ampliùs eis aliquid ministrare præsumat. Quòd si ex aliqua rationabili causâ, ipsi vel aliquis de familia eorundem ampliùs remanere voluerint: expensas quas ibi tunc fecerint, de bonis proprii Monasterii vel aliundè procuratis, solvere teneantur. Quicunque verò contrarium fecerint, tam dantes, quàm recipientes de inobedientiâ & transgressione hujusmodi Statuti & Ordinationis nostrorum, per Generale dicti Ordinis Capitulum puniantur. Sed per prædicta, nullum jus ipsorum declinantium alicui acquiratur, etiam per ipsos duos dies vel aliàs ad aliquod Monasterium seu locum conventualem ejusdem Ordinis aut locorum eorum declinandi, aut in eorum aliquo remanendi: hoc tamen salvo, quòd circa patenter infirmantes solita charitas & pia hospitalitas observetur.

CAPVT VII.

Quòd cessante impedimento, singuli Abbates debeant convenire ad Capitulum Generale.

QVIA verò ideo sunt hujusmodi Generalia Capitula instituta, ut in eis de statu Monasteriorum & aliorum locorum regularium, ac de reformatione Ordinis & Observantia regulari, tractatus debeat diligens adhiberi: dignum & debitum fore dignoscitur, ut ad illa conveniant universi quibus id imminet, præpeditionem Canonicam non habentes. Quare statuimus & etiam ordinamus, quòd Abbates ipsius Ordinis, qui de cæterò non venerint ad dictum Capitulum Generale, qui venire tamen tenebantur secundùm Ordinis prædicti Statuta, non habentes impedimentum legitimum seu licentiam specialem ab eo qui dare possit eandem: exhibere teneantur duplum ejus quod expensuri essent, ad idem Capitulum veniendo, & redeundo de illo, duplumque hujusmodi solvere in sequenti Capitulo Generali, in utilitatem ipsius Generalis Capituli convertendum. Et quòd possint Definitores ejusdem Capituli Generalis tales Abbates non venientes ad duplum hujusmodi exsolvendum auctoritate Apostolicâ per Censuram Ecclesiasticam, sublato appellationis obstaculo, coarctare: eorumque super hoc processum habendum & ferendas sententias publicare ac facere publicari; quodque circà ipsum duplum in totum vel in partem nulli fieri valeat gratia vel remissio indulgeri. Illi verò Abbates qui legitimum impedimentum seu licentiam hujusmodi asseruerint se habere, illa Conventibus suis tempore quo iter eundi ad dictum Capitulum arripere deberent, exponere teneantur. Et nihilominùs subsequenter de dictis impedimentis sive licentiâ in dicto Generali Capitulo fidem facere per suum procuratorem seu excusatorem probum & idoneum virum, habentem speciale mandatum præstandi juramentum in animam ipsius mittentis, causas absentiæ ac impedimentum hujusmodi vera esse: quod quidem juramentum præstare teneatur, si visum fuerit Abbati Cisterciensi qui est pro tempore, ac Præsidentibus eidem Capitulo Generali. Et si Abbas ac Præsidentes Præ-

lati tale impedimentum & licentiam ipsam non esse legitima fuerint arbitrati: tales Abbates qui ad idem Capitulum nequaquam venerint, declarent incurrisse pœnam solvendi præfatum duplum; quemadmodum est præmissum.

CAPUT VIII.

De Contributionibus Ordinis.

QUIA verò nonnulli, sicut accepimus, ad solvendum Contributiones quæ in eodem Ordine pro necessitatibus & usibus communibus & aliàs consuetis ipsius Ordinis pro tempore imponuntur, se reddunt difficiles & remissos: Nos adversus eos, & circa negotia Contributionum ipsarum, aliaque illa contingentia, prout sequitur, duximus providendum. Videlicet quòd Abbati Cisterciensi, & quatuor Coabbatibus principalium filiarum supradictis; & qui pro tempore fuerint & cuilibet eorundem auctoritate Apostolicâ, remoto appellationis obstaculo, per censuram Ecclesiasticam & per alia remedia juxta dicti Ordinis Instituta & Observantias consuetas, aliaque opportuna remedia compellendi eos quibus dictæ Contributiones pro tempore impositæ fuerint ad solvendum easdem: & ad id etiam coarctandum recusantes seu negligentes solvere præfatas Contributiones jam impositas, & quosvis alios impedimentum præstantes publicè vel occultè, quominùs Contributiones prædictæ solvantur: ad resistendum prorsùs ab impedimento hujusmodi nec-non processus habendos, ac excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliasque sententias ferendas, in tales recusantes, negligentes & impedimentum præstantes nunc & in posterùm in eorum & aliis Monasteriis & locis circumvicinis dicti Ordinis, prout fuerit opportunum, ac in Generali Capitulo ipsius Ordinis publicandi & publicare faciendi plenam atque liberam concedimus tenore præsentium potestatem.

Volumus autem, quòd prædictas Contributiones deinceps recipiant tres Abbates dicti Ordinis, ad hoc per ipsum Generale Capitulum seu per Definitores ejusdem annis singulis deputandi, qui juxta ordinationem dicti Capituli seu Definitorum ejus pro necessitatibus, usibus

commu-

communibus aliiſque conſuetis jam dicti Ordinis diſpenſent eaſdem. Et ſi quid de ipſis Contributionibus ſuperfuerit, in aliquo Monaſterio ſecreto ad hoc per dictum Capitulum vel per ipſius Definitores eligendo ponatur: & ſub proviſione cuſtodiæ per ipſos tres Abbates ſuper hoc adhibendâ, ſub tribus ſeraturis & diverſificatis clavibus, de quibus quilibet ipſorum trium Abbatum ſuam clavem teneat, fideliter conſervetur. Tenebuntur namque præfati tres Abbates in ſubſequenti Capitulo Generali de receptis & expenſis per eos, Definitoribus ipſius Capituli Generalis reddere rationem; & illud quod reſtabit, ipſi Capitulo ſeu Definitoribus ipſius Capituli cuſtodiendum reſtituere, modo præmiſſo per alios tres Abbates per ipſum Capitulum ſeu Definitores ejus, ut prætenditur, deputandos: dictique tres Abbates quando ad prædicta deputabuntur, juramentum præſtabunt, quòd in recipiendo, cuſtodiendo & expendendo Contributiones prædictas, ac in reddendo rationem de ipſis, fideliter ſe habebunt. Poterunt autem dicti tres Abbates receptores modo prædicto à Generali Capitulo ſeu Definitoribus ipſius Capituli deputati de ipſorum Abbatis Ciſtercienſis, & quatuor Coabbatum totidem principalium filiarum conſilio, certis perſonis fidelibus & diſcretis annis ſingulis vices ſuas committere ad recipiendum Contributiones in Generali Capitulo non ſolutas; ſi quidem diſcreti præſtabunt ſolenniter juramentum, quòd præfatas Contributiones recipient, levabunt, exigent, & ſervabunt fideliter, & ad ſequens Generale Capitulum dictis Commiſſariis Generalis Capituli ſeu Definitorum ejus integraliter deportabunt, dictique tres Abbates rationem reddent coram eiſdem Abbate Ciſtercienſi & quatuor Coabbatibus totidem principalium filiarum, ſi omnes ipſi præſentes fuerint, necnon coram ipſis Definitoribus quos præfati Ciſtercienſis & quatuor Abbates in Divione decreverint retinendos.

Volumus quoque quòd fiat ſpeciale ſigillum quo literæ ſolutionis Contributionum dicti Ordinis de cætero ſigillentur. Quod quidem ſigillum ſub tribus ſeraturis & diverſificatis clavibus penes dictos tres Abbates vel in aliquo Monaſterio, de quo eis magis expedire videbitur, apud aliquem vel aliquos, quem vel quos eligendum vel eli-

gendos decreverint modo prætacto servetur. Prædictæ tamen personæ, quibus de dictorum Abbatis Cisterciensis & quatuor Coabbatum dictarum totidem principalium filiarum consilio ipsi tres Abbates, ut prædicitur, committent vices suas dùm non solutas Contributiones receperint, poterunt de solutionibus particularibus, quæ fient extra Capitulum Generale, recognitiones facere sub eorundem sigillis propriis; sed illa quæ fient postmodùm eis sigillabuntur prædicto speciali sigillo. Præmissa verò circa ordinationem Contributionum sic exactè ac diligenter observentur in Ordine antedicto, quòd etiam per Generale Capitulum, vel alium seu alios quoslibet quovis colore quæsito, contrà ea nihil fieri præsumatur: & si quis secùs attentare præsumpserit, incurrat excommunicationis sententiam *ipso facto*.

CAPUT IX.

De Receptione Novitiorum.

NEMPE cautiùs providere volentes, quòd pro divino cultu & aliis officiis præstandis in Ordine prælibato, personæ recipiantur idoneæ ipsis officiis congruentes: Statuimus & ordinamus, quòd de cætero in eodem Ordine non recipiantur in Monachos vel Conversos, nisi personæ idoneæ ad ea quæ conveniunt Monachis vel Conversis prædicti Ordinis, & nisi per Abbates Monasteriorum, vel principaliter Præsidentes regiminibus aliorum locorum conventualium ipsius Ordinis, & infrà Monasteria seu loca hujusmodi cum consilio seniorum de Conventu, seu majoris vel sanioris partis eorum Monasterii vel alterius loci conventualis, in quo Monachorum vel Conversorum fiet receptio prædictorum: si secùs actum fuerit, carere juribus decernentes.

CAPUT X.

De Modestia in vestimentis, supellectili, ac famulis retinendâ.

PROFECTO, quia honestas, temperantia, & modestia debent in cunctis personis Ecclesiasticis & ma-

ximè regularibus, divinis laudibus sedulius dedicatis, locum præcipuum obtinere: Statuimus & etiam ordinamus, ut omnes Abbates & Præsidentes regiminibus aliorum locorum conventualium & Monachi ejusdem Ordinis, pannis bruni vel albi coloris duntaxat utantur: & quòd domicellum seu domicellos de vestibus vel robis partitis aut virgatis indutum vel indutos, seu aliàs pretiosis ducere non præsumant; quodque à curiositate ac superfluitate vasorum argenteorum, lectisterniorum & quorumlibet ornamentorum curent penitùs abstinere. Contrarium verò facientes, per Patres Abbates eorum & per Visitatores, vel per Capitulum Generale ipsius Ordinis taliter puniantur, quòd metus pœnæ aliorum sic excedere volentium meta existat. G.-llice. Laquais a livrée

Et quòd Abbates Monasteriorum & Præsidentes regiminibus aliorum locorum conventualium dicti Ordinis, exceptis Abbate Cisterciensi & quatuor Coabbatibus totidem principalium filiarum supradictis, qui sunt & pro tempore fuerint, ultrà unum sæcularem Clericum sive Laïcum equitantem secum ducere non præsumant.

CAPUT XI.

Esum carnium extrà casum infirmitatis severiori censurâ proscribit.

QUIA verò, personas regulari observantiæ deditas decet potissimùm ab esu prohibitorum cibariorum, tam virtutis amore quàm pœnæ formidine abstinere, ne ab eis in gastrimargiæ lubricum descendatur: auctoritate præsentium firmiter inhibemus, ne deinceps Abbates & Monachi dicti Ordinis extrà Monasteria seu loca conventualia ejusdem Ordinis, & etiam ipsi Monachi infrà Monasteria seu loca hujusmodi, aut in Cameris & extra Infirmitorium commune carnes vel pulmenta cum carnibus condita vel decocta præsumant comedere, contrà Observantiam dicti Ordinis diutiùs observatam. Nos enim licentias quas aliqui Abbates & Monachi jàm dicti Ordinis dicunt à Sede Apostolicâ super esu carnium se habere, cùm tales licentiæ redundent in scandalum aliorum, pe-

mitùs revocamus. Monachus autem vel Conversus qui hujuscemodi nostræ inhibitionis transgressor extiterit, tribus diebus pro qualibet carnium vel dictorum pulmentorum comestione, jejunare in pane teneatur & aquâ : & quòd nihilominùs quolibet ipsorum dierum in Capitulo regularem accipiat disciplinam ; sed Abbas inhibitionis præfatæ transgressor, non ad disciplinam ipsam, sed ad hujusmodi jejunia teneatur. Et si scienter hæc omiserit negligenter facere observari, etiam ex negligentiâ hujusmodi teneatur ad jejunia prælibata. Quæ quidem pœnæ nulli remitti valeant, nec super eis vel ipsarum parte aliquâ cum aliquo dispensari.

Quòd si aliqui super esu carnium vel pulmentorum prædictorum sæpè inventi fuerint delinquentes, seu esum ipsum contra ordinationem hujusmodi frequentantes, & per Abbates proprios quòd à talibus abstineant canonicè moniti non destiterint, sint, post monitionem hujusmodi, per biennium eo ipso inhabiles ad quæcunque officia & administrationes in eodem Ordine obtinenda : obtinentes verò illa, removeantur, si Abbatibus eorum visum fuerit, ab obtentis.

Nota hunc Pontificem esu carnium Infirmis non concedere nisi *ægritudine gravi aut debilitate* detentis.

Inhibemus quoque quòd nullus Monachus vel Conversus dicti Ordinis, cujuscunque conditionis existat etiamsi officium habeat, nisi *ægritudine gravi vel debilitate* detentus fuerit, carnes de cætero in Cameris Infirmitorii comedere præsumat, sed omnes comedant in Refectorio communi Infirmitorio deputato. Neque carnes parentur vel decoquantur alibi quàm in Infirmitorio communi seu in Coquinâ eidem Infirmitorio deputatâ, vel in posterùm deputandâ : nisi Abbas ex aliquâ causâ rationabili alibi decoqui vel parari mandaret easdem, vel in ejus absentia ille cui dictus Abbas commiserit vices suas. Ubicunque autem carnes pro aliis quàm pro infirmis vel debilibus paratæ fuerint, per Infirmarium inter comedentes in Infirmitorio dividantur.

Nec Abbatibus cedentibus quantumvis ætate grandævis nisi *benè meritis* & hoc quidem *secundum discretionem* & judicium proprii Abbatis.

Additio ridicula. Grandævi enim sunt debiles, et his conceditur usus carniū.

Abbatibus verò *benè meritis*, qui cesserint vel cedent in posterùm spontaneâ voluntate, locus & esus carnium per Abbatem proprium secundùm suæ discretionis arbitrium concedatur. Et quilibet Abbas dicti Ordinis ex indulgentiâ possit aliquos fratrum interdùm, nunc hos &

nunc illos, prout necessitas postulaverit, advocare: ipsosque secùm in camerâ suâ *meliùs & pleniùs* exhibere. Abbates autem & aliæ personæ notabiles ipsius Ordinis ad Monasteria declinantes de Abbatis vel eo absente, de Præsidentis regimini ejusdem Monasterii licentia, ut in camerâ ipsius Abbatis, vel in communi Infirmitorio *carnibus uti possint*.

Meliùs & pleniùs, sed nihilominùs cibis à Regula permissis.

Carnibus uti possint in casu scilicet necessitatis, id est ægritudinis aut magnæ debilitatis.

Et quoniam aliqui Monachi dicti Ordinis in nonnullis Monasteriis & studiis sibi temerè vendicare præsumunt quòd certis diebus qualibet septimanâ juxta observantias seu consuetudines, vel statuta quæ super hoc allegant (minùs tamen rationabilia) eis carnes debeant ministrari; nos hujusmodi abusum, observantias, consuetudines, seu statuta hujusmodi utpotè vergentia in eorum Religionis opprobrium & exempli perniciem aliorum, penitùs reprobantes, auctoritate ordinamus eâdem, quòd nullus Abbas, Provisor, Prior, Cellerarius, vel alius deinceps hæc aliquatenùs observare præsumat: nec etiam observari permittat, aut ministrare vel ministrari facere occasione observantiarum, consuetudinum, seu statutorum prædictorum carnes alicui prædicti Ordinis, præterquàm in aliis casibus licitis & permissis.

CAPUT XII.

Quòd Cellarum privatarum usu rejecto, Monachi omnes in Dormitorio communi dormire debeant, exceptis infirmis.

CUMQUE tàm secundum canonica quàm regularia Instituta in unum locum dormire debeant Monachi universi, & prætextu camerarum sejunctarum in aliquibus Monasteriis extra Infirmitoria & propter cellas quæ in Dormitoriis sunt constructæ, multæ sint inhonestates & dissolutiones inductæ: Nos super his expressiùs & salubriùs providere volentes, statuimus & ordinamus quòd nullus de cæterò Monachorum in cameris jacere audeat, nisi solummodò propter invaletudinem corporalem (& tunc in cameris Infirmitorii duntaxat:) sed omnes in Dormitorio jaceant, nisi fortè ab hoc aliquis propter officium excuse-

tur, & tunc possit alibi, si aliter commodè in dormitorio jacere non valeat.

Ad hoc etiam statuendo & ordinando adjicimus quòd deinceps cellæ in Dormitoriis nullatenùs construantur: & si quæ jam constructæ fuerint, omninò per Abbates vel principales Prælatos proprios infrà tres menses à tempore quo hoc statutum & ordinatio ad eos pervenerit, & eis negligentibus seu non volentibus, per Visitatores in prima visitatione quam impendent, auctoritate Apostolicâ destruantur: & quòd super his resistentes eisdem vel impedimentum præstantes, seu præstari procurantes, & ad hoc dantes auxilium, consilium vel favorem publicè vel occultè, incurrant excommunicationis sententiam *ipso facto*: qua quidem sententia nequeant nisi per Visitatores absolvi præfatos: quos etiam ipsi Visitatores per alia juris & Statutorum ejusdem Ordinis remedia valeant coërcere: Priores tamen Claustrales & Subpriores possint juxtà Abbatis vel Prælati principalis arbitrium cellam habere infrà Dormitorium competentem. Dicti autem Visitatores, quod super his invenerint vel fecerint, referant planè ac fideliter in ipsius Ordinis subsequenti Capitulo Generali.

Hæc ordinatio in desuetudinê abiit, saltem quoad Cellulas in quibus jam Monachi non solùm noctu dormiunt, sed per diem resident silentii & lectionis gratiâ.

Num ergo non possent monachi servare silentium sicut olim Patres nostri et legere.:

CAPVT XIII.

Quod cujuscunque peculii ac proprietatis submoveatur abusus.

QVIA verò in nonnullis Monasteriis seu aliis locis conventualibus dicti Ordinis, servari dicitur abusivè: quòd quilibet Monachus certi bladi, panis, vini, vel pecuniæ recipiat portionem: Nos prorsùs abusum hujusmodi detestantes; & etiam abolentes, ac volentes in hac parte utiliter providere: auctoritate prædictâ firmiter prohibemus, quòd deinceps in nullo ipsius Ordinis Monasterio, fiant hujusmodi portiones; sed ministrentur unicuique, prout communitas ejusdem Ordinis observavit hactenùs atque servat. Adjicientes & prohibentes etiam quòd nulli Monacho certi redditus aut proventus, seu pars redituum aut proventuum, aut aliqua pensio pro victu, vel vestitu, seu ex quacunque alia causa concedantur, vel alicui assignentur, aut alicui vel aliquibus Monachis ab ex-

traneis conceſſi vel donati permittantur eiſdem: ſed in utilitatem Monaſteriorum ipſorum per Abbates proprios convertantur. Quodque inter Abbates & Conventus aut Officiales alicujus Monaſterii dicti Ordinis nequaquàm fiat ſectio bonorum, fructuum, reddituum, vel proventuum eorum: ſed communibus ipſorum uſibus deputentur.

Nos enim conceſſiones vel aſſignationes eiſdem Monachis de dictis reditibus vel proventibus, ſeu eorum parte aut penſione aliquâ, ut præmiſſum eſt, factas; ac ſectiones bonorum ſeu diſtractiones fructuum, reddituum, vel proventuum hujuſmodi, ſi quæ factæ ſunt, totaliter revocamus. Abbates verò qui deinceps portiones prædictas, aut ſectiones ſeu diviſiones hujuſmodi bonorum, & aliorum præfatorum Monaſteriorum ſuorum fecerint, vel fieri conceſſerint, aut hactenùs factas ſervari permiſerint, deponantur. Monachi autem qui prædictis reſtiterint, vel impedimentum per ſe vel alium præſtiterint, ſeu præſtari procurarint: tanto tempore carceri mancipentur, quanto Abbati ſeu alii principali Prælato eorum viſum fuerit expedire; ac ſi etiam Abbati vel principali ipſi Prælato in hoc contradixerint, perpetuo carceri mancipentur.

Abbatibus verò benè meritis, qui voluntariè ceſſerint vel cedent in poſterùm, ſufficiens & congrua proviſio, prout Patri Abbati & Abbati ſucceſſori cedentis Abbatis de conſilio ſeniorum de Conventu illius Monaſterii, cujus regimini ceſſit vel cedet, viſum fuerit, aſſignetur & etiam præbeatur.

Et ut omnis evagationis ac inutilium expenſarum occaſio ſubtrahatur, auctoritate inhibemus eâdem, ne quiſquam Monachus vel Converſus dicti Ordinis cujuſcunque ſtatûs vel conditionis exiſtat, equitaturam tenere præſumat. Cellerariis, Procuratoribus, grangiarum Gubernatoribus duntaxat exceptis, quibus Abbas poſſit hoc de una tantùm concedere, ſi viderit expedire: Cellerariis tamen Ciſtercienſis & aliorum quatuor Monaſteriorum totidem principalium filiarum prædictarum, duæ poſſint equitaturæ concedi, ſi eorum Abbatibus videatur.

Quamvis autem contra Monachos proprietarios, exceptis adminiſtratoribus, ſit plenè proviſum per canonicas ſanctiones, cùm abdicatio proprietatis ſit annexa

Regulæ Monachali; Nos tamen specialiùs providere volentes contra illos Monachos & Conversos dicti Ordinis, qui suæ salutis obliti, contra regularem institutionem pecuniâ congregatâ, jura, possessiones, redditus, pensiones, animalia, & alia bona emerunt & emunt, seu emi fecerunt & faciunt, aliquando proprio & sæpè nomine alieno, multis super his figmentis adhibitis, aliisque ipsa tradunt animalia nutrienda, & cum augmento vel lucro sibi vel alteri reddenda, eorum nomine, seu pro ipsis, & alios multos contractus tanquam negotiatores exercent, necnon appetentes turpia lucra & sectantes, peculium occultant, & illicitè detinent in suarum periculum animarum: auctoritate præfatâ decernimus, omnia præmissa (quæ tamen aliàs restitutioni non subjacent aliorum) fore per Abbates proprios Monasteriis propriis applicanda, & in utilitatem ipsorum Monasteriorum totaliter convertenda, quodque ipsi Abbates alicui Monacho vel Converso talia faciendi licentiam nequeant impertiri: & quòd dicti Monachi & Conversi prædicta committentes, vel hujusmodi applicationi seu conversioni aliquatenùs resistentes, vel impedimentum publicè vel occultè præstantes seu præstari procurantes, & peculium prædictum non revelantes & reddentes Abbatibus prælibatis, sint eo ipso inhabiles ad quodcunque officium, administrationem, regimen & gubernationem quamlibet in eodem Ordine obtinenda. Permittimus tamen quòd cum ipsis Monachis & Conversis possit Abbas eorum super pœnis hujusmodi dispensare, dum prædicta revelaverint & planè restituerint, quando eis videbitur expedire. Monachis autem & Conversis, etiam administrationes habentibus, pecunias vel alia bona quibuscunque mutuantibus, vel debita fingentibus quæ non debent: talis pœna per Abbates proprios imponatur, quæ sit illis ad salutaris correctionis profectum, & cæteris attentare similia volentibus in exemplum.

Et quia per ministros providos administrationes bonorum consueverunt fructuosè ac laudabiliter exerceri: Volumus ut Abbates Monasteriorum ejusdem Ordinis sic bona Monasteriorum suorum dispensare ac providere talia teneantur, quòd Monachis & Conversis tam sanis quàm infirmis sufficienter provideatur in victu ac vestitu, secundùm

dùm cujuscunque Monasterii facultates, & qualitates cujuslibet regionis; quòdque in Monasteriis prædictis non plures Monachi vel Conversi ponantur, quàm ex facultatibus dictorum Monasteriorum possit congruè provideri.

CAPUT XIV.

De Studiis & Collegiis Ordinis.

PRÆBERE quippè materiam intendentes, quòd in eodem Ordine per sacræ Theologiæ studium Professores ipsius erudiantur & illustrentur in illa, ut in Ecclesia Dei sibi-ipsis & aliis fructus salutis, favoris, honoris, & honestatis, cœlesti Agricolâ irrigante & multiplicante, producant: maturâ deliberatione præhabitâ, subscripta de præfato & aliàs literali studio, scholaribus provectis ac Doctoribus, & alia quæ circa ea quæ rationabilia & opportuna fore perspeximus, auctoritate sæpè dictâ statuimus, ordinamus & disponimus pro moderno & postero tempore, valitura perpetuò & inviolabiliter observanda; videlicet quòd generalia studia dicti Ordinis in sacra pagina Parisiis, Oxoniæ, Tholosæ, & apud Montem-Pessulanum Magalonensis Diœcesis, deinceps existant. Studium autem quod Stellæ Pampilonensis Diœcesis esse consuevit, Salamanticam transferimus propter propinquitatem studii Tholosanensis; ordinantes quòd Bononiæ fiat studium quando commodè fieri poterit Domus pro studentibus, vel ematur; fiatque Salamanticæ illud idem. Metis quoque sit particulare studium in scientiis primitivis, ubi etiam pro Alemanis per Generationem supradicti Monasterii Morimundi ematur, quantum Generatio in Alemaniam se extendit. Quodque domibus eorum qui studebunt Bononiæ ac Salamanticæ, illi Abbates seu Rectores eorum præsint. De quibus ordinabitur per ipsius Ordinis Capitulum Generale. De his namque provinciis scilicet de Viennensi, Arelatensi, Aquensi, Narbonensi, Bituricensi, Auxitanensi, Tarraconensi, Cæsaraugustanensi, Burdegalensi, & Tholosanensi, ad præfata Tholosæ & Montis-Pessulani studia transmittantur. Qui verò ad Stellam mitti consueverant, Salamanticam destinentur; exceptis illis de Regno Navarræ, qui mittentur ad ipsum studium Tholo-

Collegium S. Bernardi Parisiense à Claravalle olim fundatum & à Capitulo Generali nomine totius Ordinis emptũ, cœpit ædificari ab hoc Pontifice an. 1336.

sanense: sed Alemani dirigantur ad studium Metense prò dictis scientiis primitivis, ad quod quidem Metense studium nullus de Generatione Claræ vallis mittatur invitus. Bononiam autem Italici, & Oxoniam Anglici, Scoti, Vallenses, & Hibernici destinentur.

Sed ad studium Parisiense, quod est cæteris præcipuum & fons omnium studiorum, indistinctè mittantur ex omnium natione & generatione secundùm modum inferiùs annotatum: videlicet quòd Abbates Monachos illos quos habebunt ad dicta studia mittere, ad ea de consilio Patris Abbatis vel Visitatoris & Conventûs proprii, aut sanioris partis ejusdem Conventûs transmittere teneantur: sic tamen quòd mittantur magis dociles & idonei, nec non ad proficiendum dispositi: & quòd tali tempore transmittantur, quòd primâ die mensis Octobris vel circa in studio Parisiensi existant: in aliis verò studiis in beati *Lucæ* vel omnium *Sanctorum* festis infallibiliter sint præsentes.

Numerus autem mittendorum videtur sufficere, prout sequitur, consideratis oneribus jam dicti Ordinis & temporum qualitate: scilicet de quolibet Monasterio cujuscunque Provinciæ, seu Generationis, in quo sunt vel erunt aut esse poterunt quadraginta Monachi vel supra, Parisios debeāt mitti duo. De quolibet verò Monasterio in quo sunt vel esse poterunt triginta Monachi & supra, usque ad quadraginta Monachos exclusivè: ad idem studium Parisiense debeat mitti unus. Et de quolibet Monasterio in quo erunt vel esse poterunt decem & octo Monachi & supra usque ad triginta Monachos exclusivè: ad alia generalia studia vel Parisiis, si mittentes maluerint, debeat similiter unus Monachus destinari. Ad Metense autem studium, cùm fuerit institutum, de quolibet Monasterio Generationis dicti Monasterii Morimundi, quantum ipsa Generatio se in Alemaniam extendit & ultrà Rhenum in quo erunt vel esse poterunt à decem & octo Monachis inclusivè usque ad triginta Monachos exclusivè: unus mittatur ad minùs pro scientiis primitivis, pro quibus, dummodò ipsi mittentes ad illud mittant, destinare ad alia non cogantur.

Provisionem equidem studentium taliter limitamus, & sufficientem esse conspicimus; videlicet, quòd Magister Regens Parisius de Contributione communi dicti Ordinis

vel de redditibus communibus, octuaginta libras Turonensium parvorum, & à Monasterio proprio viginti quinque libras ejusdem monetæ, pro bursa & aliis necessitatibus suis: Baccalaureus verò Regens Parisius de dicta communi, viginti quinque pro bursa & aliis necessitatibus ejus: ac Lector Bibliæ in eodem studio, de præfato communi decem, & à proprio Monasterio viginti libras ipsius monetæ percipiant annuatim. Quilibet verò scholarium studentium in ipso studio, viginti libras dictæ monetæ à proprio Monasterio, pro bursa & aliis necessitatibus suis percipiat similiter annuatim. Sed in aliis studiis Patres Abbates ipsorum studiorum Rectores, Magistro in theologicâ facultate, in illis Regente, de quadraginta libris prædictæ monetæ pro bursa & aliis necessitatibus suis providere annis singulis teneantur. Quando autem Baccalaureus in eisdem studiis reget ubi commodè non reperiretur Magister, teneantur dicti Patres Abbates dicto Baccalaureo de triginta libris prædictæ monetæ, pro bursa & omnibus necessitatibus suis annis singulis providere. Ordinamus quoque, ut in quolibet generali prædictorum studiorum, unus qui Bibliam biblicè seu textualiter continuò legat, existat: cui ultrà quindecim libras jam dictæ monetæ quas percipiat à dicto Monasterio pro bursa, centum solidi ejusdem monetæ pro omnibus aliis necessitatibus suis annuatim à Cellerario de bursis scholarium tribuantur. Quilibet autem scholaris in dictis aliis studiis generalibus præter Studium Parisiense, ac in dicto studio Metensi, quindecim libras prædictæ monetæ à proprio Monasterio pro bursa & omnibus aliis necessitatibus suis percipiat annuatim. Siquidem omnes provisiones hujusmodi, tam Abbates dictorum studiorum Rectores quàm Abbates proprii, prout quemlibet eorum continget seu tangere poterit, mittere teneantur ad dicta studia eorum sumptibus; & illas ibidem solvere terminis superiùs designatis, quibus ipsi mittendi esse debent in studiis memoratis.

Cellerarii verò & alii expensas dictorum studiorum facientes, teneantur juramentum præstare, quòd omnia quæ recipient de provisionibus ipsorum studiorum & studentium, fideliter dispensabunt: & tenebuntur etiam reddere rationem de receptis & expensis in fine cujuslibet mensis;

præsentibus Magistro seu Lectore dictorum studiorum; Baccalaureo & Provisore, ac septem aliis discretioribus scholaribus quos dicti Provisor, Magister & Baccalaureus ad id deliberaverint advocandos.

Et ut ipsi Abbates qui ad mittendum & providendum astringuntur, prout superiùs est expressum, diligentiam adhibeant, & abjiciant desidiam in præmissis: Volumus & ordinamus, quòd Abbas, qui dictis terminis Monachos seu Monachum, quemadmodum prætactum existit, non miserit cum provisionibus supradictis: teneatur elapso mense duplum provisionum hujusmodi suis expensis mittere ad studium antè dictum. Cujus quidem dupli medietas, studenti pro quo mitti debebat pro libris applicetur emendis: & alia in usus communes aliorum studentium per Cellerarium convertatur. Et si dictus Abbas duplum præfatum, ut præfertur, infrà sex menses dictos terminos immediatè sequentes non miserit: ei sit eo ipso, elapsis ipsis sex mensibus, ingressus Ecclesiæ interdictus. Dictas pœnas incurrant Patres Abbates eorundem studiorum Rectores, qui dictis terminis non miserint & non solverint provisiones præfatas, prout superiùs est descriptum. Quòd si prædicti, pœnas hujusmodi per tres menses dictos, sex immediatè sequentes pertinaciter tolerarint: eo ipso à divinis officiis sint suspensi.

CAPVT XV.

Cætera quæ dictorum studiorum in utroque statu administrationem spectant, fusiùs prosequitur.

ET ut eisdem studentibus animarum cura non desit; Volumus & ordinamus; quòd in eisdem studiis generalibus, Patres Abbates ipsorum studiorum Rectores deputent idoneos Provisores, qui curam habeant animarum studentium in ipsis: quique illos corrigant & absolvant, sicut proprii Abbates subditos proprios corrigere & absolvere possunt in Monasteriis eorundem; propter hoc tamen dicti studentes à potestate proprii Abbatis exempti aliquatenùs non existant. Vbi autem erit aliquis de Ordine ipso in

Pariſienſi ſtudio aſſignatus, qui ſit vitæ laudabilis, aliáſque idoneus & diſcretus, & ad Baccalaûreatum vel Magiſterium Theologiæ diſpoſitus & propinquus: Abbas Ciſtercienſis, qui eſt pro tempore, cum conſilio Magiſtrorum, Baccalaureorum, & Proviſoris domûs ſtudentium Pariſiis, mandet Abbati proprio quòd talem non revocet, ſed eum permittat in hujuſmodi ſcientia perfici; & ad ſtatum Baccalaureatûs & honorem magiſterii provehi: lecturamque continuare, prout ipſius Ordinis Generale Capitulum ordinabit. Poſſit tamen Generale Capitulum deficientibus Magiſtris, ſeu Baccalaureis in Theologia, talem etiam ante Baccalaureatum vel Magiſterium in quolibet prædictorum Generalium ſtudiorum principalem deputare Lectorem, ſi eidem Generali Capitulo viſum fuerit expedire.

In favorem utique Studii ejuſdem Theologiæ, ut ab alumnis ejuſdem Ordinis ſtudentibus illi ferventiùs intendatur: Statuimus, ordinamus & prohibemus expreſsè, quòd in nullo dictorum ſtudiorum legantur vel audiantur Iura canonica, nec etiam extrà illa per aliquem ſtudentium eorundem. Quòd ſi quis contrarium attentare præſumpſerit, ſit eo ipſo ad Clauſtrum ſuum ab hujuſmodi ſtudio revocatus, nec Cellerarius dictorum ſtudiorum ex tunc in aliquo illi provideat: ſed in continenti ad proprium Monaſterium remittatur, de tranſgreſſione ac inobedientia hujuſmodi ſecundùm Abbatis proprii arbitrium puniendus.

Et ut in dictis ſtudiis, pro ſtudentibus in eis, neceſſaria non deſint obſequia: Volumus & ordinamus, ut præfati Abbates ipſorum ſtudiorum Rectores, in eis provideant de Cellerariis & aliis Officialibus idoneis, prout neceſſitas vel utilitas cujuſlibet ſtudiorum requiret ipſorum. Quodque ipſi Cellerarii & Officiales juramentum præſtabunt de fideliter diſpenſando, ac de receptis & expenſis rationem reddendo, quemadmodum ſuperiùs eſt expreſſum.

Et quia decet ac expedit, ut inter ſtudia cætera Studium Pariſienſe refloreat, & juge ſine intermiſſionis diſpendio habeatur: Statuimus & ordinamus, quòd in eodem ſtudio Pariſienſi deputentur Magiſtri, Baccalaurei, & Lectores Bibliæ ac Proviſores, Cellerarii, & alii Officiales per dicti Ordinis Capitulum Generale. Quòd ſi ipſi vel aliquis eorum deficiant, ſeu ex aliqua cauſa Magiſtri, Baccalaurei

& Lectores lecturam assumere vel continuare, aut Cellerarii & Officiales præfati sua officia exercere nequirent: subrogentur alii loco eorum per Visitatorem illius anni usque ad sequens duntaxat Capitulum Generale; in aliis etiam studiis generalibus Magistri seu Lectores principales per dictum Generale Capitulum deputentur; alii verò minores Lectores & Officiales per Abbates eorundem studiorum Rectores debeant deputari. In ampliorem namque favorem & continuationem durabilem studii hujusmodi Theologiæ jam dictæ: Statuimus & ordinamus, quòd quandiù pro studiis dictis generalibus præter Bononiense, Salamanticense & Metense studia Magistri in Theologia idonei de præfato Ordine in eodem studio Parisiensi, vel si non ibi, alibi poterunt reperiri: teneatur idem Capitulum Generale Magistrum in Theologia principalem deputare Lectorem: alioquin, magis idoneum Baccalaureum quem ad hoc poterunt Parisius, vel si non ibi, alibi reperiri, quos dictum Capitulum Generale ad suscipiendum vel continuandum lecturam hujusmodi, si necesse fuerit, per censuram Ecclesiasticam & alia opportuna remedia, sublato appellationis obice, cum auctoritate Apostolicâ coarctandi dicto Capitulo ac Definitoribus ipsius, nec-non Abbatibus dictorum studiorum Rectoribus communiter vel divisim, plenam atque liberam tenore præsentium concedimus potestatem. Præfato insuper Capitulo Generali similem potestatem concedimus compellendi, appellatione remotâ, per censuram & remedia hujusmodi, Abbates ipsorum studiorum Rectores ad recipiendum Magistros in Theologia & Baccalaureos ad prædictam lecturam, & ad providendum eisdem de communi Contributione ipsius Ordinis & pro bursâ & aliis necessitatibus eorum annis singulis, prout de Provisoribus hujusmodi est superiùs limitatum. Ipsi verò Magistri non pomposè manere, seu lautè vivere præsumant in studiis antè dictis, sed humiliter & devotè legant: cibis competentibus vescantur, & uno solo servitore Clerico sint contenti. In studio autem Metensi provideat de Lectoribus & aliis Officialibus domûs studentium, Abbas supradicti Monasterii Morimundi, qui est & qui pro tempore fuerit, de consilio sui Conventûs, vel majoris & sanioris partis ejusdem, prout sibi videbitur expedire.

Et cùm sit dedecens & deforme, ut quis præsertim Religiosus cum vanitate & imperitia Cathedram ascendat præeminentiæ Magistralis: Statuimus & ordinamus, quòd de cæterò nullus de Ordine prædicto assumatur ad recipiendum Magisterii, seu Doctoratûs honorem, nisi priùs per eum præstito juramento in præsentia Provisoris & studentium ipsius Ordinis tunc præsentium in studio in quo hujusmodi honorem recipere voluerit; seu majoris partis eorundem numero: quòd in assumptione ipsius honoris vel ante seu post, occasione illius circà cibos, vestes, & alia non expendat per se vel alium undecunque habuerit, vel fuerit sibi datum, nec quantum in eo fuerit, ultrà valorem mille Turonensium argenti expendi permittat ab aliis consanguineis vel amicis. Baccalaurei etiam juramentum similiter facere teneantur in præsentia prædictorum, quòd occasione Baccalaureatûs sui vel antè seu post, nullum festum seu convivium faciant per se vel per alium: seu fieri permittant, quantum in eis fuerit, à quibuscunque aliis eorum consanguineis vel amicis.

Ad hæc denique statuimus & ordinamus, quòd quicunque dicti Ordinis, qui tamen in eodem studio Parisiensi vel in aliquo alio prædictorum generalium ipsius Ordinis studiorum per sex annos in Theologia studuerint & ad hoc idonei extiterint, in dicto studio Parisiensi possint cursus Bibliæ facere: & qui per octo annos studuerint, ut præfertur, sententias legere in Parisiensi studio memorato; nonobstantibus quibuscunque statutis & consuetudinibus, ac observantiis Ordinis, Monasteriorum, locorum conventualium, & studiorum sæpè dictorum contrariis, juramentis, confirmationibus Apostolicis; aut quibusvis firmitatibus aliis roboratis: & illo præsertim statuto, quo in eodem studio Parisiensi caveri dicitur, quòd nullus possit legere cursum Bibliæ, nisi ibidem studuerit septem annis, prout sic vel aliter in statutis ipsius studii Parisiensis dicitur contineri: nec-non quibuslibet privilegiis, indulgentiis & literis Apostolicis, Ordini, Monasteriis, locis conventualibus, & studiis præfatis, sive universitatibus Magistrorum & scholarium eorundem in contrarium concessis: per quæ præsentibus non expressa vel totaliter non inserta, effectus hujusmodi statutorum & ordinationum nostra-

rum, omniumque aliorum & singulorum contentorum in eisdem, valeat quomolibet impediri, & de quibus quorumcunque tenoribus plenam & expressam oporteat in nostris literis fieri mentionem.

CAPVT XVI.

Quòd hæc Constitutio tam in Capitulo Generali, quàm in aliis Capitulis Monasteriorum Ordinis legenda sit.

NE autem suprascripta vel aliqua seu aliquod corundem in oblivionis lubricum deducantur, seu parvipendantur ab aliquo, quinimò ut de ipsis nunc & perpetuis futuris temporibus notitia certior habeatur: eâdem auctoritate statuimus, ordinamus & districtè injungimus, ut in primo Generali Capitulo dicti Ordinis, & deinceps singulis annis in eodem Capitulo Generali, ac semel quolibet anno in quocunque Monasterio, & locorum conventualium prædicti Ordinis omnibus Monachis eorum in Capitulo ad hoc specialiter congregatis, præmissa omnia & singula de verbo ad verbum legantur & etiam publicentur. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostrarum voluntatum, constitutionum, statutorum, ordinationum, permissionum, provisionum, inhibitionum, reprobationum, detestationum, abolitionum, revocationum, dispositionum, limitationum, & mandatorum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. *Datum apud Pontem Sorgiæ Avinionensis Diœcesis IV. Idus Iulii Pontificatus nostri anno primo.*



ADMO-




ADMONITIO
IN LIBELLVM
NOVELLARVM DEFINITIONVM
ORDINIS CISTERCIENSIS.



VPERIORE *Constitutione Ordini Cisterciensi egregiè prospexerat sanctissimus Pontifex Benedictus XII. & longè efficaciùs prospexisset si supervixisset diutiùs; sed vix ad sex circiter annos Constitutioni suæ superstes immaturâ morte Ecclesiæ ac Ordini prædicto; anno scilicet millesimo trecentesimo quadragesimo secundo sublatus est. Interim Primarii ejusdem Ordinis Duces; spiritum ac Zelum prædicti Pontificis in cælum abeuntis excipientes, vel saltem æmulantes; non impari fervore nec absimili pietate, sibi & gregi sibi commisso invigilare studuerunt. Atque in hunc finem; Definitiones omnes quas ab anno millesimo trecentesimo decimo sexto Capitulum Generale ediderat, in novum Volumen cogentes; universo Ordini sub* Novellarum *nomine anno millesimo trecentesimo quinquagesimo, novis in transgressores censuris ac pœnis intentatis imperarunt; ac præterea Constitutioni prædicti Pontificis aliisque omnibus tum Ordinis tum Apostolicæ Sedis Constitutionibus antiquioribus fidem suam de novo adstringentes; personas sibi subjectas usque ad finem currentis sæculi; ac proinde usque ad annum circiter millesimum quadringentesimum in Ordinis ac Regulæ disciplina sanctiori conservarunt.*

Non Duces sed Abbates.



LIBELLUS

NOVELLARUM DEFINITIONUM ORDINIS CISTERCIENSIS.

DISTINCTIO PRIMA.

De Tempore quo fuerunt collectæ & Ordini impositæ Novellæ istæ Constitutiones.

Anno Domini 1350. Cistercii 252.



T Statutorum Cisterciensis Ordinis scrutatores inveniant quod exoptant, Definitiones Capituli Generalis ipsius Ordinis, ab anno Domini millesimo trecentesimo decimo sexto, quo & Definitionum Libellus extitit compilatus usque ad annum quinquagesimum, sub eisdem titulis; aliquibus tamen augmentatis quæ continentur in eisdem, additis titulis aliquibus, aliis verò ex causa omissis, resecatis superfluis, collocatæ sunt in sequentibus & collectæ. Quia tamen quamplures rubricæ in prima Libelli distinctione continentur, quibus similes in aliquibus subsequuntur, propter reverentiam eorum quæ continet dicta distinctio *Chartæ Charitatis* videlicet & *Clementinæ* remanet intacta, nec sub statutis Capituli comprehendendo, sed tantùm memoriam aliqualem faciendo de eisdem transimus, ut quærendi fastidium temperetur.

DISTINCTIO II.

CAPUT PRIMUM.

Ut in omnibus Monasteriis Ordinis habeantur transcripta privilegiorum.

OMNIBUS Abbatibus Ordinis præcipitur quatenùs communia Ordinis privilegia habeant & transcribi

faciant, & legantur anno quolibet in Capitulis Ordinis cum Libello Definitionum anni Domini millesimi trecentesimi decimi sexti & præsenti, sub pœnis in eodem Libello contentis. Abbates autem qui præmissa privilegia habere vel conscribi facere neglexerint, stallum proprium ingredi non præsumant, donec habuerint ipsa privilegia, ut dictum est.

CAPUT II.

Ut omnes præsertim Abbates ad tuitionem privilegiorum intendant.

ABBATIBUS ac Officialibus cæterisque personis Ordinis universi districtiùs inhibetur, ne Diœcesanos aut alios qui suprà loca Ordinis Procurationes seu Visitationes asserunt se habere, præsumant quoquomodo recipere, contra formam Ordinis & privilegiorum tenorem; quinimò si per dictos Diœcesanos moniti fuerint vel super hoc in aliquo molestati, ad Sedem Apostolicam provocent & appellent. Quicunque verò contra formam prædictam quemcunque prædictorum recipere seu admittere præsumpserit in futurum, tribus diebus uno eorum in pane & aqua pœnitentiam sustineat levis culpæ: Abbates verò super hoc veniam petant in Capitulo Generali, ad ipsius arbitrium, severitate condigna puniendi.

CAPUT III.

De modo & forma defendendi Ordinis Libertates.

STATUITUR & ordinatur, quòd tres primi cujuscunque Provinciæ, qui de Contributione imponenda pro libertatibus Ordinis defendendis, competenter fuerint requisiti, si negligentes fuerint in executione mandati Capituli Generalis, suspensionem ab ingressu Ecclesiæ se noverint incurrisse. Qui verò impositam propter hoc Contributionem statutis terminis non solverint, dummodò debitè eis fuerit intimatum, sint excommunicati *ipso facto*. Et Receptores de receptis fideliter computare, sub pœna

superiùs nominatâ, & recepta restituere, illis pro quibus fit Contributio, teneantur. Declaratur quoque, quòd talium Contributionum particularium impositiones fiant proportionaliter, & non æqualiter secundùm impositionem in generalibus Contributionibus consuetam. Et quoniam tres primi non possunt propter prædicta interdùm commodè congregari, conceditur quòd duo ex eis, uno se legitimè excusante, procedere valeant in prædictis. Abbatibus Ordinis universi præcipitur, ut non præsumant Contributiones pro libertatibus Ordinis defendendis, fieri postulare in sui subsidium & levamen; nec se sperent aliquando obtinere, nisi lites super hoc movendas, contra quascunque personas cum Patris Abbatis vel Commissarii seu sanioris partis Conventûs ejusdem, & aliorum peritorum consilio maturo & digesto, lites easdem duxerint inchoandas, appellatione duntaxat exceptâ & spectantibus ad eandem.

DISTINCTIO III.

CAPUT UNICUM.

De Abbatiis & Ecclesiis fundandis, & Ordini nostro incorporandis.

PATERNITAS Ordinis militiæ Iesu Christi, qui Ordo per Regem Portugalliæ fundatus extitit, & per Summum Pontificem confirmatus, & nostro Ordini incorporatus, ad Abbatem de Alcobatia pertinet totaliter tanquam ad Patrem Abbatem Ordinis memorati.

Ordo iste militum Iesu Christi in Regno Lusitaniæ & in Regno Algarbii à Ioanne XXII. institutus est ad petitionem Dionysii Regis Portugalliæ, sub Iurisdictione Abbatis Alcobatiæ, & juxta Regulam & Constitutiones militum de Calatrava, cui Rex & Pontifex bona militum templi, quæ in illis partibus existebant, concesserunt, anno 1319.



DISTINCTIO IV.

CAPUT UNICUM.

De Baptismo & aliis Sacramentis per Monachum non ministrandis, & de his qui serviunt in Ecclesiis sæcularibus.

NULLI de Ordine liceat Clericis aut Sæcularibus personis absque parrochialis Presbyteri licentia speciali, Sacramenta Ecclesiastica ministrare, seu etiam Matrimonia, sub excommunicationis latæ sententiæ, cujus absolutio est Sedi duntaxat Apostolicæ reservata, prout in Constitutionibus felicis recordationis Domini Clementis Papæ V. in Concilio Viennensi edita continetur. Non tamen per hoc excludimur, quin familiaribus aut pauperibus in hospitalibus Ordinis nostri degentibus, Sacramenta possimus Ecclesiastica ministrare, juxta tenorem privilegiorum Ordinis super hoc à Sede Apostolica indultorum.

Monachi Regionis Italiæ, ad Prioratus, Plebanias & Capellas, spectantes jure Patronatus ad Monasteria Ordinis, de voluntate ac decreto Episcoporum promoti, nisi in omnibus licitis, ut Officiales cæteri, Abbatibus suis obedierint, nullam vocem in Capitulo aut alibi habeant, nec de agendis se aliqualiter intromittant; nec moram in Monasteriis præsumant facere: nec eis provideatur de Communi, nisi prout transeuntibus hospitibus consuevit communiter ministrari.

DISTINCTIO V.

De Officiis Divinis.

CAPUT PRIMUM.

De Mediocritate in Cantu.

QUÆRE in Charta Charitatis, Capitulo primo. Item statuitur quòd antiqua forma cantandi à Beato Patre nostro Bernardo tradita, sincopationibus in cantu Ordinis interdictis simpliciter, cum talia magis dissolutionem

quàm devotionem sapiant, firmiter teneatur: contrarium facientes ad Præsidentis arbitrium puniantur. Abbates & Abbatissæ faciant hoc Statutum inviolabiliter observari. Monialibus Ordinis universi prohibetur ne varias & notabiles solennitates contra mores & formam Ordinis de cætero facere vel celebrare quoquomodo audeant vel præsumant: Et si quæ in hoc, in futurum repertæ fuerint culpabiles, eisdem regularis habitus auferatur, nisi constet de licentia speciali super his habita vel obtenta.

CAPVT II.

De Commemoratione Beatæ Mariæ Virginis & ejus Missa.

COMMEMORATIO Beatæ Mariæ fiat, & dicatur Antiphona *Spiritus Sanctus*, Versus *Ecce ancilla*, Collecta *Lætifica*, post horas canonicas dicenda ab omnibus extra Chorum per Ordinem universum. Item statuitur, quòd post horas consuetas gloriosæ Virginis dicatur Antiphona *Missus est*, Versus *Ave Maria*, Collecta *Omnipotens*, & post Collectam dicatur, *Dulce nomen*, *&c.* Per octavas Purificationis Beatæ Mariæ dicatur ad Laudes Antiphona *Cum inducerent*, ad Magnificat, *Hodie Beata Virgo*, & Sabbato post Purificationem dicatur Missa *Suscepimus* cum Collecta. Post *Salve Regina* in Ecclesia decantatum, grossa campana suo signo pulsetur per Ordinem universum, & quilibet in honorem gloriosæ Virginis ter, flexis genibus, *Ave Maria* dicere teneatur, ut exinde indulgentiam à Summo Pontifice cunctis fidelibus indultam, ad salutis commodum assequatur. Item statuitur, quòd de cætero Paschali tempore loco Antiphonæ *Sancta Dei genitrix* vel *sancta Maria succurre*, Antiphona *Regina Cæli* ab omnibus dicatur *ad Vesperas* diebus feriatis & festis. Missa verò ejusdem post Missam de Conventu diebus Sabbatorum per totam Quadragesimam celebretur, nisi fuerit festum duodecim Lectionum, in singulis domibus Ordinis universi.

CAPUT III.

De Missa & Collecta pro Pace.

COLLECTA *Deus à quo* de cætero dicatur ab omnibus, & singulis Sacerdotibus cum divina ipsos contigerit celebrare: Et Missa pro Pace solenniter in singulis domibus semel in hebdomada celebretur.

CAPUT IV.

De diversis Festis & Miraculis, & de Symbolo.

ORDINATUR quòd fiat festum de Corpore Christi cum sermone in Capitulo, Cum duabus Missis & propria Historia, feriâ quintâ post octavam Pentecostes: & eadem die Conversi in laboribus minimè occupentur. Officium verò de Corpore Christi per Capitulum ordinatum, rejectis aliis officiis, uniformiter decantetur per Ordinem universum. In Monasteriis autem in quibus processionem facere voluerint dicta die, in egressu Ecclesiæ in prima statione dicatur Responsorium *Eduxit vos Dominus* cum Versu *Non Moyses*; in secunda statione Responsorium *Verbum Caro* cum Versu, *In principio*; in tertia statione Responsorium *Melchisedech*; in ingressu autem Ecclesiæ incipiat Abbas Antiphonam *Introivit Iesus* ut diversitas evitetur.

Festum Beati BERNARDI gloriosissimi Patris nostri solenniter per totum Ordinem celebretur, die festi ipsius Conversi minimè laborent & fiat octava ejusdem festivitatis, cùm una Missa, duodecim Lectionibus, Responsoriis, ac aliis sicut in die penitùs per Ordinem universum: sed & quoties feria tertia cujuslibet hebdomadæ proprio servitio seu propriâ Missâ caruerit, ipso die celebretur Missa de Beato Bernardo in Conventu in singulis domibus Ordinis universi. Solennitas etiam Beati *Malachiæ* Archiepiscopi & Confessoris cum duabus Missis & Responsorio in primis Vesperis ob meritorum ejus excellentiam celebretur per Ordinem universum. Festum quoque Beati *Yvonis* celebretur decimâ nonâ die mensis Maii per Ordi-

nem universum cum duodecim Lectionibus & una Missa: in Provincia Turonensi cum duabus Missis & Historia propria solenniter celebretur.

Præterea statuitur, quòd de Beato *Thoma* de Aquino septima die mensis Martii fiat festum cum duodecim Lectionibus, sicut de Beato Dominico per Ordinem universum. Item quòd fiat Commemoratio de Beato *Hugone* primo Abbate Cluniacensi, tam in Laudibus quàm in Vesperis tertio Kalendas Maii, scilicet *Iste cognovit* & *Collaudabunt*, & prima Missa de ipso cantetur die Sancti Roberti sicut de Beato Antonio per universum Ordinem.

Miracula facta in locis Ordinis Capitulo Generali luculenter & lucidè referantur per personas ipsius Ordinis, & ibidem in scriptis Provinciæ redigantur. In omnibus solennitatibus in quibus sermo habetur in Capitulo, *Credo in unum Deum* in Missa solenniter decantetur. Nomina Beatorum Confessorum *Edmundi* & *Malachiæ*, quorum Reliquiæ & corpora apud nos sunt in honore, de cætero in Litaniis Ordinis post Beatum *Petrum* Confessorem pronuncientur, & in libris cum eorundem Sanctorum nominibus conscribantur. Statuitur etiam & definitur, quòd quilibet Pater Abbas in filiabus suis potestatem habeat concedendi festa aliquorum Sanctorum celebranda, si per Conventum fuerit requisitus. Et ut cùm filiis suis super Capellaniis, Missis, Historiis novis & orationibus valeat dispensare, supposità sufficienti assignatione redditùum, & Conventuum unanimi consilio & consensu; aliis etiam circunstantiis in aliis Definitionibus contentis nullatenùs abrogatis: nec super his de cætero onerent in petitionibus Capitulum Generale.

DISTINCTIO VI.

De Capitulo Generali.

CAPUT PRIMUM.

De Abbatibus remanentibus à Capitulo Generali.

QUICUNQUE Abbates per se vel per alium procurare præsumpserint fieri edictum per Dominos temporales,

porales, quòd Abbates non veniant ad Capitulum Generale, vel quòd Contributiones Ordinis non solvantur: *ipso facto* excommunicationis sententiâ sciant se innodatos. Inhibetur ne aliquis Abbas aliquid det vel promittat ut à Capitulo Generali excusetur: quicunque pro tali excusatione aliquid qualecunque dederit seu promiserit & similiter receperit, ex nunc prout ex tunc excommunicationis sententiam incurrat *ipso facto*; poterunt tamen Definitores dicti Capituli alicui vel aliquibus Abbatibus liberè ex causa licentiam concedere à dicto Capitulo remanendi. Committitur Visitatoribus quibuscunque Ordinis universi, ut in suis visitationibus diligenter inquirant de Abbatibus qui ad Capitulum non venerint tempore debito, nec se legitimè excusaverint.

Præcipitur quoque personis Ordinis universi super hoc requisitis in virtute sanctæ Obedientiæ, ut omnes quos in hoc culpabiles sciverint, Visitatoribus denuntient memoratis, qui taliter culpabiles monebunt venire ad sequens tunc Capitulum Generale personaliter, & secundùm *Statuta Papalia* pœna duplici expensarum, quas veniendo & redeundo ad ipsum Capitulum fecissent, mulctandos præcisè, & etiam alia graviori, si eorum protervitas hoc requirat. In quo Capitulo si sic moniti non comparuerint, nec se legitimè excusaverint: depositionis jacturam poterunt non immeritò formidare. Dicti autem Visitatores tenebuntur super his Capitulum informare, quamprimùm in ipso Capitulo comparebunt, vel cum his occurret oporrunitas. Qui Visitatores si præmissa scienter omiserint adimplere, cùm ad domos proprias venerint; tribus diebus jejunent in pane & aqua sine dispensatione quacunque, alioquin suspensi maneant ad minùs donec pœnitentiam egerint memoratam.

Statuta Papalia, Bened. scilicet XII.

Receptores excusationum Abbatum remanentium à Capitulo Generali juramenta exigant ab excusatoribus, utrum causas remanentiæ sciant vel credant saltem verisimiliter esse veras. Dictique receptores, causas ipsas studeant referre coram Definitoribus, qui de sufficientia tractabunt & ex Ordine judicabunt. Receptores autem prædicti de & super prædictis fideliter & efficaciter adimplendis, in ipso Capitulo Generali juramenta ad sancta Dei Evangelia præstare teneantur.

CAPUT II.

De ingressu Cistercii ante & post Capitulum Generale.

DE Cisterciensi Capitulo Generali & de Definitoribus ejus eligendis, quære in *Clementina capite quarto*, & de auctoritate ipsius Capituli quære in *Charta Charitatis capite tertio*. Districtè inhibetur ne Abbates, Monachi, Conversi, seu Famuli Abbatum ad Capitulum venientes, in ingressu Cistercii arma & Cultellos acuminatos deferant secum quoquomodo. Si Abbates vel Monachi contrarium fecerint, excommunicationis sententiam se noverint incurrisse; famuli verò culpabiles perpetuò à servitio Ordinis excludantur: Nec in fraudem arma sua dimittant in Cistercio ante ingressum Capituli sub pœna prædicta. Sub pœna excommunicationis Abbatibus prohibetur, ne Monachum vel Monachos, equos vel familiam ultrà taxatum numerum per octo dies ante Capitulum apud Cistercium introducant, nisi de Domni Cistercii vel locum ejus tenentis licentia speciali.

Durante Capitulo, Abbates qui equum vel equos ultrà taxatum numerum introduxerint sine licentia speciali Definitorum, Domno Cistercii personaliter assistente: pro equitante quolibet florenum unum, & pro quolibet equo duos grossos pro fœno ante exitum Capituli Generalis receptoribus contributionum solvere teneantur: quòd nisi fecerint, gradum Altaris ascendere non præsumant, quousque satisfecerint Generali Capitulo de prædictis. Recepta verò pecunia in minorationem expensarum Capituli Generalis convertatur.

Monachi verò vel Conversi per Abbates non introducti, causam adventûs sui Priori Cistercii exprimere teneantur; quæ si rationabilis inventa non fuerit, de Cistercio turpiter expellantur, receptâ priùs in Capitulo Cistercii disciplinâ. Ipse autem Prior inquirat cum exacta diligentiâ, si fortè aliquis præsens in Capitulo, non se præsentaverit sibi, & præsentantium se, nomina conscribi faciat; adeò quòd non inscripti, irremissibiliter puniantur. Excipiuntur tamen quatuor primi Abbates qui singularem super hoc habent potes-

tatem, & Abbas de Prulliaco cum uno Monacho, & de Savigniaco cum uno Notario; cui propter latitudinem suæ Generationis, hoc est non improuidè concessum ab antiquo. Istâ gratiâ uti poterunt liberè magistri in Theologica facultate.

CAPUT III.

De moribus tempore Capituli servandis.

ORDINATUR, quòd detur prima die Capituli in Capitulo Abbatibus signum, & quilibet Abbas illud signum dabit famulo suo qui deferet ad locum ubi annona libratur. Qui signum illud non habuerit, nihil reportabit: famuli verò ad avenam habendam accedant per ordinem secundùm Generationes ordinatè.

CAPUT IV.

De Literis legendis, impetrandis, recipiendis & præsentandis.

DE literis missis Capitulo Generali quære in *Clementina Capite quarto.* Nullus de cætero in Capitulo petitionem faciat seu literas Principum vel aliquorum quorumcunque eidem Capitulo audeat præsentare, quin in eis scribat primitùs nomen suum. Abbatibus Ordinis universi inhibetur, ne rotulos sive libellos per homines sive nuncios ignotos traditos vel oblatos præsumant admittere, seu procedere contra aliquem quovis modo occasione eorundem. Nullus de cætero confirmationem pensionum seu contractuum quorumcunque petat fieri per Capitulum Generale, nisi principales literas valeat exhibere.



DISTINCTIO VII.

De Causis Ordinis & correctione Culparum.

CAPVT PRIMVM.

De causis Ordinis & debitis. De potestate Iudicum & modo procedendi. De Commissariis & commissionibus referendis.

DE Iudicibus à Capitulo datis quære in *Clementina Capite quarto.* Statuitur autem quòd in causis motis in Ordine & movendis inter personas ejusdem, sine strepitu & figura judicii procedatur, & simpliciter & de plano lites in Ordine terminentur. Quotiescunque inter Patrem Abbatem & filium suum discordiam oriri contigerit; personis neutri parti suspectis committatur dicta discordia auctoritate Capituli terminanda. Quotiescunque emergentibus causis duo vel plures Commissarii per Generale Capitulum fuerint deputati, uno eorum impedito vel se legitimè excusante, alius seu alii valeat seu valeant alium de consensu partium associare Collegam, qui consimilem in commissione seu commissionibus habeat potestatem.

In commissionibus autem ad inspiciendum & discutiendum seu exequendum aliquorum petitiones juxta Papalia Instituta, uno Commissariorum Capituli per mortem vel infirmitatem seu causam legitimam vacare nequeunte; alius Commissariorum de consensu Abbatum & Conventuum, quos tangit negotium, unum Abbatem alium valeat subrogare, qui consimilem in commissione habeat potestatem. Nec alicui liceat Abbates ad discutiendum à Generali Capitulo petere, quousque tractatum solennem fecerit, & sub Notarii autentica, juxta formam Apostolicam & Capituli, eidem Capitulo primitùs studuerit præsentare. Quicunque Commissarius Capituli Generalis qui anno commissionem sequenti, id quod super commissione sibi facta fecerit, renunciare distulerit, justo impedimento cessante, tribus diebus uno eorum in pane & aqua faciat levem culpam: quam si facere contempserit, quousque ipsam fecerit, gradum Altaris ascendere non præsumat.

Inhibetur personis Ordinis universi, ne in visitationibus, electionibus, correctionibus, punitionibus aut ea tangentibus consilio vel auxilio Advocatorum aut personarum sæcularium uti audeant vel præsumant. Item si quandoque Abbates Ordinis dilationem debitorum impetraverint ab aliquo Domino gratiosè, ad illa debita, quæ debentur personis Ordinis, non extendatur: qui secùs fecerit, excommunicationis incurrat sententiam *ipso facto*. Eidem pœnæ subjaceant qui jam impetratâ tali gratiâ uti præsumerent contra personas Ordinis quoquo modo.

Omnibus Abbatibus & Abbatissis qui Capitulo Generali tenentur in quibusdam annuis redditibus præcipitur; quatenùs sine defectu quocunque, terminis assignatis & locis, solvant de cætero id quod debent; aliàs omnia damna & interesse, quæ propter defectum solutionis dictum Capitulum incurrerit, solvere tenebuntur: & si post terminum per mensem solvere distulerint, Abbas vel Abbatissa in hoc culpabiles ingressum Ecclesiæ sibi noverint interdictum. Cellerarius verò & Bursarius, Celleraria & Bursaria *ipso facto* auctoritate Capituli Generalis à suis officiis deponantur, nec aliquod officium possint exercere sine licentia Capituli memorati. Inhibetur districtiùs, ne aliqua persona Ordinis cujuscunque sexûs, dignitatis, aut statûs existat, irrequisito Ordine, pro quocunque dono vel debito bona Ordinis arestari seu saisire per se vel per alium, quocunque exquisito colore, faciat vel procuret per justitiam vel potentiam sæcularem, vel eis præsidium, auxilium præbeant aut favorem. Quicunque autem contrarium fecerit, excommunicationis sententiam incurret *ipso facto*. Nec se adinvicem trahant ad sæcularia judicia super actione quacunque, irrequisito Ordine vel Capitulo Generali: qui aliter præsumpserit, si Abbas fuerit, suspensionis, aliæ verò personæ excommunicationis sententiam incurrant *ipso facto*.



CAPUT II.

De Appellationibus & Impetrationibus contra Ordinis Instituta.

DE Correctionibus Abbatum & Fratrum quære in *Charta Charitatis capite quinto.* Cùm per Sedem Apostolicam Cisterciensi Ordini sit indultum, ne pro quavis causa in Ordine emergenti extra Ordinem audeat quis appellare; & per Canones prohibeatur, ne à Correctionibus regularibus quis appellet: Ordinatur, quòd si quis per judicem, frivolè vel temerariè appellasse fuerit sententialiter reputatus, tanquam excommunicatus ab omnibus habeatur & evitetur; & per eum à quo appellaverat, usque ad nutum Capituli carceri mancipetur. Qui verò sic temerè appellantibus dederit auxilium, consilium vel favorem, per se vel per alium, publicè vel occultè, eamdem incurrat excommunicationis sententiam; & Conspiratorum pœnæ subjaceat. Districtè præcipitur Abbatibus judicibus Ordinis universi, ut in suis Correctionibus non excedant; Abbates verò qui excesserint, à suis superioribus graviter puniantur. Quòd si nec sic debito modo correxerint, citentur ad Capitulum Generale; ubi si per excessum correctionum ipsorum, scandalum exortum fuerit, deponantur.

Statuitur, quòd quæcunque persona Ordinis per se vel per alium literas, preces vel minas à quibuscunque personis quæ non sint de Ordine nostro, impetraverit vel impetrare procuraverit, seu uti præsumpserit impetratis, ne pro suis excessibus puniatur seu quòd de pœna relaxetur vel quòd ad Officia Ordinis promoveatur: *ipso facto* sententiam excommunicationis incurrat. Et nihilominùs si super hoc convictus fuerit vel convicta, nunquam de cætero ad aliquod Ordinis officium admittatur sine speciali licentia Capituli Generalis.

Causa hujus ordinationis quoad *cessationem à divinis* est quod ut supra vidimus in Libello Antiq. defin. dist. 7. c. 6. hu-

Statuitur, quòd quandiù rebelles & inobedientes in punitionibus, correctionibus, incarcerationibus, ablationibus habitûs, Officiorum depositionibus, emissionibus, Monachi vel Conversi in Monasteriis vel Monasteriorum locis per triduum & ultrà contra mandatum, vo-

luntatem seu inhibitionem Abbatis proprii perstiterint: in ipsis Monasteriis & locis quandiu ibi in tali rebellione fuerint, cessetur penitùs à divinis. Personæ autem cum talibus participantes quovis modo, seu dantes auxilium, consilium vel favorem, excommunicantur in his scriptis: & deprehensæ, ut Conspiratrices per omnia judicantur puniendæ.

Hujusmodi Rebelles incurrunt sententiam excommunicationis *ipso facto*.

CAPUT III.

De Casibus in quibus Abbates possunt absolvere; & de Conventionibus inter Abbates & Monachos.

ABBATES possunt absolvere de levi manuum injectione in Clericum sæcularem de privilegio speciali. Abbates certos casus & articulos ad absolvendum & dispensandum possunt sibi, si voluerint, reservare, & committere super eisdem potestatem absolvendi quibus & quando videbitur sibi expedire. Conventiones, contractus, sive Ordinationes quascunque, sive pacta inter Abbates nostri Ordinis & eorum Monachos vel Conversos facta quomodo libet, vel inita contra communia Ordinis Instituta & in posterùm facienda: nullius firmitatis robur obtineant, quousque fuerint per Capitulum Generale confirmata.

CAPUT IV.

De Statutis Domini Papæ & Ordinis; & de Libello Definitionum; & Definitionibus annualibus habendis & legendis.

ABBATIBUS Ordinis universi injungitur, quatenùs Statuta seu Institutiones vel Ordinationes Domini Benedicti Papæ XII. de Reformatione Ordinis nostri habere procurent, & ea observent & observari faciant sub pœnis in eisdem contentis. Abbatibus, Cellerariis & Bursariis sub pœna depositionis ab officiis præcipitur, quòd dicta Statuta celeriter & absque mora conscribi faciant;

& Libello Definitionum vel Regulæ Copulari.

Cùm per Statuta Papalia prohibeatur, quòd Sylvæ non cæduæ minimè vendantur, &c. Declaratur quòd nec per parvas pecias pro construendis doliis vel aliis fabricandis, nec etiam aliter, nisi cum solennitate in dictis statutis Papalibus constituta, vendi possint absque pœna perjurii incurrenda. Ordinationes, conventiones & contractus inter Abbates & Conventus super carnibus edendis certis temporibus, eleemosynis, redditibus, victualium qualitate & quantitate, quæ Ordinationibus & Statutis Domini Papæ Benedicti contradicunt, super quibus tam usum quàm literas habere dicuntur, revocantur penitùs & annullantur in quibuscunque Monasteriis sint observata.

Quia contra Instituta Papalia aliqui Priores, Cellerarii ac Monachi aliqui extra Dormitorium habere cameras nituntur appropriatas, in quibus carnes comedunt ac pernoctant, & invitant quos volunt ad esum carnium sine proprii Abbatis licentia, dicentes hoc sibi licere de consuetudine usitata; carnes quoque postulant sibi certis diebus & temporibus ministrari: Injungitur Abbatibus Ordinis universi, ut in his & aliis faciant Instituta Papalia observari: Transgressores per amotionem à suis officiis vel aliter ut meruerint puniendo. Abbates qui contra Papalia Instituta, Monachis & Conversis portiones panis & vini in Infirmitoriis vel Refectoriis quotidiè distribuunt & assignant ultrà Statuta Papalia vel pœnas ibidem contentas, excommunicationis incurrant sententiam, *ipso facto* auctoritate Capituli Generalis.

Statuta Capituli Generalis postquam fuerint edita & in publico promulgata ligant, adeò quòd nisi in sequenti Capitulo expresè revocata fuerint, censentur tacitè confirmata.

Abbatibus Prioribus & Subprioribus Ordinis præcipitur ut Libellum Definitionum editum anno Domini millesimo trecentesimo decimo sexto, unà cum præsenti habeant & observent ac legi faciant omni excusatione semotâ, prout in dicto Libello dist. 7. cap. 4. & in fine dicti Libelli in decreto pleniùs continetur, & hæc faciant sub pœnis ibidem contentis.

Patribus Abbatibus & Commissariis Ordinis universi injungitur,

injungitur, ut Definitiones anni cujuslibet Generales & speciales, illis quos tangunt & pro quibus fuerunt editæ per se vel per alium præsentare studeant singuli gradatim in Monasteriis sibi subditis vel commissis, & in eorum Capitulis publicare competenti termino, infra annum Ordinationis ipsarum; injungantque Abbati, si præsens fuerit; alioquin Priori vel Cantori, ut earum copiam accipiant sibique retineant & observent: alioquin tam tradere quàm accipere copiam suis sumptibus negligentes, tribus diebus uno eorum in pane & aqua faciant levem culpam, quam donec fecerint vel definitiones ipsas habuerint, gradum Altaris ascendere non præsumant. Inhibetur autem omnibus Abbatibus sub pœna excommunicationis latæ sententiæ ne convocationes Abbatum facere, statuta condere vel certas pœnas contra delinquentes imponere præsumant: talia verò facientes seu fieri procurantes ultra dictam excommunicationis sententiam, eo ipso pro depositis habeantur & per Patres Abbates pro depositis nuncientur.

CAPUT V.

De Criminosis.

CRIMINOSOS vel qui publicas egerint penitentias prohibetur ad consilia Ordinis evocare, qui si fortè se immiscuerint & contradixerint aliis famæ sanioris, proborum & saniorum teneatur consilium, talium contradictione non obstante. Et ne crimina maneant impunita declaratur, quod sæculares ac alterius religionis personæ honestæ admittantur in testimonium contra quascunque personas Ordinis si legitimum aliud non obsistat impedimentum.

CAPUT VI.

De Carceribus.

QUICUNQUE Monachus carceri mancipatus est, si de ipso carcere sine licentia exierit aut ipsum carcerem fregerit, non promoveatur ad quoscunque actus legitimos absque licentia Capituli Generalis.

CAPVT VII.

De Proprietariis & luſoribus & arte Arquemiæ.

Arquemia ſeu alquemia dicitur ἀπὸ τῶν χυμῶν id eſt ab extrahendis ſuccis per vim caloris & ignis. Eſt autem hæc ſcientia vana & illuſoria, & à Summo Pontifice Ioan. XXII. prohibita.

Non intellexit Julianus aliam quam artem damnarint hic novellæ Ordinis definitiones aut Joannes PP XXII. Enim verò nihil tam licitum quam ſuccorum è diverſis plantis & alijs rebus per vim caloris & ignis ad medicamenta utilis extractio. Juliani ergo annotatio planè ridicula.

STATVTIS Papalibus & aliis contrà proprietarios in ſuo robore durantibus, ſtatuitur, quòd in ſingulis Capitulis Ordinis in quibus ſermonem haberi contigerit, proprietarii Ordinis noſtri per Abbates vel Præſidentes excommunicati ſolenniter nuncientur. Diſtrictiſſimè verò prohibetur perſonis Ordinis univerſi cujuſcunque Status extiterint ne cuiquam præſumant de cætero de rebus quibuſcunque ſeu quomodocunque & qualicunque permiſſione habitis in morte teſtamentum facere vel quomodo libet pro voluntate ordinare, cùm in his nihil poſſint clamare liberum, ſed ſint omnia ſuperioribus ſuis, ſi ſubditi ſunt: vel Conventibus ſuis ſi Abbates fuerint, fideliter aſſignanda ſuis Succeſſoribus conſervanda. Qui contrà facere præſumpſerit tanquam proprietarius & excommunicatus honore & fructu, ſine quacunque interpretatione, Eccleſiaſticæ careat ſepulturæ.

Ludus taxillorum & ludi quicunque illiciti interdicuntur perſonis Ordinis univerſi. Qui verò contra fecerit & ſuper hoc convictus fuerit per annum integrum ultimus omnium habeatur & omni ſextâ feriâ ejuſdem anni ſit in pane & aqua. Quod ſi nec ſic fuerit emendatus privetur habitu regulari. Inhibetur quoque ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ perſonis Ordinis univerſi ne arte alchymiæ quoquomodo uti audeant vel præſumant. Quæcunque verò perſonæ Ordinis, aliquos uti cognoverint denunciare eos ſuis Superioribus teneantur, ſub pœna prædicta.

Ars alchymiæ quæ hîc prohibetur alia non eſt niſi vilioris metalli in prætioſi transmutatio: tentata quidem ſed vanè toties quoties.

CAPVT VIII.

De diffamantibus ſuos Superiores.

DEFINITIO edita de pœnis imponendis contra adeuntes Principes & Poteſtates pro Abbatum creatione, viſitatione, &c. Ad Monachos & Converſos Abbates ſuos & alios, maximè apud Potentes & ſublimes perſonas, diffamantes ſcripto vel verbo, extenditur, hoc

addendo quod si tales semel puniti reinciderint in idipsum, perpetuo carceri mancipentur.

CAPVT IX.

De deprehensis in contagio Carnis.

QVICVNQVE Monachus vel Conversus propter incontinentiæ suæ vitium publicam egerit pœnitentiam & Ordinis sui gradum perdiderit, nullum alium gradum assequatur, nec ad actus legitimos admittatur nisi duntaxat de licentia Capituli Generalis, sed in eodem gradu permaneat in futurum in quo punitus fuerit. Qui Monasterium aliunde quàm per portam egressus fuerit etiam clara die, tanquam deprehensus in carnis contagio puniatur.

DISTINCTIO VIII.

De Visitationibus & Electionibus.

CAPVT PRIMVM.

De forma Visitationis & Visitatoribus.

DE Visitationibus faciendis quære in *Charta Charitatis; Capite secundo.* De Visitationibus Domûs Cistercii & proclamationibus in ea faciendis, de Visitationibus aliis & Visitatoribus, de potestate, de evectionibus ac pitantiis eorum, & de protelatione Visitationis, quære in *Clementina, Capitulo quinto, sexto* & *septimo.*

In virtute Obedientiæ præcipitur Abbatibus filiis & eorum Conventibus, quatenùs Patribus Abbatibus & eorum Commissariis, pro eundo & redeundo, expensas moderatas justo libramine taxatas solvere non postponant; consuetudine qualibet nonobstante. Quicunque verò Visitatoribus propriis vel eorum Commissariis expensas recusaverint solvere competentes, quantitate pensata itineris & qualitate personæ; si Abbas fuerit sic recusans, ab ingressu Ecclesiæ donec satisfecerit sit suspensus: si verò Abbas non fuerit præsens, & Cellerarius & Bursarius solvere negligentes fuerint, à suis Officiis depositi sint *ipso facto*;

nec illa nec alia exequantur, donec ipsis Visitatoribus fuerit satisfactum.

De donis factis Visitatoribus quære in *Clementina, Capite septimo.* Præcipitur autem non improvidè & injungitur personis Ordinis universi, ut omnes Visitatores illos quos sciverint aut probabiliter audiverint suspecta munera in suis Visitationibus suscepisse, denunciare procurent Capitulo Generali, ad ejus arbitrium severitate debita puniendos. Præcipitque Capitulum Generale ut Visitatores ad Monasteria visitanda, propter guerras accedere non valentes, committant aliis vices suas: Nec Conventus ad alia Ordinis Monasteria aut alibi citare præsumant nisi Conventus ipsi, ex causa legitima hoc requirant.

CAPVT II.

De Abbatibus translatis & cedentibus: & pensionibus sibi datis.

TRANSLATIONES Abbatum & Abbatissarum in Ordine non fiant, nisi fortè propter aliquam evidentem utilitatem, de Domini Cistercii & quatuor primorum licentia, vel saltem alicujus ipsorum cùm ipso Domino Cistercii, aliter fuerit Ordinatum. Qui verò aliter præsumpserit tam transferens quàm translatus ipso facto se esse depositos noverint auctoritate Capituli Generalis. Quotiescunque Abbatem aliquem ad aliam Abbatiam transferri & Monachum in alieno Monasterio promoveri contigerit, omnia & singula bona quæ habuerint secum de Abbatis & Conventus licentia deferenda, in scriptis tenebuntur redigere & scriptum sui sigilli munimine roborare, & Abbati à quo recedunt dimittere sigillatum, quòd si facere neglexerint, eo ipso se excommunicationis sententiam noverint incurrisse.

Definitioni aliàs editæ de pensionibus concessis vel concedendis Abbatibus sponte cedentibus, & benè meritis, additur, quòd si iteratò ad Abbatiæ regimen eos contigerit promoveri, & inde postmodum sponte cedere, hujusmodi pensio post cessionem non expiret, sed eadem gaudeant liberalitate sicut priùs. Abbates qui cesserint vel

Abbatissæ, si suo Abbati vel suæ Abbatissæ inobedientes fuerint reperti, per visitatorem secundùm quantitatem meriti puniantur: quòd si sic correcti non emendaverint, sciant se per Generale Capitulum, dum ad ejus pervenerit notitiam, per substractionem pensionum vel aliàs gravi animadversione plectendos. Hoc ipsum committitur Patribus Abbatibus & eorum Commissariis exequendum; & si per tres dies inobedientes extiterint eo solo, dictum Capitulum eos decernit privatos pensionibus & gratiis sibi factis Abbatibus autem sponte cedentibus & benè meritis concedi poterit per Patrem Abbatem vel Successorem, ut immediatè ubique resideant post Abbates. Ordinatur etiam quod cum alicui aliqua pensio est concessa, si eam in quemcunque alium vel alios quoquomodo transferre præsumpserit, perpetuò privetur hujusmodi pensione & ad communitatem Monasterii unde sumpta est reducatur.

CAPVT III.

De inquirendo Statu Monasteriorum in creatione, morte & translatione Abbatum, & de taxatione personarum.

IN nova creatione Abbatum, Patres Abbates vel eorum Commissarii de Statu domûs diligenter inquirant, quid & quantum debeant seu habeant in mobilibus, & quæ eis debita debeantur, præmissaque & singula sub sigillis suis Abbatibus creatis reconsignent: Eaque omnia & singula in Papiro Bursariæ coram senioribus domûs faciant cum integritate conscribi. Item quoties Abbatem Ordinis cedere seu decedere, seu ad aliud Monasterium Ordinis nostri transferri contigerit, Prior, Cellerarius, Subprior, cum tribus aut quatuor de senioribus & sanioribus domûs, de bonis Monasterii, Iocalibus, pecunia, utensilibus & aliis quibuscunque plenum & lucidum inventarium studeant facere, & futuro Abbati eadem ex integro consignare. Quicunque verò aliquid penes se quovismodo retinere vel retrahere præsumpserit, *ipso facto* excommunicationis sententiam se noverit incurrisse. Non est tamen intentionis quin Officiales vacantis Monasterii de bonis & redditibus

ejusdem, nonobstante ejusmodi sententia, debeant Monasterii necessaria facere & prout viderint utiliter procurare.

In Monasteriis tam Monachorum quàm Monialium in quibus facta est taxatio personarum, si Patres Abbates vel eorum Commissarii per Abbatum seu Abbatissarum ac Conventuum negligentiam, personarum numerum invenerint minoratum, eos ad implendum numerum per censuram Ordinis studeant compellere auctoritate Capituli Generalis, si Monasterii viderint suppetere facultates.

CAPVT IV.

De Officialibus instituendis & juramento ab illis præstando.

OMNIBVS & singulis Abbatibus injungitur, quatenùs Officiales præsertim majores, de cætero faciant & ordinent cum consilio seniorum Monachorum, servatis in aliis Regularibus Institutis. Ad Abbatis tamen consilium nullus præsumat accedere, per ipsum Abbatem proprium non vocatus, nonobstante consuetudine quavis contraria quæ reprobatur & penitùs annullatur. Statuitur etiam ut Monachi ad consilium vocandi, ad requisitionem Abbatis jurare teneantur, quòd secretum consilium tenebunt & illud nullatenùs revelabunt.

Officiales Ordinis cùm instituuntur jurare teneantur, quòd nullum apponent repugnationis obstaculum, nullum procurabunt defensionis præsidium, quin ad jussionem Abbatum dimittant officium absque contradictione quacunque, aliàs nullatenùs valeant promoveri. Omnes quoque Novitii Ordinis antequam ad professionem recipiantur jurare teneantur, quòd Statutum hujusmodi eis luculenter expositum observabunt. Abbates autem qui Officiales instituerint, vel Novitios ad professionem receperint non præstito ab eis & eorum quibuslibet hujusmodi juramento, tandiù extra stallum Abbatis maneant, donec exegerint juramenta, aut Officiales amoverint non jurantes: Receptos autem absque juramento Novitios in basso Choro teneant donec præstiterint juramentum, & hæc definitio cum charta Visitationis annis singulis recitetur.

Monachi vel Conversi cùm committuntur ad messes vel Redditus recipiendos aut ad alia quævis negotia exercenda jurare solenniter teneantur, quod substantiam domus custodient & recuperabunt fideliter & alia injuncta Officia tam sollicitè quàm utiliter procurabunt. Qui verò jurare renuerint per Abbates proprios irremissibiliter ultimi omnium collocentur ac panis & aquæ pœnitentiâ; quandiù in contumacia vel inobedientia perseveraverint; percellantur: & nihilominùs die qualibet in Capitulo recipiant disciplinam, & si Officiales fuerint deponantur.

Abusus in quibusdam Monasteriis observatus, quòd certi numeri consiliari à Conventibus eligantur, quorum consilio Abbates ferè in omnibus regulentur, scriptis etiam ordinationibus, & Statutis assignatis, quæ Abbates debeant observare & non discedere ab eisdem sine eorum beneplacito, extorto etiam de illis servandis ad sancta Die Evangelia juramento, reprobatur; prohibeturque talia attentari vel attentata servari; sed juxta Abbatis arbitrium & Patrum Abbatum, (si fuerit opus,) consilium, Monasterii negotia disponantur, requisito tamen, in quibus fuerit requirendum, consilio Conventuum suorum. Qui verò aliter Abbates suos præsumpserint coarctare tanquam conspiratores per omnia puniantur: Conventus verò si secus voluerit Abbatem suum unanimiter compellere quovismodo, tandiù subjaceat interdicto, quousque errorem suum recognoscens humiliter & desistens ab ipso, mereatur relaxationem & gratiam obtinere. Abbates autem, ut prædicta meliùs exequantur, in quavis grangia seu loco extra Monasterium moram continuam vel longinquam facere non præsumant.

CATVP V.

De Electionibus & qualitate Eligendorum.

DE Electione Abbatis Cistercii quære in *Clementina*; *Capite secundo:* de Electione aliorum Abbatum Ordinis quære in *Charta Charitatis, distinctione septima, Capite quinto.* Porrò in vacantibus Monasteriis ad novi Pastoris substitutionem nullatenùs procedatur, nisi Patre Abbate vel ejus Commissario requisito primitùs & præsente:

Electio aliter facta irrita ſit & inanis, & Eligentes jure eligendi tam activè quam paſſivè, illa vice ſint privati: Proviſione de perſona idonea Monaſterio viduato, penes Patrem Abbatem remanente vel penes Commiſſarium; & hæc definitio extendatur ad Moniales. Item ſtatuitur quòd quandocunque Electionem in noſtro Ordine in diſcordia contigerit celebrari, ille qui à duabus partibus fuerit electus, ſi perſona electa fuerit idonea & electores ad eligendum habiles, per Patrem Abbatem vel per eum cui commiſit vices ſuas in prædictis, Electus modo prædicto, abſque contradictione qualibet confirmetur. Et quia Electio modo debito non procedit abſque mutuo conſenſu eligentium, & electi, inhibetur electionem quamcunque confirmari donec electæ perſonæ habeatur conſenſus: & ad conſentiendum electioni Abbas ipſius electi, ipſum inducere teneatur.

In Electionibus autem Ordinis noſtri nulli Patres Abbates vel eorum Commiſſarii eligentium impediant libertatem ſub pœna depoſitionis, nec contrà formam Ordinis à ſanctis Patribus obſervatam in ipſis Electionibus præſumant procedere, ſed totaliter obſervare ſtudeant contentum in *Clementina* in qua multæ juris ſolennitates noſtro Ordini de ſpeciali gratia remittuntur, conſuetudine quæ in aliquibus Monaſteriis dicitur uſitata, quòd in Electione omnes Sacerdotes vocem habeant, penitùs reprobata.

Indulgetur Conventibus quatuor primarum Abbatiarum gratioſè, quòd cùm aliquam vel aliquas prædictarum Paſtore vacare contigerit, ſi Electores omninò concordes fuerint liceat eis liberè ſumere, quemcunque Abbatem in linea aliarum Generationum prædictarum, & etiam de linea Ciſtercii definitione qualibet ſuper hoc in contrarium edita nonobſtante; non tamen intenditur quod proviſionis gratia ad hoc aliquatenùs ſe extendat. Omnibus Abbatibus filias habentibus ab eis nimis remotas, præcipitur, ut Abbatibus diſcretis vicinis committant vices ſuas, ut in eis, ſic ab eiſdem diſtantibus & remotis, ſi eaſdem vacare contigerit, confirmare valeant ſeu etiam providere, *Clementina* & *Statutis* Ordinis obſervatis.

CAPVT

CAPUT VI.

De Episcopis ab Ordine assumptis, de quatuor primis Abbatibus & de Magistris in Theologia.

INHIBETUR omnibus Abbatibus Ordinis, ne Episcopos ab Ordine assumptos, in suis Monasteriis recipiant, nec Monachos suos per eos ordinari faciant, donec de ipsorum Institutione canonica legitimè eis constiterit per patentes Literas Capituli Generalis sigillo sigillatas, nonobstantibus quibuscunque literis recommendationis eisdem Episcopis per quascunque personas Ordinis concessis, cujuscunque status aut conditionis existant; nec talibus Episcopis, ab eisdem Abbatibus Monachus aliquis ad commorandum aliqualiter concedatur.

Illis autem quibus per Sedis Apostolicæ gratiam, seu per Electionem concordem Canonicorum alicujus vacantis Ecclesiæ fuerit provisum, vel providebitur in futurum de Episcopatûs Officio, non intenditur per Constitutionem præsentem in aliquo derogari.

Quatuor primi Abbates Ordinis in suis Monasteriis nulli supervenienti cujuscunque generationis sit cedere teneantur. *Abbates Magistri in Theologia* post quatuor Abbates, & Abbates de Prulliaco & de Savigniaco sedeant ubicunque: Magistri autem non Abbates benedictionem in Monasteriis per quæ transierint accipiant super gradum, sed conceditur illis ut possint, Abbate aliquo non vocato, in Monasteriis Monialium Visitatoris Officium exercere. Prædictis tamen Abbatibus Magistris in Theologia inhibetur, ne remaneant in Studio post annum postquàm adepti fuerint Cathedram magistralem: nec cuiquam super hoc absque mandato speciali Capituli liceat dispensare.

Abbates Magistri, &c. Iste mos jam sublatus est per usum contrarium.



DISTINCTIO IX.

De Officialibus.

CAPUT PRIMUM.

De sigillis & sigillatione literarum.

PRÆCIPITUR quòd fiat sigillum speciale pro sigillandis tantummodo suffragiis quæ conceduntur in Capitulo Generali. Definitiones verò Capituli de contra-sigillo Domni Cistercii licitè poterunt sigillari, & quæ contra-sigillo fuerint sigillatæ, faciant plenam fidem. In omnibus sigillis Conventuum imago Beatæ Mariæ imprimatur, & sigilla ipsa de cupro fabricentur. Sigillum Conventûs ab eisdem personis custodiatur, à quibus & modo simili quo Benedictus XII. Papa in Statutis suis pecuniam venditionum statuit custodiendam.

Cùm in Statutis Papalibus sit contentum, quòd in tractatibus per Abbates & eorum Conventus faciendis, cum sigillis Abbatum & suorum Conventuum litera autentica apponatur, ac nonnulli Abbates remotarum Regionum Tabelliones minimè valeant reperire; providè statuitur, quòd in tractatibus prædictis poterunt Abbates Ordinis universi, si voluerint pro litera autentica sigillo cujuslibet Abbatis Ordinis nostri unà cum suis; Abbatis videlicet & Conventûs, uti: Nec alicui liceat Abbates ad discutiendum à Generali Capitulo petere, quousque tractatum solennem fecerit, & sub nota autentica eidem Capitulo primitùs studuerit præsentare.

In nova creatione cujuslibet Abbatis novi, sigillum prædecessoris in præsentia Visitatoris & Conventûs frangatur, & Abbas de novo creatus, sigillum in quo nomen suum proprium apponi faciat, de novo fabricari procuret: & hoc & alia de sigillis Abbatum & Conventuum eorumque custodia ordinata, ad sigilla Abbatissarum & Conventuum Monialium Ordinis extendatur. Abbatissæ autem ad tradendum suis Conventibus sigilla, per Patres Abbates compellantur, per depositionem vel aliter, si in hoc fuerint rebelles.

Abbates qui literas Contributionum, quæ eis impo-

nuntur vel per quas interdum citantur ad Capitulum sigillare renuunt, à Superioribus viva voce vel per ipsorum literas requisiti, gradum Altaris ascendere non præsumant quoad usque literas sigillaverint memoratas, nisi causam habeant, ad quam probandam citentur ad tunc sequens Capitulum Generale.

CAPVT II.

De Expensis Abbatum ac Officialium.

PATRIBVS Abbatibus ac eorum Commissariis præcipitur & committitur, quatenùs omnes personas Ordinis in equorum, vasorum argenteorum, lectisterniorum, vestium aliorumque ornamentorum varietate & multitudine, etiam in pompis irrationabiliter expendentes seu excedentes; puniant & corrigant auctoritate Capituli Generalis.

CAPVT III.

De Contributionibus impositis & imponendis.

QVÆRE in *Libello Definitionum, distinctione septima, Capite primo.* Quotiescunque contributiones fieri contigerit in Ordine in futurum; Abbates summas sibi impositas Receptoribus Ordinis in sequenti Capitulo Generali apud Cistercium solvere tenebuntur, nisi propter necessitates Ordinis emergentes, & ex certis causis, Definitores Capituli alium solutionis terminum & locum duxerint ordinandum. Abbates statuto termino non solventes, *eo ipso* excommunicationis vinculo se ligatos agnoscant. Monachus vel Conversus, qui contributiones Ordinis ne solvantur statutis terminis, per se vel per alium, clàm vel palàm impedire præsumpserit seu impediri procuraverit quovis modo, eadem excommunicationis sententia *eo ipso* denunciatur irretitus, & tanquam Conspirator per omnia puniendus. Si verò Abbates propter contributiones non solutas excommunicationis sententiam per sex menses continuos sustinuerint animo indurato, ex nunc prout ex tunc deponantur: non est tamen intentionis quòd

ob hoc aliquis Abbas reputetur depositus, quousque per Superiorem Abbatem vel ejus Commissarium depositus fuerit renunciatus.

Patribus autem Abbatibus & Commissariis eorundem in virtute sanctæ Obedientiæ præcipitur & committitur, quatenùs de non solventibus inquirant in suis Visitationibus, diligentiâ quâ convenerit, veritatem; & quos repererint non solvisse, excommunicatos denunciare studeant & depositos, si, ut dictum est, eorum contumacia hoc requirat. Et ad hujusmodi pleniùs exequenda, tam Patres Abbates quàm Commissarii eorundem efficaciter teneantur. Quòd si facere scienter omiserint, tribus diebus jejunent in pane & aqua sine dispensatione quacunque, alioquin suspensi maneant ad minùs donec pœnitentiam peregerint memoratam. Conventus verò qui impedimentum præstiterint ne solvantur contributiones, supponantur Ecclesiastico interdicto, quousque de prædictis Capitulo Generali extiterit satisfactum.

Domno Cistercii & quatuor primis cuilibet in Generatione sua committitur, quatenùs quoties & quando viderint expedire, certos & discretos Abbates, Commissarios ordinent, qui ad expensas Abbatum non solventium totam perlustrantes provinciam, in singulis Monasteriis Ordinis studeant diligenter inquirere, qui Abbates non solverint: & quos non solvisse repererint, excommunicatos denuncient vel depositos, ut est dictum.

Similiter Domno Cistercii & quatuor primis cuilibet in Generatione sua committitur, quatenùs in remotis partibus seu Provinciis Abbates provideant providos & discretos, qui contributiones impositas & in posterùm imponendas recipiant, & ad expensas Ordinis mittant semper immediatè sequenti Capitulo Generali: Abbates verò qui summas vel quotas sibi impositas solvere neglexerint vel contempserint, pœnas contrà non solventes impositas & imponendas, *eo ipso* se noverint incurrisse.

Patres Abbates Ordinis universi summas contributionum & quotas per eos impositas filiis suis, rescribere teneantur superioribus suis immediatè, & de his gradatim usque ad primum superiorem generationum suarum, ut per relationem singulorum impositorum, solutorum & non so-

lutorum certitudo habeatur : & de his teneantur referre Capitulo Generali, inquirantque in quantum sunt eorum subditi de non solutis contributionibus obligati, & referant seu rescribant Capitulo Generali.

In Monasteriis in quibus Abbates propter guerras vel alias rationabiles causas non possunt tutè vel commodè residere, Priores, Cellerarii, Bursarii, & alii redditaum Receptores si contributionum quotas suis Monasteriis impositas & imponendas terminis constitutis solvere neglexerint seu distulerint, *eo ipso* pro depositis habeantur & inhabiles de cætero efficiantur, nisi de Capituli Generalis licentia speciali. Cæteri autem Officiales Monachi qui impedimentum præstiterint clàm & palàm pœnis consimilibus involvantur.

Quicunque Pater Abbas, cujuscunque Provinciæ fuerit, aliquid de contributionibus filiis suis impositis receperit vel recipiet in futurum, nisi infra tunc sequens Capitulum Generale de sic receptis satisfecerit, vel Generali Capitulo fidelem computationem reddiderit, in sententiam excommunicationis incidat *ipso facto*; & nihilominùs in hoc deprehensus, pro deposito habeatur. Moniales propter inopiam absolvantur à contributionum solutione, quousque per Generale Capitulum aliud fuerit ordinatum.

CAPUT IV.

De Priore.

STATUITUR districtiùs inhibendo ne aliquis Prioris fungens Officio, aliud extra Monasterium Officium exequatur. Infrà verò Monasterium, cum Prioratu, exceptis Bursariæ & Portariæ Officiis, poterit si necesse fuerit, alia Officia exercere. Hanc autem Definitionem Generale Capitulum ad Priorissas Monialium vult extendi. Conceditur quoque Priori Cistercii, qui nunc est vel pro tempore fuerit, ut possit, Abbate aliquo nostri Ordinis vocato, in Monasteriis Monialium Visitationis Officium exercere.

CAPUT V.

De Infirmis.

MONACHI & Conversi Ordinis nostri in omnibus Infirmitoriis sibi invicem serviant, & personæ sæculares ab hujusmodi famulatu quantum possibile fuerit excludantur. Illi autem qui propter incurabilem infirmitatem sunt ab aliis segregati, servitores sæculares habere poterunt, ubi visum fuerit Abbati expedire; servire autem nolentes, in pane & aqua pro inobedientia puniantur.

CAPUT. VI.

De Vestiario.

NULLI Ordinis nostri, quocunque nomine censeatur habitum deferre liceat alterius coloris quam albi & bruni prout in statutis *Papalibus* continetur. In calciamentis etiam & omnibus aliis, adeò compositè & honestè se habeant ut nihil appareat quod possit offendere intuentes. Transgressores à suis superioribus moneantur charitativè ut desistant, & nisi destiterint, elapso termino monitionis sint inhabiles ad quæcunque officia donec se retrahant à commissis. Quòd si fuerint obstinati, si Monachi fuerint aut Conversi, de propriis Monasteriis expellantur; si verò in hoc Abbates excesserint, per Patres Abbates corrigantur vel citentur ad Capitulum Generale, & definitio hæc extendatur ad Moniales Ordinis.

In Statutis Papalibus, id est, in Benedictina cap. 10.

CAPUT VII.

De Provisoribus, de Studiis & Studentibus.

IN Civitate Pragensi Metropoli Regni Bohemiæ ordinatur construi Studium Ordinis Generale: ad quod mittant qui voluerint mittere, dum tamen servetur Statutum Domini Benedicti XII. Papæ de Studio Parisiensi, cui non intenditur ullatenùs derogari. Remaneat autem istud Studium sub regimine Abbatis de Aula-Regia cum plenitudine plenariæ potestatis.

Ordinatio verò Studii sancti Bernardi Parisiensis remanet penes Capitulum Generale, & per Domnum Cistercii & quatuor primos in ordine vicis suæ aut eorum Commissarios visitabitur successivè; quæ visitatio fiat omni anno circa festum Beati Ioannis Baptistæ. Cellerarius Studii sancti Bernardi Parisiensis per Definitores Capituli eligetur: Eidemque Cellerario inhibetur, ne mutuum contrahere ultra bursas Scholarium audeat, nisi de Definitorum ipsorum licentia speciali.

Statuitur etiam, quòd omnes receptæ dicti Studii, tam de bursis quàm de redditibus & jardinis, quàm etiam de eleemosynis & legatis ac obventionibus quibuscunque, deveniant ad manus dicti Cellerarii & per ipsum recipiantur & expendantur, prout ad utilitatem Studii viderit expedire, & de ipsis secundùm Ordinationem Domini Papæ Benedicti XII. super hoc editam, fidelem teneatur exhibere rationem. Bursam verò integram teneantur solvere Scholares infra mensem, à festo Beati Remigii vel ab adventûs sui tempore computandum. Qui verò in principio Aprilis venerint, solvant dimidiam bursam; alioquin ex tunc solvere teneantur, pro ratâ temporis quo in Studio manserint & ex tunc nihil eis de bonis communibus ministretur. Nec alicui de Studio recedenti ante annum completum fiat aliqua restitutio bursæ suæ, nisi de sui recessûs causa legitima & necessaria fecerit plenam fidem. Sed si quis ibidem decessit aut revocatus fuerit vel remissus, Abbas ejusdem, si voluerit, alium mittat ad Studium cui ministretur de bonis communitatis, sicut & aliis pro residuo dictæ bursæ, nec alicui tardè venienti aliquid de dicta bursa defalcetur. Qui verò minùs quàm bursam taxatam imbursaverit, nihil eidem de communi ministretur.

Quòd si Scholares sine imbursatione post festum omnium Sanctorum remanserint, sententiam excommunicationis se noverint incurrisse, & nihilominùs sub eadem pœna per Magistrum, Provisorem & Baccalaureum de Studio expellantur; sed & eadem excommunicationis sententia ad residentes Parisius occasione prædicta extendatur, talesque per Cellerarium sancti Bernardi capiantur & ad propria Monasteria remittantur, ipsorum Monasteriorum sumptibus & expensis, in quibus pœnâ debitâ puniantur.

Magistri autem sacræ Theologiæ non intelliguntur præsentibus Ordinationibus obligati. Scholares autem qui se horâ prandii vel cœnæ præsumpserint absentare, nihil de bonis communibus ministretur nisi in ipso Studio præsentes fuerint ipsis horis.

Abbatibus Ordinis præcipitur, quòd de cætero tales Scholares ad Studium Parisiense mittere studeant qui sint conversationis honestæ, ad studium fervidi, & idonei ad documenta salutaris scientiæ capessenda. Ut autem dicti studentes metu pœnæ ad studendum ferventiùs animentur, refrenentur à noxiis, & à dissolutionibus arceantur: statuitur, quòd emissi de Studio ob suæ pravitatis demerita in Claustro teneantur in arctissima disciplina, nullum deinceps habituri Officium absque licentia Capituli Generalis.

Domno Cistercii & quatuor primis cuilibet in generatione sua committitur, quatenùs Abbates qui Scholares indisciplinatos & otiosos miserint ad Studium Parisiense, possint ad ipsorum revocationem compellere, auditâ Visitatoris relatione contra tales. Si verò Abbates prædicti recepto super hoc mandato Domni Cistercii, vel ab aliquo quatuor primorum prout ad quemlibet eorum pertinebit, Scholarem suum incontinenti revocare renuerit vel revocatum iterùm mittere præsumpserit: in medietate unius bursæ pro anno Parisius solvi consuetæ mulctetur, Capitulo Generali applicandâ.

Insolentiæ, dissolutiones, novæ solennitates à singulis nationibus, in servitiis, comessationibus, ludis, choreis, instrumentis musicalibus cum larvis, armis, sæculari habitu & his similia districtissimè fieri prohibentur in Studio antedicto, & instrumenta talia conservari à Scholaribus antedicti Studii. Qui præmissorum aliquid vel aliqua deinceps præsumpserit attentare, à dicto Studio expellatur, nec ei aliquid de communis bursæ substantia ministretur.

Monachi ad Studia transmittendi in Monasteriorum suorum Capitulis jurare tenebuntur, quòd de cætero contra communia Ordinis privilegia, libertates & approbatas consuetudines & Statuta aliquid clàm vel palàm per se vel per alium attentare, impetrare, seu etiam in aliquo contraire de cætero non præsument, & si jurare noluerint, non mittantur. Baccalaurei etiam in sacra Theologia in futurum

rum per Generale Capitulum ad prosecutionem sui Magisterii Domino Cancellario Parisiensi præsentandi, antequàm præsententur, jurare tenebuntur solenniter requisiti per Provisorem in Capitulo sancti Bernardi, Provisore præsente ac omnibus Scholaribus; (qui Provisor sub pœna excommunicationis *latæ sententiæ* juramentum hujusmodi exigere teneatur,) quòd videlicet cùm ad Magisterium pervenerint, contrà Ordinis Statuta, Privilegia & Libertates aliquandò in futurum non attentabunt vel per se vel per alium seu alios, nec attentare quocunque doloso colore procurabunt seu patientur pro se procurari; impetrando contrà Ordinis Instituta, Privilegia & Libertates; Nec eadem præsument vel etiam procurabunt per se vel per alium clàm vel palàm infringere vel etiam quomodolibet aliàs impugnare. Quòd si sic noluerint jurare, priventur gratiis in domibus propriis sibi factis, neque sperent ab Ordine gratiam aliquam, quousque prædictum præstiterint juramentum. Et hæc definitio se extendit ad quæcunque Ordinis nostri Studia, & Baccalaurei in illis præsentandi similiter & sub eadem pœna in Capitulis suorum Studiorum jurare tenebuntur. Provisores verò dictorum Studiorum, cùm Magistri vel Baccalaurei juramentum emittent, provideant sibi de Notariis publicis & idoneis testibus, & de his procurent fieri publicum instrumentum.

Quicunque literas, preces vel minas à personis quæ non sunt de Ordine nostro, pró promotionibus ad Magisterium vel Lecturas quascunque impetraverit vel impetratis uti præsumpserit, inhabilis sit omninò ad illum gradum quem sibi voluerit habere, de cætero obtinendum, nisi ex dispensatione Capituli Generalis. Quicunque per Ordinem præsentatum per se vel per alium clàm vel palàm impedierit vel impediri procuraverit, ex nunc prout ex tunc se vinculo excommunicationis ligatum esse cognoscat, & nihilominùs si convictus fuerit, tanquàm invidus & ambitiosus animadversione debita puniatur, nec, dato quòd casu ambitiosæ promotionis gratiam obtineat, præsumat Cathedram Magistralem ascendere; quousque præsentatus ab Ordine fuerit expeditus.

Quoniam quamplures Monachi Scholares ordinati ad

Lecturam Sententiarum & Bibliæ gravarent propria Monasteria, si remanerent in Parisiensi Studio continuè usque ad tempus assignatum eis ad legendum, consulitur Abbatibus eorundem ut revocent eos, ipsosque in aliis occupent, dum tamen illos ad Studium remittere teneantur per triennium, antequam annus incipiat in quo Lecturam fuerint incepturi. Si verò Scholares aliqui Cursores sint in Studio, qui non sint ad sententias ordinati, permittitur quòd quandocunque placuerit Abbatibus suis, possint eos de Studio revocare.

Inhibetur sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, ne quisquam Abbas vel Monachus audiat vel legat *jura canonica* in quibuscunque villis, Civitatibus, vel Castris: Abbas autem qui super hoc Monacho licentiam dederit, excommunicationis sententiam incurrat *ipso facto.* Abbatibus etiam universi Ordinis inhibetur, ne in solennibus Studiis quacunque de causa moram continuam vel longinquam facere audeant vel præsumant; omnes autem licentiæ concessæ in contrarium Abbatibus, ut omissis propriis Abbatiis studeant vel ad gradum altiorem Scholasticum promoveri valeant revocantur, & tales de cætero conferri licentiæ prohibentur.

Inhibetur etiam, ne aliquis Scholasticus in Collegio sancti Bernardi famulum, servientem vel scriptorem teneat, nisi pro eo voluerit imbursare, qui secùs fecerit, tribus diebus faciat levem culpam & visitationis tempore coram Visitatore se inde recognoscat in Capitulo. Oppositum verò nihilominùs facientes contumaciter & protervè, ex nunc prout ex tunc de Studio ejiciantur, quam ejectionem Magister & Provisor actu regens vocatis aliquibus senioribus de Studio irrefragabiliter exequantur. Nec præsumat aliquis Abbas Monachum proprium Scholarem Procuratorem constituere de cætero, cùm hujusmodi Procuratoris Officii causa & occasione posset, ad aliqua loca inhonesta ad Ordinis scandalum declinare.

Statuitur etiam quòd quotiescunque aliquis constituitur ad faciendum Subprovisoris officium pariter, & Sacristæ integraliter de communitate habeat bursam suam. Quoties verò dicta Officia committentur duobus, cuilibet communis bursæ tantùm medietas ministretur. Inhi-

betur ne alicui venienti ad franchisiam in Collegio sancti Bernardi provideatur de Camera seu Confugio, nisi per Provisorem dicti loci; & tales in consilio seu colloquio ab omnibus evitentur: Qui secùs fecerit, à dicto Studio expellatur, nec eidem de communis bursæ substantia aliquid ulteriùs ministretur.

DISTINCTIO X.

De dirigendis in viam.

CAPUT PRIMUM.

De his quibus licet ire vel mittere ad Curiam Romanam.

QUI ad Curiam Romanam, cum debita licentia accesserint, secunda die qua intraverint Procuratori Ordinis se præsentent, & causam sui adventûs integraliter & fideliter exponere teneantur: & si cum debita licentia non accesserint, dictus Procurator ipsos expellere teneatur, quòd si recedere noluerint, ipsos capi faciat Procurator tanquàm Ordinis fugitivos.

Inhibetur Abbatibus Ordinis universi, ne pro negotiis communibus alium constituant Procuratorem in dicta Curia residentem, præter Ordinis Procuratorem Generalem vel Substitutum aut Substitutos ab ipso, nisi de ipsius consilio & assensu. Qui verò Procuratorem aliter constituere præsumpserit, *eo ipso* pro quolibet annò tres florenos auri Procuratori Ordinis memorato solvere tenebitur. Abbates autem pro negotiis specialibus Procuratorem vel Monachum ad Curiam transmittentes eosdem primitùs jurare faciant, quòd infrà triduum postquam ad Curiam applicuerint, se Procuratoris prædicti conspectui, si copiam ipsius habuerint, præsentabunt. Abbates autem qui aliter miserint absque juramento, per mensem remaneant extra stallum. Procuratores verò & Monachi sic transmissi, nisi se præsentaverint, ut est dictum, cùm ad domos proprias venerint, tribus diebus faciant levem culpam. Cæterùm mittentes pro communibus nec solventes, ut est dictum, tres florenos, ad solvendum per Generale Capitulum

compellantur, ad relationem Procuratoris Generalis Ordinis cui super hoc referenti cum juramento dabitur plena fides.

Prohibetur Abbatibus Ordinis universi, ne pro quocunque de Ordine mendicantium seu illegitimo, si ad nostrum Ordinem venerit, ad Romanam Curiam pro quacunque dispensatione impetranda mittere præsumant absque licentia Capituli Generalis.

CAPUT II.

De euntibus vel redeuntibus pro negotiis Ordinis, & de hospitalitate servanda.

ABBATIBUS Ordinis districtiùs paæcipitur, ut per se & per suos in locis & grangiis suis pro regimine deputandos, hospitalitatem faciant sic observari erga personas Ordinis, quòd nullus deinceps habeat materiam conquerendi. Qui verò suos subjectos negligentes noverint in hujusmodi vel nolentes; ab administrationibus amoveant & alios instituant diligentiores. Visitatoribus autem Ordinis præcipitur, ut in Visitationibus suis super hoc an observetur, inquisitionem faciant specialem: Et Abbates quos repererint non observare per se vel per alios citent ad proximum tunc sequens Capitulum Generale, super hoc per ipsum Capitulum graviter puniendos.

Districtiùs inhibetur, ne aliqua loca vel grangiæ Ordinis nostri alicui de cætero Religioso vel sæculari sub quocunque pacto concedantur, quin in eisdem locis specialiter pro personis Ordinis, exhibitio hospitalitatis solitæ servetur. Quicunque verò de cætero aliter attentare præsumpserit, in sequenti Capitulo se inde recognoscere teneatur, ad ipsius Capituli arbitrium puniendus. Et nihilominùs si alicui personæ nostri Ordinis in prædictis locis vel grangiis de cætero hospitalitatis gratia inhumanitùs fuerit denegata, Abbas vel Abbatissa ad quem vel quam spectabit dictus locus, expensas factas illa die refundere tenebuntur illi cui fuerit hospitalitas denegata. Licet nonnunquam Generale Capitulum nonnullis Abbatibus & Conventibus eorundem Monasteriorum utilitate pensata concedat, quòd

grangias suas valeant, cùm expedire viderint commutare in villas, de intentione tamen Capituli non extitit quin locus ad hoc congruus reservetur pro hospitalitate personis Ordinis servanda, secundùm morem ibidem hactenùs observatum, cùm concessiones hujusmodi, ubi aliud non exprimitur, intelligi debeant sine juris præjudicio alieni.

Ordinatur & definitur, quòd quando personæ Ordinis in via constitutæ ad Monasteria Ordinis vel alia loca, ubi consuevit hospitalitas exhiberi, causâ pernoctandi pervenerint, ad alia loca propinqua per unam leücam Monasteriis eisdem vel locis non accedant, sed illa loca Monasteriis sic propinqua à susceptione hospitum sint exempta, Visitatoribus duntaxat exceptis & aliis personis Ordinis emissis, vel aliàs necessitate propulsis quæ recipiantur in officio Charitatis.

Districtè præcipitur quòd Cursores & Nuncii Papæ, & Cardinalium ubicunque venerint recipiantur generosè: quicunque verò eos receperint indecenter, sciant se tunc in sequenti Capitulo, si ad ipsius Capituli devenerit notitiam, gravi animadversione plectendos.

CAPVT III.

De ejectis à domibus propriis pro culpâ.

STATVITVR quòd quicunque Abbas Monachum suum vel Conversum pro Culpa emisit, decem libras Turonensium parvorum Abbati ad quem missus fuerit, pro expensis refundere teneatur; aliàs per Capitulum compellatur & debitè puniatur. Et emissus ab Abbate ad quem missus fuerit, vestes & calciamenta necessaria recipiat, prout Monachi & Conversi illius Monasterii Professi recipient secundùm patriæ qualitatem. Si quis verò Abbas Monachum vel Conversum ad se missum pro culpa retinere recusaverit, decem libras Turonensium parvorum Abbati mittenti solvere non omittat, quandocunque ab eo fuerit requisitus; non est enim intentionis Capituli, cùm Abbatem aliquem à susceptione hospitum eximit vel absolvit, quòd ad hospites pro culpa emissos hujusmodi absolutio extendatur; cùm pro eorumdem quolibet reci-

pere debeat decem libras, & sic gravatus, propter hoc non debeat reputari.

Monachi & Conversi pro culpa emittendi, si in Monasteriis ad quæ mittuntur moram trahere noluerint, pro sua inobedientia carceri mancipentur. Monachi emissi ad partes remotas pro culpa cujus post peractam pœnitentiam remanet infamia, non promoveantur inibi in Abbates; & jam promoti denunciantur non Abbates. Illi autem Abbates qui tales infames promoverint, *eo ipso* una vice potestate confirmandi privantur, talisque electio vel provisio decernitur ipso jure irrita. Quilibet Abbas Monachum vel Monachos suum vel suos pro culpa quæ non potest in Monasterio commodè emendari, ad quævis Ordinis Monasteria de cætero valeat emittere, quavis Definitione in contrarium edita nonobstante.

CAPUT IV.

De Emissis pro dispersione & remanentibus.

STATUITUR ut Abbates quorum Conventus propter facultatum suarum tenuitatem per licentiam & gratiam Capituli Generalis per aliqua Ordinis Monasteria sunt dispersi, durante hujusmodi dispersione duabus evectionibus, sive equitaturis & duobus famulis sint contenti; qui autem numerum prædictum excesserint, gratia dispersionis eisdem à Capitulo facta revocatur: Duranteque hujusmodi dispersione, nulla persona inibi recipiatur; si autem contrà præsumptum fuerit, talis receptio denunciatur esse nulla & quandiù ibi fuerint sic recepti, sciat Abbas ingressum Ecclesiæ sibi totaliter interdictum.

Pater Abbas vel cui committitur dispersio in aliquo Monasterio facienda, antequam ad dispersionem procedat, in Abbatis & Conventûs præsentia jurare teneatur, quòd nihil faciet nisi quòd immensæ necessitati ad relevationem Monasterii viderit expedire, nec dispersionem faciat, nisi magna necessitas hoc requirat. Abbas verò Monasterii dispergendi jurabit solenniter, quòd in præmissis se habebit fideliter, & quolibet anno in Visitatoris præsentia computabit, obligans se quòd pro quolibet emisso Mo-

nacho vel Converso de decem libris Turonensibus annis singulis suum Monasterium relevabit.

DISTINCTIO XI.

De personis in Ordine recipiendis.

CAPUT PRIMUM.

De Novitiis & aliis recipiendis & non recipiendis.

INHIBETUR Abbatibus Ordinis universi, ne personam aliquam, quæ cantare & legere sufficienter nesciat, & in grammaticalibus competenter instructa non fuerit, aut notabilem maculam in suo corpore habuerit, ad habitum regularem recipere audeant vel præsumant: qui verò contrà fecerint, per Patres Abbates taliter puniantur quòd cæteris transeat in terrorem: Monachi verò qui tali receptioni consenserint, si Officiales sint à suis Officiis deponantur, si autem Claustrales & absque Officiis fuerint, per tres menses continuos ultimi omnium collocentur.

Definitur quòd Novitii Ordinis illa die qua professionem faciunt, novum hominem induentes sacro Dominico Corpore se muniant, etiamsi Missa specialis non fuerit, quòd ordinationi Abbatum relinquitur, licet debeat ipsa die propter hoc in Conventu celebrari, & ista definitio extenditur ad Novitias Moniales.

Definitur quòd Novitii Ordinis recepti & in perpetuum recipiendi, in cappa absque Benedictione maneant, quousque sciverint Psalterium corde tenùs, prout decet; illi verò jam Professi qui dictum Psalterium & consuetum servitium nesciverint integrè, Claustrum de cætero exire seu administrationem qualemcunque exercere non permittantur; donec præmissa sciverint integrè & competenter.

Procurantes quòd personis propter insufficientiam emissis per potentiam sæcularem, eis faciant de bonis Monasteriorum de quibus ejiciuntur provideri, in Monasteriorum ipsorum grave detrimentum, per annum inhabiles habeantur ad quævis Ordinis Beneficia seu Officia, &

per tres menses ultimi omnium collocentur. Inhibetur Abbatibus universis, ne ad preces vel ad minas cujuscunque Prælati, Principis vel Domini temporalis aliquem præsumant recipere ad habitum regularem, nonobstante quòd Prælati, Principes ac Domini temporales dicant sibi hoc competere de consuetudine vel jure, nisi constet legitimè ita esse, quòd si secùs actum fuerit, recipiens *ipso facto* sententiam excommunicationis incurrat, & nihilominùs receptus per Patrem Abbatem de Monasterio expellatur, poterunt tamen Abbates preces justas pro personis idoneis exaudire.

Nullus de Ordine Mendicantium de cætero recipiatur ad habitum Ordinis nostri, nisi de mandato Summi Pontificis, qui verò jam recepti fuerint *prostrati maneant*, nec vocem habeant in Capitulo, nec Dignitates sive Beneficia sine Sedis Apostolicæ licentia juxta Canonicam sanctionem: quicunque verò Abbas jam receptum exaltaverit vel receperit ad habitum, in futurum ab ingressu Ecclesiæ sit suspensus, donec exaltatum prostraverit vel expulerit sic receptum: quinimò recipiens sine mandato vel licentia Domini Papæ seu receptioni consentiens vel procurans, *eo ipso* sententiam excommunicationis se noverit incurrisse.

Prostrati maneant, id est, inhabiles ad quæcunque Officia seu privati voce activa & passiva.

CAPUT II.

De Fugitivis Ordinis per sæculum evagantibus & ad Ordinem revertentibus.

ABBATIBUS Ordinis universi præcipitur, quatenùs fugitivos suos ad Ordinem revertentes cùm redierint ad Ordinis unitatem recipiant charitativè & pertractent, salvâ Ordinis disciplinâ. Quòd si facere distulerint, usque ad unius mensis spatium suspensi ab Officiis maneant donec eos receperint, ut est dictum. Apostatantes de cætero ab Ordine, etiam solâ vice omninò decernantur inhabiles, nec eligantur in Abbates, nisi specialem Capituli Generalis super hoc habuerit dispensationem. Fugitivi Ordinis in Romana Curia per Procuratorem Ordinis ad expensas propriorum Monasteriorum carceri mancipentur.

Abbatibus,

Abbatibus Ordinis præcipitur, quatenùs Apostatas & fugitivos nostri Ordinis per sæculum damnabiliter evagantes, ad expensas propriorum Abbatum capiant & captos detineant in strictissimis vinculis alligatos, quousque illos eorum propriis Abbatibus reddere valeant; ad quarum expensarum solutionem obligantur & totaliter astringuntur. Quicunque Monachus vel Conversus sine licentia generali vel speciali portas Monasterii præsumpserit de die egredi, si reversus fuerit ipso die, pro fugitivo nihilominùs habeatur, & *recipiatur in porta* & omnium ultimus collocetur, & hæc definitio ad Moniales usque protendatur.

Recipiatur in porta. Hæc illorum temporum consuetudo ut Apostatæ & fugitivi redeuntes tanquam extranei ad portam & extra Claustrum reciperentur, donec ad jussum Abbatis in Capitulum evocarentur, sententiam super Apostasiâ seu fuga recepturi.

Monachi Ordinis nostri profugi per sæculum evagantes, ad quævis Ordinis nostri Monasteria nullatenùs admittantur; sed in porta remaneant, donec Prior vel locum tenens de eorum conditionibus requisierit, & utrum incedant de licentia ordinata: qui contrarium fecerit, per triduum sustineat pœnitentiam levis culpæ.

Abbatibus & Abbatissis Ordinis inhibetur, ne Apostatis vel fugitivis de sæculo ad Ordinem revertentibus, habitum vel Ordinem suum audeant restituere vel præsumant, nisi secundùm quod in definitionibus est contentum. Qui aliter præsumpserit, per tres dies sustineat & faciat pœnitentiam levis culpæ; quam si facere neglexerit, ingressum Ecclesiæ sibi noverit interdictum: & nihilominùs sic restitutus, Ordine suo & habitu sicut anteà sit privatus.

Fugitivi ad Ordinem reverti cupientes, & procurantes per Pœnitentiarios Domini Papæ habitum sibi restitui regularem, recipiantur *salvâ Ordinis disciplinâ*; & regulari sic restituto habitu, per tempus statutum priventur, nonobstante restitutione præfata, nisi constiterit evidenter, quòd de voluntate Domini Papæ & expressa conscientia facta fuerit restitutio memorata.



DISTINCTIO XII.

De Depositis.

CAPVT VNICVM.

De Bursariis instituendis.

ORDINATVR quòd certi Bursarii ordinentur in singulis domibus Ordinis universi : quòd si quis Abbas Ordinis facere distulerit, per mensem gradum Altaris non præsumat ascendere, donec prædictum Statutum fuerit adimpletum.

DISTINCTIO XIII.

De Alimentis.

CAPVT PRIMVM.

De Cibis communibus & quadragesimalibus.

ORDINATVR quòd tempore Adventûs Domini in Monasteriis in quibus pisces commodè haberi non possunt, uti liceat *Lacticiniis* ubique tam in Conventu quàm extra. Item statuitur quòd in fine comestionis ubicunque stando, exceptis graviter infirmantibus & impotentibus, gratiæ Deo referantur humiliter & devotè, & quòd post *Deo gratias* in prandio & cœna *Pater noster* & *Ave Maria*, à singulis personis Ordinis dicatur antequàm *Benedicite* inchoetur.

Lacticiniis. *Nota* ex hoc textu nostros adhuc eo tempore nempè anno D. 1350. quo hæc Statutorum Collectio conscripta est, annis scilicet post conditum Ordinem ducentis quinquaginta duobus cibis quadragesimalibus uti solitos tempore Adventûs Domini.

CAPVT II.

De Carnibus non comedendis.

QVICVNQVE notoriè fuerit deprehensus vel sufficienter convictus, carnes in Monasteriis Monialium vel extra loca conventualia Ordinis contra Statuta Papalia & Statuta Capituli Generalis comedisse, pœnâ à *Domino nostro Summo Pontifice* institutâ irremissibiliter puniatur. Visitatoribus tamen ordinariis Monialium

Pœna à D. nostro, &c. Bened. scilicet XII. in sua Constit. cap. 11.

& eorum Commissariis liceat uti eis, quacunque definitione in contrarium edita nonobstante.

Comestionem carnium Monachis *Confessoribus Monialium* concedendi, potestas committitur Domno Cistercii & quatuor primis Abbatibus cuilibet in generatione sua: quòd tamen faciant secundùm quod saluti animarum viderint expedire. Declaraturque quòd Abbatibus in Monasteriis existentibus, nulli liceat sine voluntate proprii Abbatis carnes comedere, vel licentiam comedendi dare; Abbatibus qui spontè cesserint vel cedent in posterùm, & aliis personis sublimibus, quibus concessum est, duntaxat exceptis.

Confessoribus Monialium. Patet ex hoc capite Usum carnium primùm in Monasteria Monialium irrepsisse, & inde ad earum Confessarios ac Visitatores ordinarios dimanasse, sicut olim ab Eva ad Adamũ esum pomi.

Districtè verò prohibetur personis Ordinis universi, ne tempore Capituli Generalis in Cistercio carnes comedant, nec de Refectorio communi remaneant sine Domni Cistercii licentia, vel ejus qui super hoc ab eo habuerit potestatem. De jure vel consuetudine esùm carnium nullus audeat petere, nisi secundum quod in definitionibus *Distinctione decima tertia, Capite de Pitantiis* continetur, sub pœnis ibidem contentis.

CAPUT III.

De Pitantiis.

INHIBETUR ne in Monasteriis Ordinis nostri habeantur Kalendaria, in quibus Pitantiæ certis diebus Conventibus modo aliquo annotentur, sed in libro Regulæ vel in Martyrologio ubi magis videbitur expedire dictæ pitantiæ inscribantur.

Hæ Pitantiæ seu fercula pauló meliora, quæ sub initium Ordinis sublevando austeriori Monachorum jejunio, nonnũquam concedebantur, in legem & consuetudinem fixam Superiorum indulgentiâ & Monachorum laxamentis transierunt.

DISTINCTIO XIV.

De Monialibus.

CAPUT PRIMUM.

De Paternitate & Visitatione Monialium.

PRÆCIPITUR Patribus Abbatibus cuilibet in generatione sua, ut in Monasteriis Monialium secun-

dùm earum facultates taxent seu taxari faciant numerum Religiosarum personarum, super quo non augmentando Abbatissarum & personarum omnium & singularum accipiant juramentum. Numerus autem taxatus per Patres Abbates vel eorum Commissarios nullatenùs augmentetur, nisi in tantùm facultates excreverint, quòd numerus personarum debeat meritò ampliari. Si verò in aliquibus Monasteriis, consideratis facultatibus, numerus personarum reperiatur excessivus, nunquam aliqua persona ibi recipiatur, quousque ad taxati numeri devenerit parvitatem. Abbatissa autem contra faciens, Priorissa etiam & Celleraria consilium vel auxilium in hoc ipsum præstantes, absque retractatione aliqua à suis Officiis deponantur.

CAPVT II.

De Claustro & Confessione Monialium.

ORDINATVR quòd Monialibus extra Monasteria sua non liceat egredi nisi necessitas, quæ conscientiæ præsidentium relinquitur, exegerit aliud faciendum. Si quæ verò Moniales *ad Balnea* extra Monasteria processerint, irremissibiliter priventur habitu regulari; Licentiantes autem ut prædicta petant Balnea, sententiam excommunicationis incurrant.

Ad Balnea. Vtinam id accuratiùs servaretur.

Patres Abbates per Censuram Ecclesiasticam vel aliàs ad prædictas pœnas observandas possint eas arctare liberè secundùm quod eis videbitur expedire.

Abbatissæ viginti quinque Moniales habentes, teneantur habere & recipere Monachum Confessorem, quem Pater Abbas aut Visitator eis duxerit transmittendum; cui teneantur in victu & vestitu civiliter providere: & illi Confessores diebus quibus fuerint minùs in audiendis Confessionibus occupati, Missas teneantur dicere sicut & alii Capellani; in illis præcipuè Monasteriis in quibus hæc consuetudo fuit ab antiquis temporibus observata. Omnes & singulæ Abbatissæ & Priorissæ ubi Moniales per Priorissas gubernantur, quæ Confessores suos in victu & vestitu postquàm fuerint requisitæ contradixerint providere, *ipso facto* excommunicationis sententiam se no-

verint incurrisse. Inhibetur Patribus Abbatibus in Visitationibus Ordinis universi, ne de cætero concedant Abbatissis cedentibus generalem licentiam, quòd possint Monialem vel Moniales extra Monasteria secum ducere, vel in cameris sibi concessis vel concedendis Monialem, sine licentia Abbatissæ, retinere; nec etiam extra Monasterium ipsis progredi liceat, nisi super hoc ab Abbatissa licentiam meruerint obtinere. Gratiæ autem in contrarium factæ, ex nunc totaliter revocantur.

Moniales verò quæ propter desolationem seu destructionem totalem suorum Monasteriorum, ad alia Monialium Monasteria transmittuntur; Abbatissæ atque Conventus ad quos mittuntur, eas charitativè recipere teneantur, & eisdem sicut propriis de necessitatibus providere, donec ad fortunam pervenerint, Deo propitio, pinguiorem. Quæcunque verò Abbatissa Ordinis Moniales ad se missas ex causa prædicta recusaverit obstinatè in suo Monasterio retinere, excommunicationi subjaceat, rebellione hujusmodi perdurante; & Conventus si contradixerit, supponatur Ecclesiastico interdicto; & hæc definitio in libris emittendarum Monialium inseratur. In Benedictionibus Monialium mantelli earum per familiares Visitatorum non auferantur: qui secùs fecerint, à servitio Ordinis expellantur.

CAPVT III.

De Correctione Monialium.

MONIALES quæ propter incontinentiæ vitium publicam egerint pœnitentiam, & Ordinis sui gradum perdiderint, nullum assequantur gradum alium, sed semper in illo in quo punitæ fuerint permaneant; nec etiam ad aliquos *actus legitimos* admittantur, nec Monasteria egrediantur sine speciali licentia Capituli Generalis. Moniales per sæculum evagantes vel aliter se irreligiosè habentes, per Patres Abbates, per incarcerationem vel aliàs, auctoritate Capituli Generalis taliter puniantur, quòd tali pœna docente, de cætero talia committere desistant:

Ad actus legitimos. Id est ad officia, Ordinis seu ad jus vocis activæ & passivæ.

Statuitur ut quæcunque Moniales Ordinis nostri Visitatoribus suis minas intulerint seu insidias procuraverint, vel eorum ordinationibus protervè restiterint, excommunicationis sententiam se noverint incurrisse, & nihilominùs in Abbatissas, Priorissas, Subpriorissas & Cellerarias nullatenùs se noverint promovendas; & ultra hoc si aliquæ super hoc convincantur, Claustrum non exeant & regulari priventur habitu usque ad nutum Capituli Generalis.

Abbatissæ Ordinis, Moniales pro culpa emittentes, Abbatissis ad quarum Monasteria eas emiserint, decem libras Turonenses pro qualibet solvere teneantur: Abbatissæ verò nostri Ordinis Moniales ad se missas pro culpa, cum pecunia à Capitulo ordinata recipere recusantes, sententiam excommunicationis incurrant, etiamsi fuerint per Generale Capitulum à susceptione hospitum absolutæ, definitionibus aliis super hoc confectis in perpetuum duraturis. Nulli quoque Abbatissæ de cætero cedenti concedatur pensio vel camera, vel etiam Moniali alteri, cujuscunque status vel conditionis existat, nisi de speciali licentia Capituli Generalis petita pariter & obtenta.

Patribus Abbatibus & Visitatoribus sub pœna divinæ animadversionis præcipitur, quatenùs in suis visitationibus inquirant, diligenter utrum Moniales in cameris aliqua faciant quæ Monasticæ præjudicent puritati: quòd si repererint, delinquentes per ablationem habitûs, emissionem, incarcerationem puniant severitate congrua, cameras prædictas diruere & radicitùs evellere non omittant, & prædictas Moniales ad dormiendum & comedendum in unum secundùm morem Ordinis, ubi domorum communium sufficientiam habuerint, in plenaria Ordinis potestate compellant.

Sub pœna excommunicationis *latæ sententiæ* inhibetur Abbatissis, Monialibus & Sororibus Ordinis universi, ne in suis Monasteriis, Claustris, Cameris seu Infirmitorio vel in aliis locis secretis, Fratres de Ordine Mendicantium recipiant, vel loquantur cum eisdem in locis prædictis: nec plusquàm duobus una vice in uno Monasterio & solummodò una vice victualia ministrentur; ita quòd

in Ecclesia pro Missis celebrandis & propositione Verbi Dei solummodo intrare poterunt, & deinde in Monasterii hospitium declinare & non alibi. Si autem in contrarium præsumpserint Abbatissæ, Moniales & Sorores prædictæ, per Visitatorem vel per Confessorem excommunicatæ denuncientur publicè singulis diebus Dominicis & festis, in Ecclesia post Evangelium nominatim. Patribus Abbatibus Monialium præcipitur, quatenùs prædictam definitionem faciant observari, pœnas taxatas strictiùs infligendo.

Quæcunque Moniales Ordinis cessaverint à divinis absque Patris Abbatis vel Visitatoris licentia, authoritate Capituli Generalis excommunicationis sententiam *ipso facto* se noverint incurrisse, & tanquam Conspiratrices nihilominùs puniantur: Et quandiù in illa excommunicationis sententia permanserint contumaciter, nihil eis de bonis Monasterii communibus ministretur, nisi tale interdictum generale fuerit, propter quod de jure & de necessitate teneantur cessare.

Omnibus Abbatissis & Monialibus nostri Ordinis inhibetur, ne domicellos famulos seu etiam sæculares Capellanos in suis cameris detinere præsumant post Completorium in Ecclesia decantatum: Abbatissa quæ contrarium fecerit, *eo ipso* ingressum Ecclesiæ sibi noverit interdictum. Quòd si assueta fuerit, per Patrem Abbatem vel ejus Commissarium deponatur: Moniales verò pro qualibet vice, tribus diebus uno eorum in pane & aqua indispensabiliter faciant levem culpam.

CAPVT IV.

De Capellanis Monialium.

INHIBETVR districtiùs, ne aliqua persona cujuscunque statûs fuerit recipiatur in Capellanum in Monasteriis Monialium ad habitum regularem, sine Patris Abbatis illius Monasterii petita licentia pariter & obtenta. Si verò in aliquo Monasterio Monialium de cætero contra istam inhibitionem recepti fuerint, Monasterium supponatur Ecclesiastico interdicto quandiù ibi moram traxerint: Abbatissæ verò ipsos recipientes, excommunicationis vinculo innodentur.

Capellani Monialium Ordini perpetuò traditi & oblati, de cætero portare regularem habitum Ordinis teneantur; quem si portare renuerint, à dictis Monasteriis quacunque occasione remota totaliter expellantur.

CAPVT V.


De Procuratoribus Monialium.

STATVITVR quòd Procuratores Monialium ad negotia & administrationes temporalium in Monasteriis Monialium de Patrum Abbatum consilio & assensu deinceps instituantur, & illi qui jam constituti sunt, approbentur per dictos Patres Abbates vel etiam reprobentur.

Expliciunt Novellæ Definitiones.



ADMONI-



ADMONITIO
IN
SVBSEQVENTES EPISTOLAS SVMMORVM PONTIFICVM EVGENII IV. NICOLAI V. & INNOCENTII VIII.



VM *usque ad finem decimi quarti sæculi, ac proinde per trecentos circiter annos floruisset ac stetisset Ordo Cisterciensis, sub initium sæculi decimi quinti (quod peste, bello, ac schismate toti orbi Christiano luctuosum ac miserrimum fuit) cœpit agere remissius, ac paulatim inter fluctuantis tum Ecclesiæ tum Reipublicæ Christianæ procellas naufragium pati. Nec mirum; præsertim Monachis tunc temporis undecunque, ut se furori militum subducerent, ad urbes & castra fugere coactis, ac Prælatis ipsis in tanta rerum perturbatione curæ ac sollicitudini pastorali indormientibus, vel seipsos, quod pejus erat, mollioris vitæ laxamentis permittentibus, in scandalum subditorum. Hac enim ratione cum nulla aut mollior vigeret disciplina, & Monachi promiscuè laïcis permiscerentur, didicerunt opera eorum ac brevi servierunt sculptilibus eorum. Verùm, pace tandem utcunque reddita Ecclesiæ, Romani Pontifices, quibus semper cordi fuit primaria Cisterciensis Ordinis disciplina, ac inter cæteros Eugenius IV. Nicolaus V. & Innocentius VIII. Regum ac Principum excitati clamoribus & expostulationibus, scripserunt singuli Capitulo Generali dicti Ordinis: Eugenius quidem anno* 1444. *Nicolaus verò anno* 1448. *Innocentius denique anno* 1487. *ut illius Abbates à somno & socordia excitarent, & ad Ordinis ejusdem Reformationem juxta primam ejus Regulam provocarent; Sed frustra. Sopor enim mortis irruerat super eos adeò gravis, ut eorum Princeps & Caput Hymbertus Abbas Cistercii, sub Sixto IV. Romano Pontifice Sedem Apostolicam adire veritus non sit, & modis omnibus eniti contra antiquas tum ejus-*

*dem Sedis, tum Ordinis censuras & imprecationes, si qua tandem ratione posset Privilegium aliquod suffurari, non quo sibi liberiùs & suis vivere licitum esset; hoc enim jam in usum per abusum transierat, sed quò, Laicis fœdam illis defectionem improperantibus appareret, eos à prima Parentum suorum vivendi ratione ex Indulgentia Sedis Apostolicæ recessisse. Sed mentita est iniquitas sibi. Nam præterquàm quòd Hymbertus ipse, in pœnam tantæ prævaricationis, re infecta, mortuus est; ita Deus prædictæ Sedi Apostolicæ adfuit, ut nec tunc nec usque in hunc diem ullum ejusmodi privilegium ab ea dimanare permiserit; ut proximè superioribus annis à R. P. I. Iouaüd Abbate de Precibus, strictioris observantiæ ejusd. Ord. Vicario Generali evidenter probatum est *, ac supremæ Paris. Curiæ solenni Decreto sancitum, an. scilicet* MCLX. *mense Iulio.*

* Vide librum quē pro defensione Ordinationum E. Cardinalis Rupefulcadii, atque Opuscula, quæ pro vindicanda strictiori ejusdem Ordinis observantia stylo perelegantì scripsit. Et eum quem de Prima Cisterciensium vivendi & agendi ratione conscripsimus librum, IV. parte cap. 6.



EPISTOLÆ

ROMANORVM PONTIFICVM EVGENII IV. NICOLAI V. ET *INNOCENTII VIII.* AD CAPITVLVM GENERALE *ORDINIS CISTERCIENSIS.*

EPISTOLA.

Eugenii Papæ IV. Abbati & Capitulo Generali Cistercii lapsum ejusdem Ordinis improperantis illiusque Reformationem juxta primam illius Regulam imperantis.

Eugenius IV. Venetus, Gabriel Condolmerius antea vocatus, Presbyter Cardinalis tituli S. Clementis creatus est Romæ Summus Pontifex 5. Non. Martii an. 1431. obiit verò 7. Cal. Martii an. D. 1447.

Anno Domini 1444. Cistercii 346.

EVGENIVS Episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Abbati Cistercii, cæterisque Abbatibus & Monachis Cisterciensis Ordinis in Generali Capitulo

apud Cistercium congregatis, Salutem & Apostolicam Benedictionem. Inter cæteros in Christi Ecclesia Deo militantes Monachorum Ordines, Cistercienſem Ordinem speciali semper charitatis affectu proſecuti sumus: atque inhærentes vestigiis Prædeceſſorum nostrorum, à quibus Ordo ipse multis & magnis Privilegiis ac favoribus munitus & decoratus existit, ad ea indefeſſè proni & propitii fuimus, quæ favoris augmentum, conservationem ipsius Ordinis, salutem animarum ac personarum ejusdem, aut ipsi perspeximus, aut aliàs per alios requisiti expediviſſe pro ejus conservatione comperimus.

Cùm autem vos, prout accepimus secundùm Ordinis vestri Constitutiones Generale vestri Ordinis Capitulum diebus Rogationum proximè futuris apud Cistercium celebraturi sitis: Nos, quoniam (quod dolenter referimus) de Abbatibus & Monachis ac personis Monasteriorum vestrorum sæpè graves querimonias à diversis personis tam ex Hispaniarum quàm Galliarum partibus habuimus, ex debito nostri Pastoralis Officii devotionem vestram in Domino requirimus & hortamur; quatenùs, ad hujusmodi notæ expurgationem, ad ea studiosè & diligenter velitis incumbere, per quæ timor Domini sanctus in personis ejusdem Ordinis vestri perseveret, regularis observantiæ nervus vigeat, & charitatis vinculum totum ipsum Ordinem complectatur. Hoc facilè consequi poteritis, collapsos nimirùm mores tam generaliter quàm specialiter Abbatum, Monachorum, & personarum ipsius Ordinis corrigendo, novas Constitutiones saluberrimas edendo, veteres tam prædeceſſorum nostrorum Summorum Pontificum quàm ipsius Ordinis, ut strictiùs serventur, ordinando & disponendo; & ea quæ ad jus & honorem nostrum & Apostolicæ Sedis pertinent, effectualiter observando; atque omnia alia & singula faciendo, ad quæ Generalia Capitula hujusmodi à sanctis Patribus instituta & ordinata eſſe noscuntur.

Sin autem (prout non credimus) aliqui inter vos ad hæc salutaria nostra monita, & vobis ex debito Ordinis vestri incumbentia executioni mandanda repugnantes, aut minus benè dispositi invenirentur: Nos aduersus hujusmodi personas, ne tot & tanta bona in vestro Ordine

impediantur, cenſuras Eccleſiaſticas, debitos favores, & opportuna præſidia, quibus eorum temeritas compeſcatur, & alia ſimilia in futurum præſumendi facultas præcludatur, veſtræ devotioni pollicemur.

Agite igitur, & habentes præ oculis ſolum Deum; illa ipſa in hujuſmodi celebratione Capituli facere diligenter curetis, ex quibus exortæ de Monaſteriis veſtris ſiniſtræ opiniones deleantur, ac Laïci qui (ut accepimus) quandoque penè compulſi fuerunt reformationi Monaſteriorum veſtrorum manus apponere, exemplo vitæ & morum veſtrorum benè ædificentur; & ad quæ Capitula ipſa ſunt adinventa & inſtituta, & quibus Ciſtercienſis Ordo felicia & à nobis optata capiat incrementa; ac vos demùm poſt æterna præmia apud nos & Apoſtolicam Sedem dignis laudibus ac favoribus potioribus decorari mereamini.

Commiſimus prætereа dilecto filio Ioanni Abbati Monaſterii de Ovila in ſacra pagina Magiſtro; & veſtri Ordinis in Romana Curia Procuratori generali, aliqua circà prædicta devotioni veſtræ ex noſtra parte referenda; ſuper quibus eidem præſentium latori volumus tanquam nobis plenam fidem à vobis impartiri. *Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo quarto*, XVI. *Kalendas Aprilis, Pontificatus noſtri anno decimo-quinto.*

EPISTOLA.

Nicolai Papæ V. iiſdem & in eundem finem.

Nicolaus V. Sarzanenſis, Thomas Lucanus antea vocatus, Presbyter Cardinalis S. Crucis creatus Pridie Non. Coronatus 3. Idus Martii an. 1447. obiit 9. Cal. Aprilis ann. D. 1455.

Annò Dom. 1448. Ciſterc. 350.

NICOLAUS Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, Dilectis filiis Ciſtercii, aliiſque Abbatibus & Monachis apud Ciſtercium pro Generali Capitulo celebrando congregatis, Salutem & Apoſtolicam Benedictionem. Etſi omnes Religionis Chriſtianæ Ordines paterna diligimus charitate, Ordinem tamen veſtrum Ciſtercienſem, ob noſtram ad Sanctum Bernardum reverentiam atque devotionem, ſingulari quodam complectimur affectu: ut

non solùm defendere illum & tueri, & gravaminibus levare, sed pro viribus etiam augere atque ornare intendamus. Itaque vos in Domino exhortamur, ut in ea congregatione vestra, diligentiâ solitò attentiori, reformationem vestrorum Monasteriorum facere curetis. Qua in re illud primum esse debebit, ut Summorum Pontificum Statuta, & facta in aliis Generalibus Capitulis decreta vestra, specialiter de veniendo statutis temporibus ad Capitulum Generale, de Scholaribus ad generalia studia mittendis, & alia hujusmodi, observentur. Nos enim, si à vobis aut vestrûm parte fuerimus requisiti, adversus statutorum prædictorum & decretorum transgressores, acerrimè procedemus.

Unde Cistercii & quatuor primis Ordinis Abbatibus compellendi cæteros, sive Abbates, sive Monachos in Capitulo congregatos, ad prædictam observationem, concedimus præsentium tenore auctoritate Apostolica potestatem. Et ut omnibus vobis benè ut speramus & obedienter mandata exequentibus, præmium cœleste à nobis non desit, vobis ipsis, qui Capitulo intereritis, ut Confessorem eligere possitis; qui à commissis & ab excommunicationum sententiis aliisque censuris & pœnis, etiam si talia forent, propter quæ Sedes Apostolica esset meritò consulenda; vos semel tantùm infra mensem, postquam hæc fuerint in Capitulo præsentata, injunctâ pœnitentiâ; possit absolvere; auctoritate prædicta concedimus facultatem. *Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo quadragesimo octavo, pridie Idus Iulii, Pontificatus nostri anno secundo.*

EPISTOLA.

Innocentii Papæ VIII. iisdem & in eundem quoque finem.

Innocentius VIII. Genuensis, Ioannes Baptista Gibo antea dictus, Presbyter Cardinalis S. Laurentii in Lucina 4. Cal. Septembris creatus Summus Pontifex an. D. 1484. moritur an. 1492.

INNOCENTIUS Episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Abbati Monasterii Cistercii Cabilonensis Diœcesis; & Definitoribus Capituli Generalis Cisterciensis Ordinis pro tempore celebrandi, Salutem & Apo- ANNO Dom. 1487. Císterc. 389.

stolicam Benedictionem. Meditatio cordis nostri assiduâ hoc inter cætera continet specialiter, ut Monasteria & alia loca Ecclesiastica, præsertim Religionis titulo insignita; ac in eis divinis beneplacitis mancipatæ personæ, ad debitæ reformationis normam in spiritualibus & temporalibus reducantur.

I. Sanè sicut ad nostrum, non sine magnis clamoribus & querelis, etiam diversorum Regum & Principum, aliorumque Dominorum temporalium; nostrique animi non parvâ displicentiâ, pervenit auditum; in plerisque Monasteriis vestris ab aliquibus citra temporibus, illa vera dicti Cisterciensis Ordinis Religio; quæ retroactis temporibus vigere consueverat, jam refrigescere cœpit, & aliqui ex Monachis & Religiosis in illis degentibus, se in reprobum sensum dantes, Dei timore postposito, vitam ducunt minùs honestam, quàm Religioni vestræ conveniat; in animarum suarum perniciem, divinæ Majestatis offensam, Religionis opprobrium, ac ipsorum Monasteriorum detrimentum, malumque exemplum, & scandalum plurimorum: quod creditur processisse, ex eo quòd Monasteria prædicta, sicut decet; & mandant Instituta & Ordinationes dicti Ordinis vestri, ab eorum Superioribus visitata non fuerint; & propterea præfati Reges, Principes & Domini maxima cum instantia à nobis postularunt, Monasteria & loca prædicta in eorum terris, regnis, & dominiis consistentia reformari, & ad debitam regularem normam, & dicti Ordinis observantiam reduci: & eorum aliqui, videntes malum regimen Religiosorum vestrorum, Ordinem ipsum in illis supprimi & extingui, & alium Ordinem in eis institui. Et nisi fuisset illa specialis dilectio, quâ Ordinem vestrum prosequimur, ac etiam preces venerabilis Fratris nostri Ioannis Episcopi Albanensis dicti Ordinis Protectoris, & nonnullorum Prælatorum, Referendariorum nostrorum, & domesticorum, qui dicto Ordini vestro plurimùm afficiuntur, & magna cum diligentia ad supersedendum, donec vobis præmissa significaremus, nos plurimùm hortati fuerunt, & super hoc nobis instantissimè supplicarunt; tot clamoribus & querelis excitati, non potuissemus nos continere, quin aliquam desuper provisionem debitam

adhibuissemus: præsertim intervenientibus tot Regum, Principum & Dominorum querimoniis, & plurimorum aliorum fide dignorum relatione.

II. Quare cupientes, prout nostro incumbit officio, super his debitè providere, & quòd in Monasteriis & locis prædictis omninò vigeat Observantia regularis: Vos paterna charitate majorem in modum hortamur in Domino, & attentè monemus, vobis nihilominùs in virtute sanctæ obedientiæ, & sub excommunicationis *latæ sententiæ* pœna, quàm *eo ipso* si contra feceritis, incurratis; auctoritate Apostolica tenore præsentium districtè præcipiendo mandantes, ut omnia & singula dicti Ordinis vestri Monasteria atque loca ubilibet consistentia, per vosmetipsos vel alios Abbates dicti Ordinis vestri idoneos, quos ad id duxeritis deputandos, post Capitulum proximè celebrandum finitum, & deinde singulis annis personaliter visitare, & quæ in illis reformatione, correctione & emendatione noveritis indigere, illa tam in capitibus quàm in membris, ac spiritualibus & temporalibus corrigere, reformare & emendare, ac ad veram Regulam & normam dicti Ordinis vestri, & secundùm illius Instituta & Ordinationes taliter reducere debeatis, quòd in Monasteriis & locis prædictis vera dicti Ordinis Cisterciensis Religio quam profitemini, vigeat & perseveret; ac clamores Regum, Principum, Dominorum, & aliorum prædictorum cessent: ipsíque inducantur, prout retroactis temporibus fecerunt, ad ampliationem & augmentum dicti Ordinis vestri; vosque apud nos, & hanc sanctam Sedem non immeritò commendari, & apud divinam Majestatem præmia fœlicitatis æternæ consequi valeatis. Quòd si forsan (quod non credimus) facere distuleritis, cogemur contra vos & dictum Ordinem vestrum, justitiá & honestate id nobis suadentibus, per alia opportuna remedia procedere, ac honestis petentium, præsertim catholicorum Regum & Principum, quibus deesse non possumus, votis super hoc benignè annuere, etiam dictum Ordinem vestrum in Monasteriis & locis prædictis, in quibus vera Religio & Observantia dicti Ordinis defecit (quod nobis certè admodùm displiceret) supprimendo & extinguendo, & alium Ordinem in illis instituendo;

ac alia faciendo prout desuper noverimus expedire. Vos autem taliter (prout de vobis confidimus) providere velitis, quòd ad præmissa peragenda nobis non sit deveniendum; ipsique Reges, Principes & Domini, qui hactenùs de dicto Ordine vestro & Religiosis illius conquesti fuerunt, possint mutatâ eorum, per bona opera vestra & Religiosorum dicti Ordinis vestri, sententiâ, non immeritò vos & dictum Ordinem vestrum condignis laudibus commendare, & in dies ad benefaciendum dicto Ordini vestro inducantur. In quo rem profectò nobis, qui, ut prædiximus, dictum Ordinem vestrum inter cæteros Ordines quadam peculiari dilectione prosequimur, & in visceribus gerimus charitatis, & huic sanctæ Sedi gratissimam effeceritis.

III. Et insuper inhærentes vestigiis fœlicis recordationis Benedicti Papæ XII. prædecessoris nostri, qui voluit & mandavit ad Generale Capitulum dicti Ordinis vestri, quod singulis annis celebratur, omnes & singulos Abbates, qui juxta Statuta ipsius Ordinis vestri tenentur, accedere debere, etiam sub similis excommunicationis *latæ sententiæ* pœna, *eo ipso*, si contra fecerint, incurrenda; eisdem Abbatibus injungimus & mandamus, ut sub pœnis in literis ipsius Benedicti prædecessoris nostri desuper confectis contentis, ad ipsum Capitulum Generale singulis annis, cessante legitimo impedimento, seu obtenta ab eo; qui dare potest, licentia speciali, quam exhibere debeant; venire teneantur.

IV. Præcipientes etiam dicto Capitulo Generali sub simili pœna, ut quolibet anno dictam excommunicationis sententiam auctoritate Apostolica publicent & denuntient, & etiam cum maxima maturitate & diligentia excusationes proponendas per non venientes ad dictum Capitulum Generale discutiant ac examinent; & deinde, prout eis videbitur; & super quo eorum conscientias plurimùm oneramus, rejiciant vel admittant; & aliàs juxta Literarum Benedicti prædecessoris hujusmodi continentiam & tenorem debitè provideant.

V. Eidem Capitulo, & Abbati Cistercii pro tempore existenti, harum serie liberam facultatem concedentes; innodatos hujusmodi excommunicationis sententia ob eorum

rum non accessum ad dictum Capitulum Generale (si hoc humiliter petierint) ab illa per se, seu per alios, quem vel quos ad id duxerint deputandum seu etiam deputandos, absolvendi, injunctis inde eis pro modo culpæ pœnitentia salutari, & aliis quæ de jure fuerint injungenda.

VI. Cæterùm, quia, sicut etiam accepimus, nonnulli ex Abbatibus, sive Commendatariis, ac Prioribus, & Officiariis Monasteriorum, Prioratuum, & locorum dicti Ordinis vestri contributiones, juxta taxas per Benedictum prædecessorem hujusmodi factas, eos contingentes, ut decet & tenentur, solvere non curant; ex quo maximum dicto Ordini præjudicium generatur, & si contributiones hujusmodi cessarent, sequeretur ex indè totalis dicti Ordinis vestri destructio: Volumus, & sub simili excommunicationis sententia, ac privationis Monasteriorum, Prioratuum, & Officiorum, quæ obtinent, & pro tempore obtinebunt, nec-non cessationis Commendarum *latæ sententiæ* pœna, & *eo ipso* incurrenda, præcipimus & mandamus, ut de cætero singulis annis juxta taxas hujusmodi, modo tamen infrascripto, reducendas & limitandas, ac aliàs juxta literarum tam piæ memoriæ Sixti Papæ IV. etiam prædecessoris nostri, quàm nostrarum, quarum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, haberi volumus pro sufficienter expressis, continentiam & tenorem solvant, & pro præterito tempore, qui debitores erunt, etiam integrè satisfaciant.

VII. Impedientes verò, quovismodo directè vel indirectè, etiam per forum sæculare, solutionem contributionum hujusmodi, & quidquam de illis absque mandato Capituli Generalis, aut Abbatis Cistercii prædictorum percipientes & levantes, etiam similem excommunicationis sententiam incurrant: à qua tam solventes, quàm impedientes & levantes sine licentia prædicta, nonnisi à Romano Pontifice, præterquàm in mortis articulo constituti, & debita satisfactione præmissa, absolvi possint.


VIII. Prætereà, quoniam à tempore quo dictæ taxæ factæ fuerunt, multa Monasteria sunt depauperata, & alia in redditibus augmentum susceperunt; & non videtur justum & honestum, quòd taxæ debeant solvi prout

aliàs tempore, quò dicta Monasteria erant majoris valoris seu minoris quàm nunc sunt, ordinatæ fuerunt: Ideò Capitulo Generali mandamus, ut de fructibus, redditibus & proventibus omnium Monasteriorum prædictorum se diligenter informet, & juxta qualitatem prædictorum Monasteriorum & redditUum illorum, ac statum, in quibus ad præsens reperiuntur, taxas hujusmodi reducat, limitet & moderetur: universis & singulis Abbatibus, Commendatariis, Prioribus, & Officiariis dicti Ordinis, qui ad solutionem & contributionem hujusmodi sunt obligati, etiam sub similibus pœnis *eo ipso* incurrendis, districtè præcipiendo mandantes, ut quovis appellationis obstaculo nonobstante, & quacunque exceptione & dilatione cessantibus, ordinationi super contributionibus hujusmodi per dictum Capitulum Generale faciendæ, omninò pareant & intendant.

Nonobstantibus præmissis, ac Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, Statutis quoque & consuetudinibus Monasteriorum & Ordinis vestri prædictorum, juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis: nec-non omnibus illis, quæ præfati Prædecessores in suis, & Nos in nostris literis prædictis volumus non obstare, contrariis quibuscunque: aut si Abbatibus, Commendatariis, Prioribus, & Officiariis prædictis vel quibusvis aliis communiter & divisim ab eadem sit Sede indultum, quòd ad præstationem vel solutionem aliquam contributionum non teneantur, & ad id compelli, aut quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem: & quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis; & literis Apostolicis generalibus vel specialibus, quorumcunque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa vel totaliter non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri; & de quibus, quorunque totis tenoribus habenda sit in nostris literis mentio specialis, quæ quoad præmissa volumus eis nullatenùs suffragari.

IX. Verùm, quia difficile foret præsentes literas ad singula quæque loca, in quibus expediens foret, defer-

re: Volumus, & præfata Apostolica auctoritate decernimus, quòd illarum transumptis manu alicujus publici Notarii inde rogati subscriptis, & sigillo Capituli, aut Abbatis Cistercii prædictorum, vel alterius Prælati, aut personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ, seu curiæ Ecclesiasticæ munitis, ea prorsùs fides in judicio & extrà, & aliàs ubilibet adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ. *Datum Romæ apud sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo octuagesimo septimo*, IV. *Idus Augusti*, *Pontificatûs nostri anno tertio.*



ADMONITIO

IN SVBSEQVENTES ARTICVLOS PARISIENSES.

QVID *non expectandum videretur ab omnibus & singulis Cisterciensis Ordinis Abbatibus, post tam graves commonitiones, imò & comminationes? Nihil tamen illæ ab illis obtinuerunt, præter subsequentes Articulos*, Parisienses *dictos, quia Parisiis editos, sub eodem Romano Pontifice Innocentio VIII. & Carolo Rege Francorum Christianissimo, hujus nominis etiam VIII. anno millesimo quadringentesimo nonagesimo tertio; quibus sanè prædicti Abbates tam Regis quàm Pontificis Zelum ac pietatem ludificati sunt. Nam cùm prædicti Articuli nihil quod veram ac sinceram Ordinis mirum in modum collapsi Reformationem præ se ferat, continerent: hoc ipsum nihilominus totum quantum est, arbitrio & censuræ subsequentis Capituli Generalis subjecerunt; nimirùm ut in eo (quod mirum est) hujusce quantumvis frigidæ & crassæ Reformationis Articuli non tam confirmarentur quàm proscriberentur: adeò gravis & molesta videbatur illis temporibus vel minima Reformationis umbra. Prodeant ergo, si non in exemplum vitæ sanctiùs*

ineundæ, saltem in argumentum Ordinis in casum & ruinam miserè properantis.



ARTICVLI PARISIENSES. SEV

Instrumentum miserandæ Reformationis Ordinis Cisterciensis sub Innocentio Papa VIII. & Christianissimo Francorum Rege Carolo VIII.

Anno Dom. 1493. Cisterc. 395.

IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDVÆ TRINITATIS. Nos Fratres *Ioannes de Cistercio* Sanctæ Theologiæ Professor, *Claudius de Firmitate*, *Petrus de Pontigniaco*, *Petrus de Claravalle* Sanctæ Theologiæ Professor, *Ioannes de Pruliaco*, *Nicolaus de Savigniaco*, *Ioannes de Caroliloco* Sanctæ Theologiæ Professor, *Ioannes de Valloliis* Sanctæ Theologiæ Professor, *Ioannes de Fonteneto* Sanctæ Theologiæ Professor, *Ioannes de Bonoportu* Sanctæ Theologiæ Professor, *Michaël de Laude* Sanctæ Theologiæ Professor; *Yvo de Claromonte*, *Guillelmus de Curia-Dei*, *Ioannes de Vallibus Sernaii*, *Ogerinus de Igniaco*; *Petrus de Mortuo-mari*, *Ioannes de Fonte-morum*; *Guillelmus de Longo-vado*, *Ioannes de Caricampo*, *Ioannes de Regalimonte*, *Mathias de Sancto Andræa in Gofferno*; *Ioannes de Lannejo*, *Georgius de Gardo*, *Isidorus de Bello-Prato Bellovacensi*, *Ioannes de Bellabranca*, *Guillelmus de Begario*, *Ludovicus de Frigidomonte*; *Ioannes de Vallelucenti*, *Ogenus de Pietate-Dei*; *Ioannes de Longovillari*, *Ioannes de Ponteoctrano*, *Ioannes de Voto*, *Henricus de Bona-requie*, *Ioannes de Villanova*, *Rolandus de Persenia*, *Petrus de Maceriis*, *Guillelmus de Ré*, *Bernardinus de Alneto*; *Dionysius de Ioyaco*, *Ioannes de Sacra-cella*, *Bernardus de Ripatorio*; *Ioannes de Nigrolacu*, *Simon de Pietate Beatæ Mariæ*, *Petrus de Bellobecco*, *Iacobus de Fusniacó* Sacræ Theologiæ Professor; *Monasteriorum Abbates*, 45

Notum facimus universis Christi fidelibus præsentes visuris, quòd cùm nos præfati Fratres *Ioannes Cistercii* & *Ioannes Boniportûs* Monasteriorum Abbates, per literas Christianissimi Domini nostri Domini *Caroli* Regis hujus nominis octavi, fuissemus convocati in Civitate Turonensi, ad diem duodecimam mensis Novembris novissimè elapsi, cum nonnullis Reverendis Patribus, Dominis Episcopis, Abbatibus, egregiisque & doctissimis viris, Doctoribus, ac magnificis Iurisconsulibus super modo reformationis statûs Monastici & Regularis per totum Regnum Franciæ; ibidemque in spirituali consilio, ordinatione serenissimi Regis nostri iterùm atque iterùm super hoc celebrato, opiniones nostras secundùm Deum & conscientiæ nostræ æquitatem diffusè annuntiassemus, ac insuper ordinatione magnifici Domini *de Rupibus* ex parte Domini nostri Regis in dictis Consiliis Præsidentis, iterùm per scriptum consilia nostra tradidissemus: in regressu nostro Parisiis præmissa pluribus Venerabilibus Patribus Ordinis nostri, quos ibidem invenimus, ad longum exposuimus; & tandem communis auctoritatis dicentis, *Quæ de novo emergunt, novo indigent consilio, & quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet*, rationem attendentes, post multas providas & maturas deliberationes pro sacri Ordinis nostri statu fœliciori decrevimus; tam nostro quàm dictorum Patrum nomine plures nostræ religionis Abbates in diversis hujus Christianissimi Regis Provinciis constitutos, mandare & convocare ad diem decimum quintum hujus mensis Februarii, illis præmissa omnia communicandi gratiâ, habendique eorum voluntates atque resolutiones super hujusmodi sancta Reformatione, tam in personis suis quàm in Monasteriis & personis sibi subditis.

Nos quoque omnes & singuli Abbates superiùs nominati, dictâ decimâ quintâ Februarii post receptionem literarum superiùs mentionatarum, in Collegio nostro Sancti Bernardi Parisius simul congregati, auditâ ampliori clariorique recitatione omnium actitorum in materia hujuscemodi reformationis ex ore Reverendi in Christo Patris Domini Abbatis Cistercii Sacræ Theologiæ Professoris superiùs nominati, post maturam & authenticam delibe-

rationem super præmissis inter nos habitam, concorditer simul una voce convenientibus nobiscum præfatis Dominis Cistercii & Boniportûs Abbatibus finaliter ad suprascriptas devenimus conclusiones & resolutiones.

In primis genibus in terra flexis simul, oculisque & manibus in cœlum erectis, tota mentis intentione possibili omnium bonorum largitori gratias egimus, qui ætate nostra sanctum & laudabile æternaque memoria dignum menti devotissimi Domini nostri Regis infudit hoc propositum, ut pace terris reddita, exemplo David & Salomonis de divinis attentiùs cogitaret. Quod quidem opus non minori ipsius gloriæ & merito fulgebit, si ad effectum rationabiliter & per eos ad quos spectat deductum fuerit, quàm inclytissimæ recordationi progenitorum ejus simul & prædecessorum, in piorum hujusmodi fundatione locorum simul & dotatione refulsit. Confidentes simul & orantes illum qui cœpit, ut in effectum deducat.

Item cum religiosa humilitate Christianissimum Dominum nostrum Regem rogamus & obsecramus, quatenùs in hoc sancto proposito perseverans, potenti & valida manû, nostro & prædecessorum nostrorum summo integerrimoque desiderio super hujusmodi sancta Reformatione assistere dignetur propitius, conformiter ad articulos per nos præfatos Cistercii & Boniportûs Abbates, ut dictum est, traditos, liberaque ac publica & adeò alta voce, ut etiam ipsius orbis cacumina pulset, profitentes nos totis animorum desideriis sanctam & salubrem desiderare, semperque desiderasse Reformationem, per quam solam novimus Ordinis nostri spirituales & temporales ruinas ad pristinum sanctimoniæ decus reformari; & sancti Benedicti Regulæ puritatem in medium reduci posse. Ad quam profectò cum cæteris Patribus Ordinis aspirantes, jam dudùm multa desuper sanctæ Sedis Rescripta amplissima, præsertim illud piæ recordationis Domini Innocentii Papæ VIII. quod incipit, *Meditatio cordis nostri* cum consensu Christianissimi Domini nostri Regis impetravimus; Scientes reformationem, non novarum quidem adinventionum introductionem, sed potiùs ad sanctorum Patrum vitam, Cerimonias pariter & Instituta reductionem respicere: reformationem enim proculdubio fieri

credimus, cùm à priscorum traditionibus deviatum est, & denuò ad eorum vestigia sequenda reditur. Nam si nova introducitur forma, non planè reformatio, seu ad pristinam formam reductio, sed novæ Religionis creatio dici debet. Tantæ autem sanctitatis & eminentiæ in vitæ puritate, in miraculorum crebra & evidenti ostensione, ac in doctrinæ cœlestis illustratione fuerunt primi hujus sanctæ Religionis Fundatores & Patroni, ut sufficere videatur si hodiernis temporibus eorum vestigia per sanctæ Religionis nostræ observantiam imitari valeamus.

Item supposita hac firmâ nostri Ordinis circa sanctæ Reformationis amplexum deliberatione; Nos præfati Abbates, etsi credamus sacrum hunc Ordinem à Deo protectum, ut divinum cum sancto Helya accepisse videatur responsum, *Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curvaverunt genua ante Baal*; sintque plura Monasteria hujus Ordinis in quibus prima Religionis Observantia usque in præsens perseverasse creditur; alia quoque, etsi pro humanæ fragilitatis conditione in aliquo quandoque se deformaverint, divino tamen favente auxilio, ad pristinam religionis puritatem redierunt, & talia quidem, pro nunc reformatione opus habere non videantur: nihilominùs tamen quæ ad alia Cœnobia, quæ aut guerrarum vastitate, aut pestilentiarum acerbitate, aut processuum gravitate, aut mali Abbatum seu Monachorum regiminis enormitate, aut certè aliàs quomodolibet tam apud Monachos quàm apud Moniales opus habent reformatione, sive in toto sive in parte, sive in membris sive in capite, sive in spiritualibus sive in temporalibus. Nos præfati Abbates proximi nostri Capituli Generalis celebritatem, sacramque ipsius Ordinis sanctiorem Reformationem expetentes, & ad ipsius examen pariter & judicium cuncta, ut dignum est, ad integrum remittentes, Consentimus & Apostolicâ freti auctoritate, Ordinamus & mandamus concorditer, Articulos sequentes ex sancta Regula, Statutisque Ordinis assumptos, & pro hujusmodi sanctæ Reformationis initio seu exordio, ubi opus est, inviolabiliter observandos.

ARTICVLI
PRÆDICTÆ REFORMATIONIS.

I.

ET primùm ad ea, quæ divinum concernunt Officium, mentis nostræ oculos convertentes, Ordinamus illud in singulis Ordinis nostri Ecclesiis reverenter horis debitis, tam de die quàm de nocte morosè cum debitis pausis, cæremoniis & inclinationibus, juxta Beatissimi Patris nostri Bernardi monitionem & definitionum Ordinis tenorem celebrari, illudque tam ab Abbatibus præsertim in vigiliis, quàm ab aliis universis frequentari.

Serm. 47. in Cantica.

Nullus præsumat sine Cuculla Chorum ad divina Officia celebranda intrare; Missæ omnes tam Ordinis quàm fundatæ infallibiliter celebrentur. Altaria cæteraque Ordinis loca honestâ & religiosâ venustate decorentur, & ad Religionis observantiam aptentur. A frequentatione divini servitii nulli excusentur, nisi quos Abbas juxta conscientiæ suæ arbitrium quandoque pro Monasterii utilitate vel honestate seu infirmitate duxerit excusandos.

II.

VT sancta hæc Reformatio à capite incipiat, universos Ordinis Patres per suæ fidei & religionis sacramenta, in oculis summæ Divinitatis obtestamur, rogamus & interpellamus, quatenùs juxta Apostoli decretum forma facti gregis, studeant dignè verbo & exemplo discipulis præesse sine pompa, omnem superfluitatem & excessum in statu, vestitu & aliis devitantes, & religiosam honestatem per omnia ostendentes, sæpiusque celebrantes; nec omnia ad nutum, sed cum consilio saltem seniorum disponant. Non gibisserias ad corrigias seu cornetas ferant sicut sæculares, nec unus duo deinceps teneat Monasteria saltem Ordinis, & sine Capituli Generalis licentia & beneplacito.

III.

CONVENTUS diebus singulis intret Capitulum horâ ordinatâ, cum Cucullis, ad peragendum ea quæ Ordinis Instituta jubent. Ubi Præsidens circa culparum emendationem & observantiæ regularis reductionem, debitum faciat, nisi pro suis & aliorum delictis à Visitatoribus singulis annis gravissimè puniri velit.

IV.

CONVENTUS diebus per Ordinem assignatis quibus non utimur carnibus, videlicet feriis secundis, quartis, sextis, Sabbatho, diebus sermonum, in Adventu, in Quadragesima, Septuagesima, in Rogationibus, diebus jejuniorum Ecclesiæ & aliis, in refectionibus ordinariis comedat in Cucullis in Refectorio regulariter: benedictionem, lectionem & gratias Ordinis reverenter agendo & decantando, jejuniaque Ecclesiæ integraliter & Ordinis, juxta Abbatis conscientiam, servando. Ubi autem Refectoria minus ad hoc sunt apta, infrà proximum Generale Capitulum sub gravissima pœna per Capitulum vel per Visitatores infligenda, Abbatum sollicitudine disponantur. Quoad usum carnium omnes Ordinis filii, sanctam Regulam nec-non Domini Benedicti Papæ XII. Edicta, & Ordinis Definitiones cum timore Dei aspicientes, ab eis abstineatur diebus prædictis, & non-nisi in locis per Dominum Benedictum Papam XII. deputatis, eis uti præsumatur. Præcipientes panem, vinum, pitantias & similia non in particulari cuilibet Religioso, sed in communi ad refectiones ordinarias Conventûs distribui, reliquiasque in unum locum fideliter & honestè servari, ut inde in porta fiant eleemosynæ secundùm laudabiles Ordinis consuetudines; hospitalitatem honestam semper Abbatibus & Officiariis injungentes.

V.

PRÆCIPITUR Abbatibus universis, quatenùs ubi non consueverunt instruere juvenes Monachos in divino servitio, in scientiis & bonis moribus, hoc ipsum deinceps facere studeant. Et ad repellendam multarum personarum Ordinis ignorantiam postquàm servitium sciverint, procurentur eis Magistri qui in grammaticalibus & aliis scientiis primitivis eos erudiant, ut tandem eorum capaciores, ad Generalia Ordinis Studia mittantur.

VI.

CONVENTUS regulariter dormiat in Dormitorio, exceptis illis quos Abbas pro justâ consideratione aliter disponendos duxerit. Et sub pœna in Benedictina & aliis Ordinis Statutis super hæc contenta, omnes camini existentes in Dormitoriis Ordinis infrà dictum Generale Capitulum omninò tollantur, & ad dispositionem in reformatione Domini Benedicti Papæ XII. expressam reducantur; Seras omnes lectorum seu camerularum penitùs auferentes. Ubi omninò infrà dictum tempus sub dictâ pœnâ commutent lectos plumeos in materalia, linteamina linea vel canabea in lanea, camisias lineas in laneas, sive sit pannus, sive sargia, seu stamen & similia: & nullas habeant tunicas ante vel retrò fissas, nullusque ullo tempore sine caligis celebrare, seu ad Officia divina se vestire præsumat.

VII.

INFRA dictum Generale Capitulum in quolibet Monasterio disponatur & competenter muniatur Infirmitorium, ad tractandum Fratres infirmos cum charitate & ratione, juxtà Sanctæ Regulæ præceptum.

VIII.

PROVIDEANT Patres Abbates & Commissarii, quòd annis singulis Monasteria sibi subjecta infallibiliter visitentur & districtè reformentur, sine tamen gravi expensâ, tam in excessivo numero personarum & evectionum, quàm in aliis: sed omnia fiant in charitate ac juxtà Benedictinæ ordinationem. Et ut de istis pleniùs constet Ordini, mandamus præcepta & dicta à sanctis Patribus super frequentatione annua Capituli Generalis edita, ab Abbatibus indissimulanter observari.

IX.

ABBATES, Priores, Subpriores servent & ab aliis servari faciant omni tempore in locis regularibus & ubique horâ lectionis & post Completorium, Religionis clavem scilicet silentium. Et cùm contigerit aliquos venerabiles viros ad Monasteria declinare, Portarius eos ad Ecclesiam, & demùm ad hospitium seu commodum locum ducere teneatur; Nullusque in locis regularibus loqui præsumat, sive cum intraneo, sive cum extraneo, nisi fortè Abbas fuerit aut Prior, seu omnis super hoc habens licentiam. Prævia salutatione dicant supervenienti, bene venisse, & nihil plus ibidem loqui possint. Et ubique tam in Monasterio quàm extra, juxta vocationis suæ dignitatem, servent Religionis gravitatem simul & honestatem.

X.

EX nunc sub declaratione pœnæ contra proprietarios in definitionibus Ordinis taxatæ parêre nolentibus; mandatur & præcipitur quòd quilibet Abbas infrà quindecim dies post notitiam præsentium & applicationem suam ad Monasterium suum, tollat Ordinis auctoritate ab uniuersis Religiosis, quæcunque peculia sive in animalibus, sive in vineis, terris, hortis, grangiis aut quibusli-

bet aliis similibus, sive ad firmam sive ad vitam & cunctos proventus bursæ communi applicet, ut proprietatis vitium cëu Anathema, juxta sanctæ Regulæ edictum eradicetur, & per omnia juxta sanctæ Regulæ præceptum vivant in communi, cassando propterea omnes & singulas literas in contrarium quacunque auctoritate editas: Mandando tamen Abbatibus, quatenùs taliter per se aut per Officiarios, Religiosos de victu & vestitu & aliis necessitatibus juxtà Monasterii facultatem & necessitatis exigentiam provideant, quòd nullam notabilem inde sustineant penuriam seu egestatem juxta sanctæ Regulæ dispositionem. Nullusque absque speciali Abbatis licentia literas seu Eulogias mittere seu recipere præsumat, nullusque aliquid suum dicat. Se Domnos aut Fratres nominent. Bibentes, utramque manum apponant, ut in omnibus glorificetur Deus.

XI.

CUM omni diligentia mandato Abbatis, per Priorem & Subpriorem horis debitis, tam prandii & cœnæ quàm post Completorium ostia Claustri, Refectorii, Dormitorii & alia cum clave firmentur; præcipiendo Abbatibus, Prioribus & Cellerariis & cuilibet eorum in Monasterio suo, quatenùs primas portas in Monasterio taliter claudi faciant, quòd nulli juxta sanctæ Regulæ edictum, exeant aut intrent, & maximè mulieres, nisi fortè, pro lacticiniis animalium quæ in primis Curiis nonnunquam nutriri solent, Abbas judicaverit necessarium esse propter carentiam Fratrum laïcorum seu Conversorum habere aliquas vetulas honestas & bonæ famæ, quæ tamen, sicut nec cæteræ mulieres (exceptis magnis Dominabus) loca Regularia non ingrediantur: sed si opus sit, diebus dominicis cum residuo familiæ missam habeant in Capella portæ; nullique Religiosi, excepto Cellerario & quos Abbas deputaverit, ad Curias ipsas etiam intra septa Monasterii sine expressa licentia Abbatis vel Prioris transire præsumant. Super quibus Visitator se noverit erga Generale Capitulum vel Patrem Cisterciensem ra-

tionem redditurum, quemadmodum hæc salutaria Instituta observari fecerit.

XII.

ETSI omninò Benedictinæ & definitionum præceptis consonum esset, providum Bursarium vel Bursarios per Abbatem & Conventum in quolibet Ordinis Monasterio institui, qui universam Monasterii substantiam tam ordinariam quàm extraordinariam recipiant, & juxta Abbatis ordinationem expendant, ut de omnibus fidelem valdeque expressam quolibet anno quater reddant rationem: quia tamen aliqua Monasteria necdum ad hoc satis disposita videntur, ob hoc clausula ista pro illis Monasteriis ad Generalis Capituli decisionem pro nunc remittitur. Omnibus tamen sub pœnâ abstinentiæ à vino per mensem præcipitur Abbatibus & illis qui hujusmodi onus sub eis habent, quatenùs intra Capitulum Generale faciant aut fieri procurent bonas, specificas & integras computationes de omnibus receptis & expensis, tam pecuniarum quàm granorum & aliorum, quas Conventus vel sanior pars audire, & ad longum videre & examinare, & Pater Abbas seu Visitator approbare vel reprobare debebit, ne Patrimonium Crucifixi contrà Religionis formam dissipetur, & deinceps quolibet anno hujusmodi computationes continuentur.

XIII.

DEINCEPS Monachi non vadant celebratum ad loca sæcularia & vicina, nisi esset pro tam notabilibus personis quòd sine reprehensione denegari non posset. Cùm autem contigerit eos hac de causa vel quacunque alia egredi Monasterium, id non-nisi de Abbatis vel eo absente de Prioris licentia, ac non-nisi in summa necessitate aut evidenti Monasterii utilitate fiat. Incedant regulariter & moderatè cum mantello seu cappa, cum regulari caputio, deincepsque, tam pedestres quàm equestres, nulli appareant in via, nisi cum hujusmodi cappâ seu

mantello & caputio regulari deſuper. In civitatibus autem & locis honeſtis ſub pœnâ carceris nullus tranſeat niſi cum cuculla aut honeſto mantello ſeu cappa & caputio nigro, ut vel ſic ab aliis diſtinguantur & famulus Dei diſcerni poſſit. Nullus inſuper ſub gravi interminatione deinceps vadat ad feſta locorum ſeu nuptias ſeu ſpectacula, ſeu hujuſmodi ſæcularitates aut ad tabernas ſeu ibidem dormire præſumat. Nullus quoque per viam portare præſumat venabulum, enſem, brachmarum, aut hujuſmodi gladios invaſivos: ſed ſi contra Canes aliquid portandum ſit, illud ubique religioſam redoleat gravitatem. Nullus præſumat levare pueros de fonte, aut compatres ſeu commatres habere ſeu nominare, aut quomodolibet jurare ſeu turpia quælibet verba proferre.

XIV.

QVICQVID in præmiſſis de Abbatibus & Religioſis dicitur, hoc idem de Abbatiſſis, Monialibus & Converſis utriuſque ſexus reſpectivè intelligitur. Cum adjectione, quòd Viſitatores quibuſlibet affectionibus ſeu ſiniſtris excuſationibus rejectis, juxtà Bonifacianam quæ incipit, *Periculoſo*, aliaque Ordinis Statuta, eas in communi vivere & laborare faciant, Monaſteria ipſa claudendo, ut neque deinceps exeant, neque viri aliqui, exceptis caſibus à jure permiſſis, clauſuram earum ingrediantur, ac juxtà morem aliarum Sororum Ordinis reformatarum nihil penitùs habeant proprium. Per feneſtram benè ferratam, panno vel tela coopertam, confiteantur; & per aliam duplici oſtio feneſtram ab intrà & extrà claudendam, communicent. Per turnum dentur & recipiantur quæ danda & recipienda erunt, nec unquam Religioſa aliquibus extraneis niſi per feneſtram valdè ſpiſſè ferratam, & panno vel tela coopertam, & in præſentia alterius Religioſæ virtuoſæ ad hoc ſpecialiter deputatæ loquatur: omniaque murentur & obſtruantur oſtia de latere Conventûs ad magnum Altare exiſtentia; & fiant feneſtræ optimè ferratæ ad videndum præcioſiſſimum hoſtiæ ſacramentum ex magno Altari, quæ

ſtatim poſt elevationem ſanctiſſimi ſacramenti diligenter ab intus claudantur.

XV.

DISTRICTIUS ſub pœna ſuſpenſionis à divinis præcipitur Abbatibus Ordinis univerſi, quatenùs intrà proximum Generale Capitulum, faciant fieri & reparari bonos & fortes carceres in Monaſteriis ſuis, ad acriter puniendum tranſgreſſores, & huic ſanctæ Reformationi obedire renuentes, alioſque graviter contra Ordinis Statuta delinquentes. Inhibentes ne à modo ſic leviter ſuos ad incerta loca tranſmittant, ſed cùm aliqui juxta Ordinis Definitiones de conſilio ſeniorum emittendi erunt, Statutorum forma ſervetur.

XVI.

UT autem præmiſſa omnia & alia in hoc Ordine reformanda, clariùs cognoſci & ad effectum deduci valeant, Apoſtolica & Ordinis auctoritate mandamus, quatenùs intra proximum Sanctiſſimæ Trinitatis feſtum, Abbates & Conventus ſimul horis & locis competentibus ſtudioſè & attentè, ultra conſuetudinem legendi quolibet die in Capitulo Capitulum Regulæ, legant ſanctam Regulam, Uſuſque & Definitiones Ordinis; non quidem cantando, ſed potiùs conferentes & per ſpiritum notantes ea omnia, in quibus ſe aut aliquos ſuorum deviaſſe ſeu deviare cognoverint, ſatagantque ut boni ſanctæ Religionis diſcipuli, cuncta hæc cognoſcere & ad effectum prout quemlibet concernunt, in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, pro ſuarum animarum ſalute deducere.

Porrò hæc omnia quæ profectò ſunt potiùs quædam brevis Statutorum Ordinis recapitulatio, quàm nova ordinatio, cum toto reſiduo ad conſummationem ſanctæ Reformationis pertinente, debitâ cum reverentiâ ad proximi Capituli Generalis diſcretionem remittimus.

Præmiſſa omnia, acta & ordinata fuerunt per nos Abbates ſuperiùs nominatos, in præfato Venerabili Collegio noſtro Sancti Bernardi Pariſius, in magna aula, die ſeptima decima menſis Februarii anni 1493. more Galli-

co; in quorum omnium robur & testimonium, signeta nostra manualia cum sigillis duodecim nostrûm, præsentibus hilari animo apposuimus.

Hæc illi Frigidi planè Reformatores, non tam ad disciplinam quàm ad fastum & ostentationem. Vt ut sit abhinc, hoc est ab anno 1493. usque ad annum circiter 1615. ita corruit omnis hujus Ordinis sanctior disciplina, saltem in Galliis, ut per centum viginti & ampliùs annos, vix aliqui manum illi renovandæ apposuisse legantur. Ab anno autem 1615. cum multi in multis ejusdem Regni Monasteriis ad meliorem frugem se recepissent & omnem suam vivendi & agendi rationem ad præscriptum Regulæ revocare studuissent, cœlo subinde clementiùs aspirante, immisit Deus in Cor piissimi ac Christianissimi Regis Ludovici XIII. ut literas à Romanis Pontificibus Gregorio XV. & Vrbano VIII. huic Ordini erigendo obtineret. Quas cum prædicti Romani Pontifices lubenter concessissent, Gregorius quidem anno 1622. Vrbanus verò an. 1632. iisque illud onus eamque Provinciam Eminentissimo ac sanctissimo Cardinali Rupifulcadio commisissent: is virtute dictarum literarum Apostolicarum duas pro dicti Ordinis Reformatione in Regno Franciæ, tulit sententias.

Primam quidem sub data 27 Iulii anni 1634. quâ inter cætera statuit & decrevit, *I. Vt deinceps omnes Monasteriorum Regni Franciæ Novitii in Strictiori Regulæ Observantia probationis suæ annum peragerent, & Professionem Regularem emitterent, ad quam in solis dictæ Observantiæ Monasteriis, & ab ejusdem Observantiæ Superioribus admitti possent: Cæteris dicti Ordinis Superioribus, sub pœnis nullitatis, aliisque pœnis & censuris prohibendo, ne ullos inposterum Novitios ad habitum & professionem admitterent. II. Vt Collegium Parisiense Bernarditarum per dictæ Strictioris Observantiæ Superiores & Monachos regeretur deinceps & administraretur. III. ut vacantibus primis quinque dicti Ordinis Abbatiis & Monasteriis, Monachi dictarum Abbatiarum Professi, voce activâ in Electionibus gaudentes, aliquem ex dictæ Strictioris Observantiæ Monachis, in dictorum Monasteriorum Abbatem & Superiorem eligere tenerentur.*


Per alteram autem Sententiam sub data 20. Augusti anni 1635. quædam Statuta ad dictam Strictiorem Observantiam conservandam & fovendam necessaria edidit. Videlicet *ut Monasteriorum præfatæ Strictioris Observantiæ Superiores Comitia peculiaria inter se celebrare, Vicarium suum Generalem eligere, Priores Claustrales instituere, nec-non dicti Ordinis Monachos ac Monasteria, quæ id cuperent & postularent, sibi aggregare & unire, dictumque Bernarditarum Parisiensium Collegium regere & administrare legitimè valerent.*

Quas quidem Sententias tanquam auctoritate Apostolica latas ac Summorum Pontificum Constitutionibus, Conciliorum Generalium Decretis, Sacris Canonibus, Sanctorum Patrum Traditionibus, nec-non dicti Ordinis Cisterciensis Regulis & Statutis, ac ipsius Regni Franciæ Legibus conformes die 22. Iunii anni 1660. Supremum Parisiense Parlamentum, post diutinam & maturam, quâ amplior haberi non potuit, causæ cognitionem, solenni Senatusconsulto, *quoad supradictos articulos, confirmavit, ac prædicti Senatus Cartis & Registris inseri & exarari jussit, ut secundum suam formam & tenorem executioni mandarentur*; De quibus erit nobis aliàs dicendi locus, cum Constitutiones prædictæ Strictioris Observantiæ, antiquioribus istis, ex quibus illæ excerptæ ac conscriptæ sunt, Deo dante succenturiabimus.

FINIS.



INDEX



INDEX

A

ABBAS.

Abbas Cisterciensis.

Quatuor primi Abbates Ord.

Abbatia.

INDEX

Capitulum Generale.

Capitulum Quotidianum.

INDEX.

TTtt

INDEX.

E

Ecclesiæ.

Ejecti.

Electiones.

Electores.

Eleemosinæ.

INDEX.

INDEX.

INDEX.

Nundinæ.

O

Obedientia.

Obviare.

Officiales.

Officium divinum.

Osculum.

Otiositas.

Otobonus.

P

Panis.

Parentes defuncti.

Pauperes.

Peccantes.

Peccatum.

INDEX.

INDEX.

INDEX.

INDEX.

Z

Zelus.



GLOSSARIVM.

A



ABBAS *Majoris Ecclesiæ*, idem est ac Pater Abbas, seu Abbas cujus Monasteriũ, aliud genuit. *Char. Charitatis. cap.5. pag.70.*

Actus legitimi sunt, admitti ad accusationem & testificationem; eligere & eligi ad officia & dignitates Ordinis; uno verbo jus vocis activæ & passivæ. *Lib. antiq. Def. dist. 7. cap. 6. pag. 529. & lib. Novell. distinct. 14. capite 3. pag. 659.*

Analogium, est Pulpitum ad legendum. *lib. Usuum cap. 23, pag. 110.*

Armarium, dicebatur olim Cella seu locus, inter Ecclesiam & Capitulum libris conservandis in Claustro præparatus. *lib. Usuum cap. 71. pag.171.*

Audientia. In audientia, idem est ac alta & intelligibili voce. *Institutionum dist. 3. cap. 9. pag. 284.*

Auditorium est locus Claustro regulari adjacens, in quem secedere solent Monachi, ut de sibi necessariis cum Superiore colloquantur, & in quo illis opera manuum & similia præscribuntur. *lib. Usuum cap. 15. pag. 99.*

B

B*racile*, est Redimiculum seu succinctorium. Gallicè *une ceinture. Regul. S. Bened. cap. 55. pag. 88.*

Bracmarum, est Ensis aut Gladii genus, Gal. *un Coutelas. Artic. Parisiens. pag 684.*

Breve, sumitur pro inventario substantiæ aut supellectilis Monasterii. *Reg. S. Ben. c.32.*

Brevia, Gallicè, *des Billets*. dicuntur schedulæ quibus orationes & suffragia pro defunctis postulantur. *lib. Usuum cap. 98. pag. 213.* Item & schedulæ continentes nomina Officiariorum cujuslibet septimanæ. *ibidem. cap. 70. pag. 166.*

Broca, sumitur pro Amphora vinaria. Gallicè *un Broc ou vaisseau à tirer du vin*: vel pro Veruculo doliario. Gallicè *une Broche, ou douzil & fausset de tonneau.* Hinc vendere vinum ad Brocam idem est, ac vinum particulatim divendere, Gallicè, *vendre du vin en détail & à la broche. Institution. dist.12. cap. 6. p. 350. Institutorum c.50. p. 261.*

C

C*Aligæ*, Etsi ab aliquibus sumuntur pro Sandaliis, vulgò tamen accipiuntur pro Tibiarum tegumentis. Gallicè *des chausses. Reg. S. Ben. c.55. p.48. & lib. Usuum c.82. p.185.*

Capitale, idem est ac Cervical. Gallicè, *un chevet ou oreiller.* Dicitur autem à capite sustentando. *Reg. S. Ben. c.5.*

Clamare, idem significat ac denuntiare seu accusare. *Char. Charit. cap.3. pag. 68.* Hinc clamationes nihil aliud sunt quam culparum admissarum accusationes & declarationes. *Lib. Usuum cap. 70. pag. 167.*

Collatio, sumitur pro ea lectione quæ secundum Regulam sancti Benedicti fieri debet in Conventu ante Completorium; sic dicta ex eo quòd in ea ut plurimum *Collationes* Sanctorum Patrum legerentur. *Reg. sancti Benedicti*

cap. 42. *pag.* 30. *Lib. Vsuum c.* 81. *pag.*184.

Consortium Ordinis. Est societas seu participatio suffragiorum Ordinis. *Institution. dist.*3. *c.*23. *p.*288.

Conspiratio, dicitur confœderatio quorundam contra disciplinam Ordinis & Majorum Instituta. *Institution. dist.*10. *c.*7. *p.*339.

Cortina, dicitur velum quod inter Chorum & Presbyterium Ecsiæ expanditur tempore Quadragesimæ. *Lib. Vsuum c.*15. *p.*99.

Cuculla, est indumentum proprium Monachorum, caput & totum corpus operiens, longioribus & laxioribus manicis constans. Gallicè, *une Cuculle. Reg. S. Bened. cap.* 55. *pag.* 47.

Culcitra, est stragulum cannabe, aut tomento & floccis fultum, quod dormituris substernitur. Gallicè *un matelas. Institutorum Cisterc. cap.*39. *p.*258.

Culpa gravis & culpa levis. Sæpiùs sumuntur pro pœnis, propter hujusmodi culpas subeundis. *Institutorum c.* 62. *p.* 265. *& Institution. dist.* 6. *cap.* 6. *p.* 312.

E

ERemodicium. Quasi ἐρήμη δίκη. id est desertio causæ seu judicium desertum. Gallicè, *un defaut.* *pag.* 428.

F

FIstula, erat olim instrumentum in modum fistulæ fabricatum, quo utebantur ii qui Christi sanguinem sub speciebus vini percipiebant, eo scilicet tempore quo vigebat communio sub utraque specie. *Lib. Vsuum c.*53. *p.*144.

Forma. Formæ Chori dicuntur partes superiores inferioris Chori, quibus incũbunt Monachi dum in Officio Divino se prosternunt, vel genuflectunt. *Lib. Vsuum c.*13. *p.*96. vel potiùs sedes ipsius Chori. Gallicè, *les formes & les Chaises du Chœur.*

G

GAgeria. Dicuntur res pigneratitiæ pro annuo censu non persoluto apprehensæ. *Institution. dist.*11. *c.*3. *p.*346.

Gyrovagi, dicuntur Monachi circumcellas aliorum vagantes seu circumcelliones. *Reg. S. Ben. c.*1. *p.*7. vide etiam S. Aug. in Ps.132.

H

HEmina, genus est mensuræ continens dimidium sextarii, correspondens circiter Pintæ Parisiensi. *Reg. S. Ben. cap.* 40. *pag.* 38.

I

INcaustum, unde vox Italica *Inchiostro*, atramentum significat. Gallicè, *de l'ancre. Lib. Vsuum c.*17. *pag.* 101.

Iustitia, sumitur pro vase in quod quantitas potûs regularis cujuscunque Monachi infunditur. *lib. Vsuum c.*116. *p.*237.

Iusum, seu *Iussum.* idem est ac deorsum seu ad terram. Hinc Iusum ponere, *mettre bas, mettre à terre. Vsuum c.*17. *p.*101.

L

LAquericium, est fenestra reticulata parieti adjuncta & sub laqueari prominens, per quam olim Moniales extraneis loquebantur. Gallicè *des Treillis, des Ialousies. Lib. antiq. def. dist.* 15. *cap.* 2. *pag.*579.

M

MAtta est straguli genus ex storea vel ex sparto confecti, quod lectulis Monachorum substernitur. Gallicè, *une paillasse, ou materas fait de natte, de paille ou de jonc. Reg. S. Ben. cap.*55. *pag.*48.

Minutio, à sanguine minuendo dicitur & idem est ac phleboto-

mia. Gallicè *seignle*. *Vsuum c.90. pag.* 197.

Misericordiæ, dicuntur partes superiores sedilium chori quibus ex misericordia seu indulgentia, conceditur Monachis tantisper assidere, dum in Officio Divino incurvantur. Hinc *reclinare super Misericordias* nihil aliud est quam Superiori parti Sedilium Chori assidere prono corpore & Cucullarum manicis super genua decussatis. *Lib. Vs. c.*50.*p.*133.

Mixtum, à miscendo dicitur. Est autem quarta pars libræ panis & tertia pars heminæ vini, quæ juxta Regulam sancti Benedicti, Lectori mensæ, Ministris coquinæ, Adolescentioribus fratribus, Minutis & aliis pro jentaculo conceduntur & jejunio regulari horisque refectionis à Regula præscriptis permiscentur. *Reg. S. Bened. cap.* 38.*pag.* 37. *& Lib. Vsuum cap.* 73. *p.* 174.

N

N*Egligentiæ*, Vocantur ab aliquibus *Candelæ*, sive in Officio Divino siue in refectione necessariæ, sic dictæ, *à negligentia* significandæ horæ hujusmodi exercitiorum, ex qua fit ut contra mentem S. Benedicti nonnunquam lumine lucernæ indigeant reficientes. Verùm meliùs & simpliciùs per *negligentias* illas, quarum sæpe numero in lib. Vsuum mentio fit, nihil aliud intelliges quam defectus in hujusmodi exercitiis occurrentes. Vide *cap.*41. *Reg. S. Bened. pag.*39. *& cap.* 115. *Lib. Vsuum p.*136.

Novum Monasterium, dicebatur olim Monasterium Cistercii, ad distinctionem Monasterii Molismensis. Vide *Exord. Cist. cap.* 2. *& Chartæ Charit. c.*1. *p.*65. *& seqq.*

O

O*Economicus*, idem est ac Oeconomus seu Procurator. *Institution. dist.* 4. *c.* 3. *p.*295.

Opus Dei, sumitur pro Officio Divino. *Reg. S. Bened. cap.*44. *p.*41. *& cap.* 47. *p.*42. *& Institution. d.*6. *c.* 6. *pag.* 312.

Oratio Brevis, dicitur, Oratio Dominica quæ cum salutatione Angelica præmittitur certis quibusdam horis Officii Divini. *Lib. Vs. cap.* 22. *pag.*107.

Oratio solennis, est eadem Oratio Dominica, quæ cum salutatione Angelica & Symbolo Apostolorum præmittitur vigiliis & Primæ. Dicitur autem solennis à professione fidei quæ per hujusmodi Symboli recitationem fit. *Lib. Vsuum cap.* 22. *pag.* 107.

P

P*Itantiæ*, erant olim quædam fercula Pulmentis regularibus meliora, ex ovis & piscibus confecta, quæ olim minutis, infirmis, & certis etiam diebus cæteris Monachis, ex pietate & indulgentia concedebantur. *Lib. Vs. c.*76. *pag.* 181. *& Institutorum Cist. cap.*19. *p.*252.

Podium, sumitur pro assere cui pedes in Choro psallentium insident. *Vsuum cap.*68. *pag.*160.

Præpositus, Nomine Præpositi apud Regulam Sancti Benedicti intelligendus venit Prior de quo sæpiùs mentio fit in lib. usuum & in aliis Constitutionibus Ordinis Cisterciensis. *Reg. S. Ben. c.*56.

Pulmentum seu *Pulmentarium* est ferculum ex pulte vel ex leguminibus & oleribus, Monachis in refectione apponi solitum. *Vide Reg. S. Benedicti cap.*39. *p.*37. *Lib. Vsuum c.*76. *pag.*179. *&* 180.

S

S*Arabaitæ*, Vox Ægyptiaca significans idem ac sibi viventes, Gallicè, *des Libertins & Volontaires. Reg. S. Ben. cap.* 1. *p.*7.

Secretarius, idem est ac sacrista. *Lib. Vsuum cap.*4. *p.*89.

Senipetæ, 1. Seniores ac Sapientiores ex Fratribus. *Reg. S. Bened. cap.* 27. *pag.* 30.

Sententia, accipitur aliquando pro capite libri in quo continetur ut *Lib. Vsuum c.6. p.*89.

Solatium, Solatia nuncupantur ii, qui secundùm Regulam S. Benedicti cuilibet Officialium adjuvando conceduntur. *Reg. S. Bened. c.*53.*p.*46. *& Lib. Vsuum c.*84. *pag.*187. *& alibi sæpius.*

Sponda, est latus lecti anterius. Gallicè, *le devant du lict. Lib. Vs. Vsuum c.*72. *p.*173.

Staphæ seu stapes aut staphia, sunt strepæ seu subices Ephippiarii & fulcra pedum equestria. Gallicè *des Estriers. Institution. dist.* 13. *cap.* 11. *pag.*354.

T

TEstis, sumitur pro eo qui Sacerdoti celebranti assistit ac ministrat. *Lib. Vsuum c.*59.*p.*152.

Textus, per antonomasiam accipitur pro lib. Evangeliorum, quæ per annum in Ecclesia leguntur. *Lib. Vsuum c.* 55. *p.*137.

Typhus, seu *Typus* significat contemptum & arrogantiam. Gallicè *mépris & dédaing. Reg. S. Ben. cap.* 31. *pag.* 33.

V

VEndagiæ, seu *vendangiæ*, sunt perones lanei. Gallicè *des Guestres ou Gamaches. Institutorum c.*85. *p.*272. *& lib. antiq. def. dist.*9. *c.*3.*p.*540.

Venia, sæpe sumitur pro humiliatione quæ à petentibus veniam pro delictis exhibetur; sive per genuflexionem & positionem articulorum manus ad terram, sive per prostrationem & demissionem totius corporis in terram. *Lib. Vsuum cap.*21.*pag.*105.*& Epist. Ioan. Abb. Savigniacensis. pag.*375. *& pag.* 434.

Vsuaria, sunt pascua promiscua & communia. Gall. *des Communes. Institution. dist.*11.*c.*2.*p.*346.

FINIS.

Achevé d'imprimer pour la premiere fois le 28. jour de Iuin 1664.

Les Exemplaires ont esté fournis.

